Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
E
58
NAPOLI

C.I.-BB.n.

Digitized by Google

XXIII
F
58.

Digitized by Google

# INTERPRETATIO NATURÆ,

SEU

# PHILOSOPHIA

## NEWTONIANA METHODO

EXPOSITA,

ET

## ACADEMICIS USIBUS

ADCOMMODATA

A

*P. JACOBO ZALLINGER*
*E SOCIETATE JESU,*
*SS. THEOLOGIÆ DOCTORE.*

## TOMUS I.

*COMPLECTENS*
*LOGICAM, PHILOSOPHIAM PRIMAM, PSYCHOLOGIAM, THEOLOGIAM NATURALEM.*

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI



B. R. NEAPOLIS

PERMISSU SUPERIORUM.

*AUGUSTÆ VINDELICORUM*
SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF
M DCC LXXIII.



# PRÆFATIO.

*Cogitanti mihi ſæpenumero de magnitudine, & varietate rerum, quæ Philoſophorum contemplationi obiectæ ſunt, & obſcuritatem naturæ, atque anguſtias humanæ mentis, diverſaque Philoſophantium ſtudia, ſectasque conſideranti nulla in maximo controverſiarum numero difficilior, nulla, quæ maioris momenti eſſet, quæſtio ſemper viſa eſt, quam quæ de ipſo Philoſophandi genere, methodoque inſtitueretur, quæque eſſet optima omnium, & veritati percipiendæ, atque cum aliis communicandæ maxime idonea, examinaret. Si ſingulas Philoſophiæ tractationes, & Philoſophorum de illis ſententias ſpectamus; ſæpe eos quidem conſentientes, ſæpe verbis potius, quam re diſcrepantes habemus; at in toto genere, & velut habitu Philoſophiæ prope ſinguli a ſingulis æque, ac univerſis diſſentiunt, quodque eſt maxime animadverſione di-*



di-

*dignum, ſuam quisque rationem, ac genus id, quod ipſe ſequitur, optimum ducit, aliisque præferendum.* Adhuc neminem novi Philoſophorum, *inquit Tullius L. V. QQ. Tuſcul.* qui ſibi non optimus videretur. Sic nempe res ſe habet; me mea delectant, te tua, quemque ſua.

*Non equidem id mihi arrogo, ut philoſophandi genus, quod ſequutus ſum, plane abſolutum, perfectumque ex omni parte, atque optimum putem; ac ne fieri quidem in hoc mortali ſtatu a nobis poſſe arbitror, ut planam illam, facilemque, ac ſimplicem viam, quam operando tenet natura, in maxima operationum, effectorumque varietate & multiplici nexu, vel explicando proferre in lucem, vel inveſtigando eruere aliquando poſſimus. In ipſa Geometria, quæ a dimenſionis idea, quæ maxime perſpicua eſt, excluſa quavis alia congerie idearum heterogenearum, ducto initio notionum, & demonſtrationum ſeriem pertexit, nemo fere ſcriptorum eſt, qui non ſimplicem*

*naturæ ordinem, atque ordinatam Syntheſin profiteatur, & præ ſe ferat; quam diverſas nihilominus habemus Geometriæ inſtitutiones, Epitomas, Elementa, Synopſes, Compendia; ut adeo vel multiplicem eſſe naturæ ordinem, faciemque, vel pleroſque omnes parum quidem eandem perſpexiſſe dicere cogamur? nihil igitur mirum videri debet, ſi in naturalium rerum inveſtigatione, in qua ideæ admodum complexæ, effectusque, & mutationes a longa cauſſarum ſerie pendentes, vires, & potentiæ in intimis ſubſtantiis occultatæ,* περιστασεισ, *adiunctaque diverſiſſima, aliaque plurimum compoſita, complicata, involuta, connexa eodem tempore occurrunt, ſi, inquam, in talium rerum inveſtigatione omnis prope Syntheſis, quam non ipſa offert præcedens Analyſis reiecta, ſolaque analytica methodus, ceu conditioni humanæ mentis, rerumque cognoſcendarum naturæ maxime adcommodata, a præſtantiſſimis quibusque viris adoptata ſit.*



Digitized by Google

*Norant iidem indolem Syntheticæ rationis; ſed naturam quoque rerum, mentisque noſtræ, quæ omnium rerum ignara in mundum ingreditur, infantiam norant, & naturæ repugnare, perinde eſſe, ac cum ſuperis pugnare velle, arbitrabantur. Quam ob rem reiectis hypotheſibus, & arbitrariis notionibus, anxiaque illa ſyſtematum fabricandorum, quæ ad univerſam rerum naturam pertinerent, cura prætermiſſa, id egere viri præclari, ut opera naturæ contemplantes, eiusque veluti vocem audientes, eandem ſibi interpretandam ſumerent. Atque hæc eſt ipſa methodus, quam a* NEWTONO *incomparabili viro, & immortalis memoriæ,* NEWTONIANAM *vocant; quamque unam maxime præ tot aliis amplexus ſum, non quod omnia Newtoni dicta in oraculis numerem, aut quod eas, quæ poſt Newtonum ab aliis deinceps acutiſſimis viris, atque inprimis a ſummo Geometra* BOSCOVICHIO *Philoſophiæ acceſſiones factæ ſunt, non maximi faciam, aut negligendas exiſti-*

*mem, ſed quod ea philoſophandi ratio ſpectata rerum, mentisque noſtræ natura longe aliis aliorum inſtitutionibus anteferenda ſit; quod quidem, ſi de Phyſicis rebus tractandum eſt, nemo facile in dubium vocarit; ſed ego de ſingulis partibus Philoſophiæ ſingulatim præfabor loco ſuo, ac tempore; nunc de univerſa primum, poſtea de Logica, quæ proxime interpretanda eſt, verba faciam.*

*Cum mens humana natura ſua cognitionis particeps ſit, atque adpetitus, neque cæco impetu agatur, ſed ratione, atque arbitrio in vitæ, actionumque conformatione ſe regat; fieri non poteſt, quin vi naturali cogitandi, poſteaquam illa in mundum introducta eſt, & primam infantiam exegit, res innumerabiles cognoſcat, & quid adpetere, quid fugere debeat, intelligat; hinc duplex exiſtit rerum cognitio,* theoretica, *quæ in contemplanda veritate ceu præcipuo fine quieſcit: &* practica, *qua fieri quidquam poſſe,*

 *vel*

*vel debere oſtenditur; utrumque iſtuc cognitionis genu, plurimos perfectionis gradus habet, & ob noſtram imbecillitatem, arctosque limites humanæ mentis, aliasque diverſas cauſſas maximis erroribus ſæpe ſubiacet; ſingulari autem virorum ſapientum, quos providentiſſimum Numen mundo dedit, acumine, longoque ſtudio, atque in primis experientia magiſtra plurimum aucta eſt humanæ cognitionis ſupellex, & ad poſteros propagata, qui Priorum veſtigia perſequi, eorumque inventa amplificare haud ægre poterant: multi quoque errores, errorumque fontes paulatim detecti ſunt; hinc artes, & diſciplinæ extiterunt, dum compertæ veritates in quendam ordinem digeſtæ, & rationibus firmatæ, atque ab hominibus ſapientiæ ſtudioſis cum aliis communicatæ ſunt vel communi hominum amore, vel gloriæ captandæ, aut lucri gratia; ac diſciplinæ quidem theoreticæ, quarum finis ſola eſt veritatis cognitio, nomine magis proprio a Veteribus* SCIENTIÆ *dictæ ſunt; eorum autem, quæ fieri a nobis poſſunt, alia dicebant* AGI, *uti*

*quæ ad mores, virtutemque, ac vitium pertinent, quæque diſciplinam* MORALEM, *cuius finis non cognitio eſt, ſed actio, componunt; alia* EFFICI, *qualia ſunt artium præcipue Mechanicarum opera, ad vitæ commodum, & ornamentum comparata. Hæc theoreticarum, & practicarum cognitionum, & diſciplinarum partitio tum facultatibus humanæ mentis, tum veri, bonique diviſioni reſpondet, circa quæ omnis humana cognitio, actioque verſatur, tum communi antiquitatis conſenſu firmata eſt.* LOCKIUS, *dum ſub finem operis de Intellectu Humano primam, maximeque generalem obiectorum intellectus humani diviſionem ponit, tertium quoddam cognitionis, & diſciplinæ genus addit; ſic enim ait: cogitationes noſtræ verſari poſſunt vel circa rerum ipſarum contemplationem ad verum inveniendum, aut circa res in noſtra poteſtate ſitas, quæ ſunt hominum actiones ad certos fines deſtinatæ, vel denique circa ſigna, quibus utroque caſu mens utitur, aptamque illorum diſpoſitionem; un-*

de omnis cognitionum, quæſtionum, & diſciplinarum congeries in tria genera abit; prima eſt φυσικη, quæ eſt tractatio rerum non modo materialium, ſed aliarum quoque, quarum ſola cognitio, veritatisque contemplatio proxime quæritur; ut, cum de Deo, ſpiritibus finitis, de corporibus, de numero, vel dimenſione agitur; altera eſt πρακτικη, ad quam artes, & diſciplina moralis ſpectat; tertia ab eo dicitur σημιωτικη, ſive doctrina ſignorum; cum enim menti non res ipſæ, ſed rerum ideæ præſentes ſint, eædemque nec aliis conſpiciendæ proponi, nec ſemper conſervari poſſint; ſignis indigemus, inter quæ commodiſſima & maxime in uſu ſunt vocabula. Huc igitur revocandæ ſunt Linguæ, Critice, Logica, non quod hæc diſciplina ſermocinalis, ut aiunt, ſed quod inſtrumentalis ſit, maximeque vocibus recte uti doceat in diſciplinarum, vitæque uſu. Ita fere LOCKIUS diſſerit; cui quidem adſentior, ſi res innumerabiles cognitioni noſtræ, actionique propoſitas revocare ad pauca capita velimus, quod percommodum accidit menti noſtræ, ne earum varietate,

*copiaque turbetur. Neque vero, uti Ethica ad honeſtatem ſequendam, ita eodem penitus modo ad cognoſcendam veritatem Logica nos dirigit; ob quam cauſſam ad Practicas diſciplinas utramque non nulli referunt; Ethica enim, atque adeo univerſa facultas moralis certum ſibi propoſitum obiectum, ut aiunt, certa dogmata, præceptaque ad certum finem, resque certas pertinentia continet, neque vero diſciplina inſtrumentalis adpellari poteſt: Logica e contrario latiſſime vagatur, neque rem certam operationibus mentis propoſitam habet, ſed in re quacunque recte verſari cogitando nos docet, mentisque operationes, ceu inſtrumenta cognoſcendi, explicandique veri ſecundum regulas quasdam conformat.*

*Hæc igitur Lockii diviſio cum tripartita Philoſophiæ diſtributione, qua uſi ſunt maxime Veteres, prope congruit. Fuit enim accepta a* Platone *philoſophandi ratio triplex, una de natura & rebus occultis, quæ eſt theoretica, ac de mente humana, de Deo, de corporibus agit, earum-*

*rumque rerum adfectionibus; altera de vita, & moribus, quæ eſt Practica, & officia hominis tum in ſe ſpectati, tum uti is in familia, aut civitate degit, explicat, aut quæ inter plures nationes, ceu totidem perſonas intercedunt; tertia de diſſerendi ratione. Quam autem Pythagoras modeſtiæ cauſſa Philoſophiam primo nuncupavit, eam Veteres Sapientiam dixerunt; ſed mutato nomine res eadem notata fuit, nempe diſciplina ratione & ſtudio cognita de humanis, divinisque rebus, ac cauſſis earundem. Ac theoretica quidem, & practica Philoſophiæ pars; quidquid attentione noſtra dignum habet, non niſi interpretatio Naturæ eſt, ut veritatem rerum ipſarum, non opiniones hominum præconceptas, ut veros cauſſarum, effectuumque nexus, non ſeries humanarum cogitationum, & ſyſtemata intempeſtive fabricata, non arbitrarias hypotheſes, & deductiones nobis exhibeat; qua quidem in re, etſi magnopere conandum ſit nobis, ut in ſumma rerum, atque eventuum varietate, & multitudine naturæ ſimplicitatem, attin-*

*ga-*

*gamus; tamen opinione quidem mea, ſollicita illa generalium ſyſtematum cura progreſſui cognitionis noſtræ haud parum officit, nosque in disquirenda natura inertes, & incurioſos reddit, quia conformato ſyſtemate omnia nos comprehendiſſe, atque finem inquirendi attigiſſe nobis perſuademus : quæ eidem favere intelligimus, ea in ore habemus, & præ oculis, eaque exaggeramus; quæ obeſſe videntur, facile negligimus, nulloque diligente facto examine, ceu falſa repudiamus; idcirco ſapientiſſimus Verulamius L. I. de Augment. ſcient.* Alius error, *inquit*, a reliquis diverſus eſt reductio doctrinarum in artes, & methodos, quod cum fit, plerumque ſcientia parum, aut nihil proficit. Nimirum ut Ephebi, poſtquam membra, & lineamenta corporis ipſorum perfecte efformata ſunt, vix amplius creſcunt, ſic ſcientia, quamdiu in Aphoriſmos, & obſervationes ſpargitur, creſcere poteſt, & exurgere; ſed methodo ſemel circumſcripta, & concluſa, ex-

po-

poliri forſan, & illuſtrari, aut ad uſus humanos edolari poteſt, non autem porro mole augeri.

*Logicas quidem inſtitutiones, & generales Metaphyſicæ notiones, contemplationesque, quam differendi rationem, & Dialecticen ſæpe adpellarunt Veteres, in Mathematicam formam, & completum ſyſtema ſcientifica, ut aiunt, methodo exædificatum redigere conati ſunt poſt Wolfium plures in hiſce regionibus Philoſophi, diligentes viri, & laboris patientes, quorum ego de laudibus tantum abeſt, ut quidquam detractum velim, ut in republica literaria cum honore eosdem nominandos putem. At enim neſcio, utrum longi, & permoleſti laboris, quem eorum commentationibus, dum plene adſequatur, impendere quis cogitur, dignum ſit fructum habiturus. Nullum prope definiendi, notionesque enumerandi, examinandi, reprehendendi, vel laudandi, corrigendi, vel ſtabiliendi finem eos facere videas; eandem incudem diem, noctemque tundunt, atque ex notionibus ſuis res perſpicuas, quarum cuivis,*

*vis,*

*vis, qui penitus obtuſo ingenio non ſit, ſtatim veniat in mentem, demonſtrandi laborem ſuſcipiunt, ut quidem opinione mea, ſiquis ſummum ad pulcherrimas artes perdiſcendas ardorem adferat, is frigidis diductionibus, ac repetitionibus haud parum reſtingui debeat; adeo quidvis & dilatant, & concidunt, & omnes tenuiſſimas particulas, atque omnia minima manſa, ceu nutrices infantibus pueris, in os ingerunt. Sed habet ea methodus, præterquam quod plurimum fatiget lectores, alia non levia incommoda; nam voculis quibusdam & vocum catenæ ita conſtringunt cogitationes ſuas, ut nihil ſatis diſtinctum, nihil ſat demonſtratum teneant, quod vocibus, quibus ipſi adſuevere longo tempore, non illigatur; multo autem plus vocabulorum, quam idearum, cognitionumque ea ratio continet, & cum quidvis demonſtrare ſe profiteatur, artem recte, prudenterque dubitandi, quæ maximus eſt Philoſophiæ fructus, prope omnem tollit: videas autem demonſtrationes arbitrariis notionibus, & principiis incertis, vel ambi-*

*guis*

*guis nixas, quas vir acutus ſæpe commiſerari cogatur. Quapropter in Logica quoque, atque ea, quam Ontologiam inſcribunt, tractatione non niſi interpretari naturam, & naturales cogitandi vires explicare, & originem notionum, & generatim ortum progreſſumque humanæ cognitionis evolvere, tum vero ideas, iudicia, & ratiocinia, quæ vi naturali cogitandi in nobis exiſtunt, reducere ad regulas quasdam obſervatione cognitas, & ratione confirmatas adlaboravi, quemadmodum ipſo progreſſu huius ſcriptionis intelligetur; ut hoc quidem modo voces diſtinguere ab ideis, & facultatibus naturæ intelligentis ceu præcipuis veritatis eruendæ, explicandæque inſtrumentis recte uti, mentemque noſtram potius cognitione veri excolere, quam memoriam vocabulorum farragine opplere adſueſcamus.*

SE-

# SERIES TRACTATIONUM

## TOMI I.

### Liber I. Logica.

Pag.

*Introductio brevicula in Logicam* - - - - - - - 1

Pars I. *Generalis. De vario cogitationum genere, earumque regulis.*

C. I. Diverſitas Idearum - - - - - - - - - 3

C. II. Analyſis Idearum - - - - - - - - - 18

C. III. Natura Judicii - - - - - - - - - 34

C. IV. Comprehenſio, & Extenſio Terminorum in Propoſitionibus. - - - - - - - - - - 39

C. V. Oppoſitio Propoſitionum ſimplicium - - 49

C. VI. Vis Naturalis ratiocinandi reducta ad certas leges. - - - - - - - - - - - - - - 52

C. VII. Leges Propoſitionum, & Argumentationum compoſitarum - - - - - - - - - - 64

C. VIII. Ratiocinium Polyſyllogiſticum - - - 72

C. IX. Ortus, & Progreſſus Cognitionis Humanæ 76

C. X. Veritas Cognitionis Humanæ - - - - 93

Pars II. *De regulis Logicæ adplicatis ad diverſam materiam.*

C. I. Status Quæſtionis determinandus - - - 101

C. II. Ratiocinia generalia, quibus propoſita quæſtio reſolvitur - - - - - - - - - - - 104

C. III. Reſolutio Apodictica - - - - - - - 114

C. IV. Disquiſitio Dialectica - - - - - - - 125

C.V. Sophiſtica Cavillatio, aliæque errorum cauſſæ 135

### Liber II. Philosophia Prima.

*Diſſertatio de Metaphyſica.*

Philoſophiæ Primæ *Sect. I.* Notiones, & Propoſitiones, quæ ad rem in ſe ſpectatam generatim pertinent 156

*Sectio II.* Notiones, & Propoſitiones pertinentes ad nexum rerum

C. I. Varia principiorum, & cauſſarum genera - 177

C. II. Nexus rerum mundanarum inter ſe quoad cauſſas efficientes - - - - - - - - - - 194

C. III. Nexus rerum inter ſe quoad cauſſas finales 198

C. IV. Nexus rerum, quæ in mundo ſunt, cum Ente neceſſario - - - - - - - - - - 203

C. V. Nexus rerum, atque ordo excludit caſum e mundo - - - - - - - - - - - - - 212

C. VI.

Pag.

C. VI. Nexus rerum non tollit contingentiam eventuum, & poſſibilitatem miraculorum - - 223

*Sectio III.* Notiones, ac Propoſitiones ad relationem rerum pertinentes. - - - - - - - - - - - 231

LIBER III. PSYCHOLOGIA.

*Prooemium.*

C. I. Vis, & facultates cognoſcendi - - - - 258

C. II. Adpetitus, eiusque obiectum, ſeu Bonum & Malum - - - - - - - - - - - - - 266

C. III. Dominium Mentis in facultates cognoſcendi, & adpetendi - - - - - - - - - - - - 279

C. IV. Libertas Indifferentiæ - - - - - - - 287

C. V. Simplicitas, & Spiritualitas humanæ mentis 315

C. VI. Immortalitas animorum - - - - - 330

C. VII. Commercium Mentis, & Corporis - - 343

LIBER IV. THEOLOGIA NATURALIS.

*Prooemium.*

C. I. Exiſtentia Dei - - - - - - - - - - 363

C. II. Eſſentia & Perfectiones Dei - - - - 374

C. III. Deus Creator rerum omnium - - - - 386

C. IV. Deus Conſervator, & Gubernator - - 408

C. V. Deus Legislator - - - - - - - - - 426

C. VI. De Religione & conſenſu generis humani in præcipuis capitibus religionis Naturalis - 438.

INTRO-

# INTRODUCTIO BREVICULA
IN
# LOGICAM.

## §. I.

L*ogica eſt facultas, quæ vim naturalem cogitandi dirigit in cognoſcendo, explicandoque vero.* Eam Veteres adpellarunt ὄργανον, ſeu inſtrumentum, propterea quod eius ope maximi momenti veritates ad alias diſciplinas, vel ad vitæ uſum pertinentes certius, faciliusque arripiamus; quamvis enim in quovis homine, qui ſana ratione utitur, ea ſit cogitandi vis, ut ſibi res varias recte ſæpenumero repræſentet, de iis apte iudicet, unumque ex alio deducat naturali quadam ſagacitate, quæ quidem vis cogitandi, præſertim ſi exercitatione perficitur, *Logica* nuncupatur *Naturalis*; tamen experimur non raro, eos, qui ſola utuntur naturali facultate, diſciplinæ expertes, multum a vero aberrare cogitando, diſſerendoque, ipſisque ſenſibus ſuis, & imaginatione, atque acumine in errores abripi, unde expedire ſe, quantum ſatis eſt, citra informationem artis, vix poſſint. Quapropter varios cogitandi, & diſſerendi modos, ac rationes, queis verum adſequi, aut non adſequi poſſumus. expendentes viri acuti, ac ſolertes omnium temporum, conſtituerunt quasdam regulas, quas ut quisque ſequitur in operationibus mentis, ita naturali facultate cogitandi recte uti cenſetur. Eas regulas exponit *Logica Artificioſa*, de qua nunc agimus. Vim igitur cogitandi natura dat, Logica non niſi dirigit; & quamvis variæ a callidis hominibus artes inventæ ſint, atque ab aliis deinceps ad maiorem perfectionem adductæ; nulla tamen ſpes eſt, obtinendi

artem, qua ex trunco, ut dicimus, formetur Mercurius. Quam ob rem qui penitus obtuſa hebetique mente ſunt, aut quibus ſegnities, mollitiesve vitæ obſtat, quo minus eam, quam ſublimiores ſcientiæ poſcunt, diligentiam, attentionemque adferant; hi quidem ab ipſo aditu earum ſcientiarum, nempe a Logica, quaqua ratione arcendi ſunt, ne fruſtra terant nobiliſſimum tempus.

*Eſt nempe Logica, ſicut eloquentia quædam naturalis; „ ita enim nati ſunt homines, ( Cic. L. 1. de Orat.) „ ut & blandiri, & ſuppliciter inſinuare iis, a quibus eſt „ petendum, & adverſarios minaciter terrere poſſint, & „ rem geſtam exponere, & id, quod intendunt, confir- „ mare, & id, quod contra dicitur, refellere, & ad ex- „ tremum deprecari aliquid, & conqueri, quibus in rebus „ oratorum verſatur facultas & conſuetudo, „ ſi præſertim exercitatio, & intelligendi prudentiam acuit, & eloquendi celeritatem incitat. Ex obſervatione eorum, quæ vi naturali eloquendi recte aut ſecus profuſa erant, conſtituta eſt ars oratoria; „ etenim ( ibid. L. II.) ea, quæ „ obſervata ſunt in uſu rationeque dicendi, hæc ab homi- „ nibus callidis & peritis animadverſa, ac notata, ver- „ bis deſignata, generibus illuſtrata, partibus diſtribu- „ ta ſunt. „ Etſi vero quandam & eloquendi, & cogitandi vim omnibus dederit natura; nontamen omnes ad artem earum rerum recte admittuntur. „ Hinc idem, ſi- „ quis dicendo, inquit, plane abhorrebit, & erit abſur- „ dus ut ſe contineat, & ad aliud ſtudium transferat, ad- „ monebo; nam - - clamare contra quam deceat, & quam „ poſſit, hominis eſt, ſtultitiæ ſuæ quam plurimos teſtes do- „ meſtico præconio colligentis.*

## §. II.

Binas in partes omnem Logicam apte dividi poſſe arbitror. In prima de vario cogitationum genere, nempe de ideis, iudiciis, & ratiociniis, eorumque regulis generatim agitur: in altera ſpectatur materies ſubiecta cogitationibus noſtris, quæ triplex eſt, demonſtrativa, probabilis, fallax, ſeu captioſa.

*Neceſſe non eſt, de utilitate Logicæ multa verba facere; cum ii, qui ad Logicam primo accedunt, de re tota iudicare hoc loco nihil poſſint.*

# LOGICÆ
## PARS I. GENERALIS.
## *De vario cogitationum genere, earumque regulis.*

## CAPUT I.
### *De Diverſitate Idearum.*

*Diverſitas idearum pendet ab obiecto, quod repræſentant, a vocibus, ſeu ſignis, per quæ exprimuntur, & a viribus diverſis cogitandi; etſi enim mens noſtra penitus ſimplex, omnisque concretionis expers ſit; tamen ipſa operationum mentis diverſitas facit, ut in ea diverſas cogitandi vires diſtinguamus, diverſisque nominibus ſignificemus; ut quisque has vires cogitandi intimius novit, ita maiorem progreſſum feciſſe in arte recte cogitandi cenſendus eſt.*

### §. III.

*Perceptio* eſt id, quod quisque in ſe animadvertit, cum videt quidpiam, audit, guſtat, olfacit, tangit, quavis de re delectatur, vel dolet. Unusquisque multo clarius intus in animo animadvertit, quid perceptio ſit, quam verbis explicari debeat, aut etiam poſſit. *Perceptio rei, quæ impreſſionem, ſeu mutationem efficit in corpore noſtro*, dicitur *ſenſatio*; *perceptio eorum, quæ intra nos ipſos in animo contingunt, reflexio, vel ſenſatio intima*; quia aciem mentis & intuitum mens in ſeipſam quodammodo reflectit. Generatim iſta adfectio mentis, quam perceptionem vocamus, ſi refertur ad ipſam mentem, in qua ineſt, vel quæ eiusdem ſibi conſcia eſt; perceptionis nomen retinet; relata vero ad rem, quæ in animo præſens ſiſtitur, nuncupatur *idea*,

 ſeu

ſeu notio, quæ nihil eſt aliud, niſi repræſentatio rei in mente, eo fere modo, quo pictura relata ad rem eſt imago cæſaris, relata ad eum, a quo effecta eſt, opus artificis. Quia perceptiones in nobis ſunt, intelligimus, quod etiam potentia, ſeu facultas percipiendi menti inſit, nempe *potentia ſentiendi, ſive percipiendi res ſenſibiles actu præſentes, quæ mutationem in corpore noſtro efficiunt*, & *potentia reflectendi*, ſeu *percipiendi ea, quæ intra nos ipſos contingunt in animo;* qui & *ſenſus intimus* dicitur.

*Vulgo notum eſt, quinque eſſe ſenſus externos, ſeu organa, aut inſtrumenta ſentiendi, quorum mutationem ſequitur perceptio. viſu percipimus album, flavum, aliosque colores, & figuras corporum, dum radii lucis feriunt oculos: auditu ſonum, dum concutiuntur vicina corpora, atque aer agitatus mutationem in auribus efficit: olfactu odores gratos & moleſtos, quando effluvia corporis odorati penetrant nares, vellicantque: guſtu ſapores, dum cibus aut potio adficit palatum & linguam: tactu denique, qui per totum corpus diffunditur, percipimus calorem, frigus, ſoliditatem, aliasque corporum proprietates. Reflexione nobis innoteſcit, quid ſit ipſa perceptio, & cogitatio, quid delectatio, tædium, amor, odium, pudor, remorſus conſcientiæ, aliæque adfectiones voluntatis, & operationes mentis.*

## §. IV.

*Ideas ſenſu, & reflexione acceptas mens noſtra deinceps retinet*; Nam 1. eandem rem, ſive ideam rei longius intuetur, attendendo ſeorſim ad ea, quæ in re obiecta inſunt; quæ mentis Actio adpellatur *attentio*, ſeu *contemplatio*. 2. Ideam rei quodam tempore perceptæ poſtea abſentis iterum excitare, ſeu reproducere poteſt, cum ea velut in mente condita, aut retenta ſit. Id generatim ſit per *Phantaſiam*, ſeu *imaginationem*, quorſum etiam *memoria* pertinet, quando reproductam ideam mens recognoſcit, id eſt, ſibi conſcia eſt, eam ſe alio tempore habuiſſe. Obſervamus autem eam eſſe *conſtantem phantaſiæ legem, ut, ſi quas perceptiones ſimul habuimus, una deinceps producta quacunque ex*

*cauſſa*

*cauſſa vel occaſione, ſæpe & altera reproducatur, & aliquando etiam nobis invitis redeat.* Cognitio ope ſenſuum, vel reflexionis proxime, ſeu immediate acquiſita adpellatur *experientia*; quæ ab aliis vocatur memoria ſimilium perceptionum; dicimurque experti rem, quam ſenſu vel reflexione ſæpius cognovimus.

*Si cui promiſimus quidquam, vel debemus, eo conſpecto mox promiſſi idea vel debiti revocatur vi phantaſiæ; unde illud Horatii: fugit ut Druſonem debitor æris; aut ſiquem forte in hominem incido, quem agentem in ſcena nuper vidi, mox acta fabula, theatri adparatus, actorum vultus, ac geſtus, multaque verba mihi recurrunt. Idea loci ſæpe actionum, quas ibi patravimus, nos commonefacit beneficio phantaſiæ.*

## §. V.

*Circa ideas ſenſu & reflexione acquiſitas, & memoria retentas mens verſatur diſcernendo easdem, coniungendo, abſtrahendo, easque ad ſe referendo, ſeu inter ſe comparando. Ac*

I. Quivis ideas ſuas diſcernit, ita ut eandem habeat pro eadem, diverſam pro diverſa; ipſi iam infantes matrem, vel nutricem a muliere peregrina diſcernunt, & dulce ab amaro. Inſunt autem in rebus notæ vel characteres, quibus eædem agnoſcuntur, & ab aliis diſcernuntur, quæ & qualitates vel proprietates, prædicata, adfectiones &c. adpellantur; & quamvis in re quadam plures notæ vel qualitates ita coniunctæ ſint, ut ſeparari haud poſſint; tamen ideæ earundem, quæ mentem una ſubeunt, minime permiſcentur inter ſe, ſed reipſa ſunt, & habentur diſtinctæ. Floſculus, qui in ſenſus incurrit, ideas coloris, odoris, extenſionis, figuræ &c. ſimul excitat; at mens hasce ideas non minus diſcernit, quam ſi ſingillatim & diverſo tempore adveniſſent. Eiusmodi *idea* e. g. floris, *quæ ex pluribus aliis, quas partiales voco, componitur, ſive in qua plures ideas diſcernimus, dicitur complexa vel compoſita;* cui opponitur *ſimplex, quæ in unica perceptione atque uno conceptu mentis ſita eſt*, uti ideæ albedinis, rubedinis, ſoni unius, caloris, odoris, ſaporis

ris, &c. quæ quidem ideæ ſæpe nequeunt in plures alias reſolvi, etſi fortaſſis pluribus verbis explicari queant, & ſæpe explicentur ab iis, qui inter voces & ideas diſtinguere non didicerunt. Porro *notæ* rerum, quæ per ideas complexas exhibentur, vel *conſtantes ſunt, quæ ſemper ac neceſſario rei inſunt*, vel *variabiles, quæ non ſemper, neque neceſſario inſunt:* utræque bipartito dividuntur, conſtantes in eſſentiales, & attributa; variabiles in modos & relationes; *Notæ eſſentiales, ſeu primitivæ ſunt, quæ primo in re ponuntur, & ex quibus deducuntur aliæ pariter conſtantes, quæ attributa ſeu notæ derivativæ adpellantur: modi ſunt notæ variabiles, quæ inſunt in ipſa re: relationes vero, quæ concipi non poſſunt, niſi concipiatur aliud extra ipſam rem*, uti paulo poſt indicabo.

*Complexa eſt idea ſolis; in ea enim diſcerno diverſas qualitates, lucem & ſplendorem, diſtantiam, figuram, motum, magnitudinem. Hoc igitur modo non tantum diverſarum rerum ideas, ſed in eadem re ſive in idea eiusdem rei e. g. ſolis, floris, alias, atque alias ideas partiales diſcernimus: color rubeus flammæ eiusque figura acuminata, etſi eodem ſenſu percipiantur nempe viſu; tamen diſtinctas ideas nobis ingerunt, perinde, ac ſi per diverſa organa introiſſent in mentem. In memoriam revocentur diverſæ deſcriptiones poetarum, ac oratorum, qui rem unam eleganter dilatant evolvendo ideas partiales, quas in una complexa diſcernunt. Notæ eſſentiales in homine dicuntur vis ſentiendi, & ratiocinandi: in triangulo numerus ternarius linearum, & ſitus talis, ut ſpatium quoddam undique terminetur; per hasce enim notas triangulum eſt triangulum, atque hæ primo ponuntur, rationemque continent aliarum notarum conſtantium & proprietatum trianguli, ut, quod tres habeat angulos, quorum ſumma ſi triangulum eſt rectilineum, æquipollet binis rectis. Hæc igitur proprietas vocatur attributum trianguli.*

## §. VI.

II. Alia mentis actio, qua circa ideas ſuas verſatur, eſt *compoſitio* earundem, quæ fit 1. Dum ideas, quas de re eadem arripit, & diverſas eſſe agnoſcit, ha-

habet pro una idea, nempe complexa rem unam repræſentante; tales ſunt ideæ complexæ ſolis, flammæ, floris &c. de quibus ſupra. 2. Diverſas ideas ſenſu acceptas ex diverſis rebus, & imaginatione reproductas coniungit in unam, novumque velut idolum phantaſticum effingit, uti humano capiti cervicem pictor equinam cum iungit. Hæc facultas mentis ideas ſenſibus exceptas coniungendi variis modis, adpellatur facultas fingendi, & ad phantaſiam paſſim refertur. 3. Mens noſtra alias etiam ideas, quæ nihil corporeum repræſentant, in unam coniungit, & uno nomine exprimit. Ideæ virtutis, ſcientiæ &c. tales complexiones ſunt plurium idearum diverſi generis. 4. Aliquando eandem ideam repetendo, & iterando efficit complexas ideas alias, quæ non ex pluribus ideis generis diverſi, ſed ex una ſæpius poſita componuntur. Hoc modo ideam unitatis repetendo, vel plures unitates eiusdem generis ſæpius ponendo numerorum ideas format.

## §. VII.

III. *Abſtractio* fit, ſi non ad omnia, quæ in re propoſita diſcernere poſſumus, attendimus, ſed ex idea complexa omiſſis una vel pluribus partialibus, aliam vel alias ideas velut ſeparamus, abſtrahimus, & attentioni noſtræ reſervamus; quod fit 1. Si quam rem per partes examinamus, ac ſi eæ ſeparatæ eſſent, etſi haud ſint. 2. Si animadverſa rerum ſimilitudine quadam ad ea duntaxat, quæ ſimilia & pluribus communia ſunt, attendimus, prætermiſſis aliis notis, in quibus eæ res differunt. Hoc modo ideæ ſingularium rerum fiunt generales, & pluribus rebus communes, & generalibus nominibus, quæ adpellativa vocantur a Grammaticis, exprimuntur; ac primo plura individua, quæ in notis eſſentialibus conveniunt, referuntur ad eandem claſſem, ſive ideam generalem, quæ *ſpecies* vocatur, & ***per ſimilitudinem individuorum in notis eſſentialibus conſtituitur***; ſi deinceps diverſas ſpecies contemplamur, ***ex earum in nota quadam eſſentiali ſimilitudine conſtituitur*** alia claſſis rerum, ſive *genus*; uti ſpecies hominum, equorum, canum &c. cum in vi ſentiendi conveniant, pertinent ad genus animal. Si porro & ipſa genera in nota quadam eſſentiali ſimilia eſſe deprehenduntur, al-

tiores generum claſſes, ſive ordines fiunt, nempe ex ſimilitudine generum inferiorum genus ſuperius, ex ſimilitudine generum ſuperiorum denique ſupremum, quod nullum aliud ſupra ſe habet; & quoniam hoc modo ab infimo genere, quod nullum infra ſe habet, usque ad ſupremum varii gradus & quaſi ſcalæ generum, vel idearum abſtractarum conſtrui poſſunt, idcirco ea *genera, quæ aliud & ſupra & infra ſe habent, intermedia vel ſubalterna* vocantur. Porro ſimilitudo individuorum, ſpecierum, ac generum inferiorum non obſtat, quo minus ea in aliis notis differant; Eſt igitur quædam *differentia individualis*, vel ut aiunt, *numerica, qua individua eiusdem ſpeciei diſcrepant*, uti in hominibus forma, figura, locus, tempus, ſtirps, patria, nomen. *Differentia ſpecifica eſt nota illa, qua individua ſimilia, ſive eiusdem ſpeciei differunt ab aliis ſub eodem genere contentis: differentia denique generica, qua genus inferius diſcernitur a ſuperiore.*

*Vis abſtrahendi maxime patet in ideis generalibus unitatis, & numerorum, tum in idea trinæ dimenſionis; ſpectari enim poteſt ſola longitudo e. g. viæ citra aliam notam, vel ſola longitudo, & latitudo, ſeu area alicuius campi, denique longitudo, latitudo, & profunditas dolii multis aliis notis omiſſis. Eandem abſtractionem clare exponit Huetius in cenſura Phil. Carteſianæ c.* 3. §.9. „ *Animus in rebus multis idem quidpiam „ animadvertens, excipit illud e multis, atque inde ideam u„ niverſalem conflat; velut in Petro & Joanne aliisque ho„ minibus ſingulis deprehendens eos eſſe animalia ratione „ prædita, iam neque Petrum neque Joannem, neque ul„ lum ſingularem hominem ſpectans, educit illud, & compo„ nit in unum, quod multiplex fuerat, & generalem illam, „ ac univerſalem conflat & confingit ideam. „ Huc igitur pertinet famoſa ſeries idearum abſtractarum, ſeu arbor Porphyriana, in cuius infimo gradu conſtituitur homo ſingularis e.* g. Caius: *reiectis dein notis individualibus Caii, abſtractaque idea entis, in quo ineſt potentia ſentiendi & ratiocinandi, ſequitur ſpecies* homo: *tum prætermiſſa vi ratiocinandi manet genus* animal. *Si porro ex complexa idea animalis reiicitur ſenſus, & motus ſpontaneus; reſidua eſt alia complexio ex idea corporis, nutritionis, vegetationis, quæ nomine* vi-

Digitized by Google

vivens *latius patente a Veteribus deſignata eſt : deinceps prætermiſſis quibusdam notis manet idea entis extenſi, diviſibilis, ſolidi, quam vox* corpus *exprimit: denique idea & nomen* ſubſtantia, *ac poſtremo* ens *relinquitur. Hic iam intelligi poteſt, quid comprehenſio ideæ, quid extenſio ſit*; Numerus idearum partialium, quas complexa idea continet, eiusdem comprehenſio : aptitudo ad res plures vel pauciores ſignificandas, extenſio ideæ *nuncupatur; utraque in hac idearum ſerie varia eſt; ita ut creſcat extenſio, quando ſeparatione idearum comprehenſio minuitur; & viciſſim ſi additione diverſarum idearum partialium comprehenſio augetur, minuatur extenſio. Verum eiusmodi quidem arbores & lineæ prædicamentales, uti vocant, admodum imperfectæ ſunt, neque ad naturæ cognitionem, vel excolendam mentem magnopere quidquam conferunt. Cæterum ideas quascunque abſtractas una cum generalibus nominibus mens retinet, easque deinceps non conſiderat, uti in natura rerum coniunctæ ſunt, & implicatæ cum aliis ideis, nec quomodo, unde, vel cum quibus ideis advenerint; verum eas ſpectat, ut iam in mente ſunt, ceu rerum archetypa; quas dein res ope generalium vocabulorum ad ideas ſuas, quibus res occurrentes eſſe conformes percipit, refert, cogitando* : hic eſt equus, hic lapis, hoc ferrum &c. *Neque in iis, quæ præ manibus, & oculis ſæpe ſunt, difficilis eſt hæc abſtractio, eaque vel a rudibus fit, & parvulis, quamprimum generales voces arripiunt, uti cum in linteo, muro, creta, lacte eundem percipiunt colorem album, eius ideam abſtractam & communem concipiunt; quam nomine albi & albedinis denotant. Maxima pars vocum, ex quibus omnium gentium ſermo conſtat, generalia ſunt nomina, neque id caſu, ſed ratione & neceſſitate contigit: ſi enim res quævis ſingularis peculiari nomine eſſet ſignanda, in infinitum creſceret multitudo vocum, nec in capaciſſima hominis mente reperiret locum; nunc vero propria nomina, quæ res ſingulares denotant, admodum pauca formarunt homines pro ſermonis, ac vitæ communis neceſſitate, res vero plerasque, quatenus ſimiles ſunt in quibusdam notis, generalibus vocabulis ſignificant; ac ſiquam rem ſingularem notare velint, ge-*

*nerali voci ſignum demonſtrativum, vel aliam ſingularem notam addunt e. g. hæc charta, equi Sempronii.*

## §. VIII.

IV. *Circa ideas ſuas mens verſatur eas ad ſeſe referendo*; non enim neceſſario conſtringimur intra limites rei unius, quam intuemur, ſed ideam rei unius ad alterius ideam referimus, eaque relatione ſeu reſpectu novas ideas mutui nexus rerum, ordinis, dependentiæ, magnitudinis, ſimilitudinis &c. nanciſcimur, novaque nomina, ſeu denominationes ut vocant, & rebus ad ſe relatis, & ſæpe ipſi relationi imponimus; eſt igitur idea *relativa, quæ ex ideis plurium rerum oritur, quæque de uno concipi non poteſt, niſi ſimul concipiatur aliud*: ei opponitur idea *abſoluta, quæ concipi poteſt, quin aliud ſimul concipiatur.* Ea, quæ ad ſe referuntur, vocantur *relata*; & ſi mutuo alterum ad alterum refertur, *correlata.*

*Ideas relativas exprimunt voces: ſimilis, æqualis, prior, Dominus &c., horumque oppoſita: nomina relationis ſunt ſimilitudo, æqualitas, prioritas. Ac nihil eſt, quod non innumeris modis ſpectari, novisque nominibus adfici poteſt per relationem quamdam ad res alias: in quo cogitandi modo, ſi rem expendamus, maxima pars cogitationis, ac ſermonis noſtri verſatur: vel unicus homo ob relationem denominari poteſt pater, filius, frater, avus, nepos, gener, maritus, amicus, inimicus, ſubditus, ſuperior, patronus, cliens, Europæus, Suevus, dominus, ſervus, maior, minor, ſenior, iunior, coævus, ſimilis, diſſimilis &c. quæ voces cum mentem ad alia ducant, quam inſint in ipſa re, non niſi relativæ ſunt. Hactenus recenſui facultates mentis, quibus ideas primo acquirit, acquiſitas retinet, & alias format compoſitione, abſtractione, relatione; de facultate iudicandi, & ratiocinandi non eſt hic agendi locus. Deinceps de idearum diverſitate relate ad obiecta, & ſigna earundem diſſerendum eſt.*

## §. IX.

*Ideas relate ad obiecta divido in ideas ſubſtantiarum, & modorum abſtractorum.* Si in Logica quæritur,

Digitized by Google

tur, qualia ſint noſtrarum cogitationum obiecta, ſic profecto reſpondendum eſt, ut ea adſignetur obiectorum diverſitas, cui diverſitas regularum, quae deinceps ſtatuuntur in Logica, reſpondeat: ſunt autem aliae regulae cogitandi, quando rerum ſubſtantias inveſtigamus; aliae, cum de modis abſtractis agitur, ut ipſo progreſſu docebimus. *Subſtantia*, a Philoſophis paſſim dicitur *ſubiectum perdurabile diverſorum modorum capax*, ſeu *id, quod habet notas conſtantes, & alias variabiles habere poteſt*, ſive denique *id, in quo concipitur ineſſe potentia agendi, vel patiendi*, id eſt, *mutationem efficiendi, vel recipiendi ab alio.* Diverſae ſunt hae voces; ſed idem denotant, ſaltem ſi de rebus creatis loquimur; nam ideae noſtrae ſubſtantiarum (ſi ad ideas magis, uti oportet, quam ad vocabula reſpicimus) non niſi complexiones ſunt ex ideis partialibus earum notarum, quarum alias rei, quamdiu perdurat, & nomen retinet, conſtanter ineſſe, alias variari poſſe obſervamus; ac dicimus, ſubſtantiam quandam in certo *ſtatu* eſſe poſitam, *quatenus conſtantibus, ſeu fixis notis coexiſtunt variabiles*: Porro quia intelligimus, eiusmodi notas, ſeu qualitates ſe ſolis ſubſiſtere non poſſe, ſed in reipſa, quam ſubſtantiam vocamus, ineſſe; idcirco concipimus ſubiectum quoddam, ſeu ſuſtentaculum, in quo notae conſtantes inſunt, & variabiles ineſſe poſſunt; idque adpellamus ſubſtantiam. Siquis vero interroget, cuiusmodi ſit illud ſubiectum, aliud reſpondere non poſſumus; niſi id eſſe aliquid, in quo inſunt notae conſtantes, & aliae variabiliter ineſſe poſſunt, ut adeo *idea ſubſtantiae* nihil aliud ſit, *quam complexio ex partialibus ideis, ſeu notis, quae in aliquo ſubiecto ineſſe vulgo concipiuntur.* Eiusmodi notarum ideas per vim componendi ſpectamus ceu unicam ideam complexam; quia notae partiales ad rem unam pertinent. Eadem componendi vi mens collectivas ſubſtantiarum ideas ſibi effingit ex ideis plurium ſubſtantiarum conflatas.

*Terram, aquam, aerem & ignem, quae ſunt vulgaria elementa, dein plantas, foſſilia, animalia, mentem noſtram, ſpiritus ſeparatos ab omni corpore, imo Deum quoque generali nomine ſubſtantiae adficimus; ſi iam aciem mentis reflectimus in ideas, quas de his-*

*ce*

*ce ſubſtantiis tam diverſis tenemus, facile intelligemus, eas non niſi complexiones eſſe partialium idearum maxime diſcrepantium inter ſe. Idea corporis generatim continet ideas extenſi, ſolidi, diviſibilis, mobilis, dein capacitatem recipiendi, vel in aliis efficiendi mutationes ſenſibilium qualitatum: in mente noſtra potentia cogitandi, & volendi ineſt, tum variæ cogitationes, voluptates, tædia &c. nobiliores cogitandi modos tribuimus ſpiritibus ſeparatis; maximam cognoſcendi, & volendi perfectionem ſpiritui infinito, quem etſi immutabilem cognoſcamus, tamen res varias efficere, & decernere pro arbitrio potuiſſe iam inde ab æterno, intelligimus: in cæteris ſubſtantiis omnibus quaſdam notas conſtantes, alias variabiles nobis repræſentamus: mutantur enim, vel quidem mutari poſſunt, id eſt, agunt, & patiuntur variis modis; ac corpus noſtrum nunc bene, nunc male habet: anima cogitat, adpetit, delectatur, dolet: cera, lapis, ligna, metalla varias & figuras & mutationes recipiunt; aqua calorem & frigus, aer diverſos motus, humiditatem præterea, & ſiccitatem, quæque ſunt infinita generis iſtius, perpetuo nobis ob oculos poſita, ex quibus, quæ ſint noſtræ ſubſtantiarum ideæ, perſpicue cernitur; nam quid ſit agere, pati, mutari pluribus verbis explicari, aut implicari potius, non autem clarius concipi poteſt, quam id ipſa obſervatione, atque attentione ad ideas noſtras docemur. Collectivas ſubſtantiarum ideas exprimunt voces: grex, exercitus, civitas &c.*

## §. X.

Modum ſupra adpellavi quamcunque notam variabilem, quæ in quodam ſubiecto ineſt, vel ineſſe poteſt, uti cogitatio & adpetitio in mente, motus in corpore; *modos abſtractos hic voco ea omnia, quæ concipiuntur per complexam ideam non tamen, ut ſubſtantiæ, ſive ſubiecta realia actionis vel paſſionis capacia, ſed quæ pertinent ad ſubſtantias, vel iis ineſſe poſſunt.* Horum modorum alios *ſimplices* vocat Lockius, *quorum idea complexa fit repetendo unam ideam nulla alia generis diverſi admixta* (§. VI. n. 4.) alios *mixtos*, *quorum idea complexa fit ex ideis diverſi generis.* Eiusmodi modorum & ſimplicium, & mixtorum ideas mens ef-

for-

format vi componendi & abſtrahendi ideas ſenſu vel reflexione acquiſitas, & aliquando eas abſtrahit ab ipſis rebus, quas obſervat, ceu exemplis; aliquando ideas ſuas in varias complexiones conformat, certisque nominibus exprimit; etſi tales notas hoc modo coniunctas nunquam obſervarit in natura. Ad modos abſtractos etiam relationes & denominationes refero; uti cum de nexu rerum, ac dependentia, ordine &c. quæritur.

*Abſtractos vocavi hosce modos, tum quia penitus abſtrahuntur a rebus in natura extantibus, tum quia eos oppono ſubſtantiis, ſive rebus actionis & paſſionis capacibus. Vox,* homicidium, *exprimit modum mixtum; nam homicidii idea complectitur ideas generis diverſi e.g. ideam hominis, quæ ipſa compoſita eſt, malevolentiæ, actionis, motus, mutationis, quæ in corpore hominis cæſi contingit. Talis etiam modus eſt mendacium; eius enim idea ex aliis diverſis componitur, quales ſunt de ſono articulato, de ſenſis animi, quæ ſunt in loquente, & ſignis iſtorum, ſeu verborum coniunctione alia, quam ſit in animo loquentis. Si hominem improbum conſpicio virtutis ſpeciem ſimulantem, idea hypocriſis, quæ eſt modus mixtus, ope experientiæ formari, & ab ipſa re ceu exemplo abſtrahi poteſt: contra vero ſine alio exemplari excogitari poſſunt variæ complexiones idearum, ſeu modi mixti e. g. novum genus contractus, luſus, pœnæ, quale nunquam antea obſervabatur; nec dubium eſt, quin legislatores varia genera actionum, formas iudiciorum, pactorum, pœnarum &c. ſtatuerint, quæ primo non niſi in mente eorum exiſtebant; Hæc quidem omnia, etſi circa ſubſtantias verſantur, non ſunt tamen ſubſtantiæ, ſed modi abſtracti, qualia ſunt definitiones, argumentationes, methodus ſcientifica, quæ in Logica explicantur, notiones generales Ontologiæ, numerorum proprietates, formulæ algebraicæ, ſchemata & complexæ notiones Geometriæ: honeſtum, & decorum, quod Ethica contemplatur: iuſtum, contractus, dolus, aliaque id genus, quæ ſpectantur in Iure naturali. Contra vero Phyſica præſertim ſpecialis, Theologia naturalis, Pſychologia, Medicina, artes mechanicæ in contemplandis, vel tractandis ſubſtantiis maxime occupantur.*

§. XI.

## §. XI.

Ex dictis iam perſpicue intelligitur, quid ſit idea *concreta*, & *abſtracta*. Cum enim notas ſeu adfectiones rerum ſe ſolis ſubſiſtere non poſſe, ſed alteri, ceu ſubiecto ſemper inhærere intelligamus; idcirco *ideæ, quæ ſubiectum una cum nota ſeu adfectione, quæ forma dicitur, repræſentant, dicuntur concretæ*, quia ex idea ſubiecti & idea formæ quodammodo concreſcunt: *idea autem formæ ſolius* vocatur *Abſtracta*. *Albus*, *doctus* ideæ ſunt concretæ, & exhibent ſubiectum aliquod, in quo ineſt doctrina, albedo, quæ ſunt formæ, nomen albi & docti rei tribuentes; unde ſubiectum denominationis, & forma denominans nuncupatur. Si forma a ſubiecto, cui ineſt reipſa non diſtinguitur, concretum vocatur *Metaphyſicum*; ſi diſtinguitur, & abeſſe poſſit, *Phyſicum*; ſi extra ſubiectum eſt, *Logicum*, uti viſus, cognitus: ſi denique forma relationem exprimit, ut ſimilitudo, concretum partim in - partim extrinſecum. Si ad cogitandi & loquendi modos attendimus, mox obſervabimus, non modo veras ſubſtantias, ſed etiam abſtractos modos ceu ſubiecta aliquando ſpectari, in quibus certæ notæ, vel proprietates inſunt, ut ſi virtus pulcra, aut in virtute pulcritudo ineſſe dicitur; quod non obeſt, quo minus ſubſtantias reales a modis abſtractis diſcernamus.

*Sapiens, iuſtus, &c. ſunt concreta metaphyſica relate ad Deum: phyſica comparate ad homines. Veteres concretum quodvis, e. g. doctus ſic exponebant: ens habens doctrinam: cognitus, ſeu ens adfectum cognitione; quæ expoſitio etſi putida videatur; tamen cum ideis noſtris, & nativa ſignificatione vocum congruit; nempe non omnia, quæ cogitata ſunt a Veteribus, ſcriptaque, ceu futilia poſſunt reiici, ut nonnulli homuli faciunt, alieno contemtu doctrinæ laudem aucupantes.*

## §. XII.

*Ideas noſtras cum aliis communicamus vocibus, quæ ſunt ſigna cogitationum ſono articulato expreſſa*; quemadmodum vero quodvis ſignum præter ideam ſui excitat in mente ideam alterius rei ob cognitam connexio-

xionem inter ſignum, & rem ſignificatam; ita vox a nobis percepta tum ſui ideam excitat, tum ideam rei ſignificatæ: idea vocis ipſius *materialis*, idea rei ſignificatæ *ſomalis* dicitur. Qui cum voce, quam uſurpat ore, vel auribus, non niſi materialem ideam iungit, ut nempe vocabulum cogitet, nihil præterea, is nec ipſe ſe, nec alium loquentem intelligit, ſed ſonum inanem, & ſine mente fundit pſittacorum more, quod multo crebrius contingit, ac vulgo credibile eſt.

Uſus ac finis vocum eſt I. *Communicatio cogitationum*; quo etiam *cognitio rerum* pertinet: cum vocis uſus haud ſane ad mentis deliria & ſomnia narranda nobis conceſſus ſit. II. Ut *cogitationes communicemus apte, & ad propoſitum finem docendi, delectandi, vel movendi adcommodate;* de qua re non eſt in præſenti agendum. Ut vero cogitationes noſtras oratione communicemus, neceſſe eſt, ut alter alterius verba intelligat, ſive mentem loquentis aut ſcribentis adſequatur, quod ſit, quando aliquis easdem cum verbis cogitationes iungit, quas loquens, vel ſcribens iungebat. Ad hunc igitur finem duo ſunt neceſſaria, *primo* ut rei, cui ſignificandæ vox adhibetur, idea in promptu ſit; *ſecundo* ut hanc ideam vel rem illa voce ſignificari, uſu vel ſtudio compertum ſit; quo modo idioma quodvis ſeu patrium ſeu peregrinum perdiſci ſolet, dum idea & rei ſignificatæ & vocis ſimul iunguntur, ſive adſociantur, ut deinceps ob legem imaginationis (§. IV.) percepta voce idea rei, vel re percepta vocis idea redeat in mentem. Uti ergo quisque cum verbis loquentis vel ſcribentis easdem cogitationes, vel diverſas, vel nullas plane coniungit; ita recte intelligere, vel male, vel nullo pacto dicitur.

*Siquis concipere nequit, quomodo planeta ex diverſis terræ locis ſpectatus ad diverſa cœli puncta referatur, is vocem* parallaxis *non intelligit; ſiquis vero, quod facile eſt, concipiat, quomodo navis durante curſu certam teneat in mari viam, ſed eam hac voce* loxodromia *exprimi haud didicerit, is pariter hoc vocabulum non intelligit. Per voces autem non modo ſonos ore prolatos, qui prætervolant, ſed etiam ſcripturam*

*ram denotamus, quæ eſt vox permanens & fixa, ad poſteros & abſentes facile commeans. Hæc ſigna cogitationum ſunt arbitraria, ſive ad placitum, quia tota connexio inter voces, & ideam vel rem ſignificatam ab arbitrio inſtituentium, & voluntate Dei vel hominum pendet; neque vero inter vocabulum lapis, & rem eo ſignificatam talis connexio eſt, qualis inter fumum, & ignem, inter reſpirationem & vitam, quæ ſunt naturalia ſigna rei ſignificatæ ob naturalem quemdam nexum, qualis inter voces, & ideas vel res non intercedit; hinc in diverſis linguis eadem res aliter atque aliter exprimitur. Analyſtæ res quasvis notis ſuis pro arbitrio denotant; & quemadmodum numeri Arithmetices nullam rem certam per ſe denotant, ad quasvis tamen res ſignificandas apti ſunt, ita ut idem numerus* 100 *nunc homines, nunc annos, nunc libras indicet; ita notæ calculi literalis, quæ per ſe nullam ideam formalem exprimunt, ad quamvis tamen exprimendam ab Analyſtis initio operationis adſumuntur, eo ſolum diſcrimine (quod ipſum eſt arbitrarium) ut res notæ primis, incognitæ ultimis alphabeti literis deſignentur. Non eſt igitur, cur vaga literarum ſignificatio turbet imperitos, ut, neſcio quæ, myſteria captum tironum ſuperantia elementis calculi literalis contineri autument.*

## §. XIII.

Crebro uſu ita familiares fiunt voces, ut eas ſine peculiari attentione intelligamus, iisque perceptis mox de rebus cogitemus; ac viciſſim cum mente agitamus quidquam, verbis idearum loco ſæpe utimur, & cogitando tacite loquimur nobiſcum, præſertim ſi id, quod animo verſamus, admodum complexas ideas, vel generales, vel de abſtractis modis continet. Qui de albo, nigro, luna, ſole &c. cogitat, fere ideas earum rerum vi phantaſiæ effingit, perinde ac ſi ſenſibus coram perciperet: at cui ideæ complexæ, generales, & abſtractæ e. g. fortitudinis, bonitatis, ſcientiæ, chryſtallisationis, melancholiæ, iuris, providentiæ &c. materiem præbent cogitationibus, is nomina fere idearum loco ponit, ac tenet in mente, non quod ſolam habeat ideam materialem earum vocum, ſed quod vocabulum cogitet, eoque rem aliquam vel adfectionem

rei

rei ſignificari ſibi conſcius ſit. Ob hanc cauſſam recte aliam dicunt ideam & cognitionem intuitivam, aliam ſymbolicam: *Intuitiva eſt, ſiquid præſens ope ſenſus, vel abſens imaginationis ope, vel denique per reflexionem nobis quidquam repræſentamus, & velut coram intuemur: Symbolica, qua ſignis ſeu ſymbolis, præſertim vocibus repræſentamus ea, quæ in ideis continentur, quin ad ipſas ideas iis ſignis contentas ſingulari ſtudio attendamus.* Oculum in pariete depictum vi ſenſus vel imaginationis intuitive cognoſco: at omniſcientiam Dei eodem repræſentatam non niſi ſymbolice: pariter ſi cogito centum, mille &c. fieri non poteſt, ut ſingulas unitates intuear: igitur ideæ iſtæ ſymbolicæ ſunt.

*Hæc igitur velut fundamenta Logicæ poſuimus, declarando in primis, quantum neceſſe erat hoc loco, mentis noſtræ potentias, vi quarum aut primo exiſtunt in nobis ideæ, vel conſervantur, vel in alias atque alias formantur: egi de ſubſtantiarum, ac modorum diverſitate, quia ex hoc iam loco ceu ex fonte omnes præceptiones, regulæque Logices in binos veluti rivos abeunt, ita ut aliter de ſubſtantiis, aliter de modis ac relationibus diſſerendum ſit, niſi velimus implicari per Logicas regulas, ac tenebris involvi in veritatis inveſtigatione. De ideis generalibus, quantum ſatis eſt, videor tractaſſe. A Veteribus quinque illarum claſſes poſitæ ſunt, genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens, quod quidem uti modus, adeſſe vel abeſſe poteſt, quin res ipſa intereat. Proprium nominabant quatuor modis 1. quod ſpeciei convenit ſoli, ſed non toti, ut eſſe doctum. 2. quod toti competit, ſed non ſoli, ut, eſſe bipedem. 3. quod toti & ſoli convenit, ſed non ſemper, ut ſermocinari. 4. quod ſemper, ſoli ac toti convenit, uti admirari poſſe. Voces, quibus exprimuntur ideæ, vocant terminos, quorum eadem diviſio, ac idearum: alii enim ſingulares ſunt, qui ideam vel rem ſingularem; alii communes, qui ideam communem, ſeu generalem & abſtractam denotant: Terminus & idea particularis eſt, quæ rem unam, ſed modo quodam indeterminato exhibet e. g. aliquis fur. Quemadmodum vero idearum aliæ aliis latius patent, & pluribus conveniunt, ceu idea ſubſtantiæ latior eſt, ac maiorem extenſionem habet, quam idea animalis; ita alius di-*



Google

*dicitur terminus* ſuperior, qui pluribus rebus convenit, *ceu ens*; *alius* inferior, *ceu vivens*.

# CAPUT II.

## *De Analyſi Idearum.*

*Analyſis vel reſolutio idearum fit, ſi notæ partiales, quas idea complexa continet, ſingillatim ſpectantur, & evolvuntur, uti in definitione, & diviſione contingit; inde nova genera idearum exiſtunt.*

## §. XIV.

*Idea dicitur clara, quando eius obiectum facile agnoſci, & ab aliis diſcerni poteſt: ſi de perceptione obiecti ſumus dubii, eſt obſcura.* Claritas ideæ pendet a perfectione organi, ab impreſſione magis, vel minus valida, atque ab attentione animi, vel relate ad præteritas perceptiones a facultate retinendi ideas acquiſitas; quemadmodum, ut imago clare imprimatur ceræ, perfectio quædam ſigilli requiritur, dein impreſſio ſatis valida, denique diſpoſitio apta ceræ, ne nimis dura ſit, vel mollis; & ſi iam olim imago impreſſa fuit, ut clara maneat, opus eſt, ne uſu obliteretur. Ex claritatis gradu ideæ vivaces, vel languidæ denominantur.

*Luce meridiana rem clare conſpicio: naſcente vel deficiente die obſcure; pariter dici ſolet: clare percipio ſonum, odorem fumi, ſaporem acidum vini, ſcabritiem plani.*

## §. XV.

*Siqua idea complexa tot continet notas, quot ſufficiunt rei ſemper agnoſcendæ & ab aliis diſcernendæ, completa dicitur*: ac quidem *determinata*, ſi tot præciſe, non plures, pauciores ve notas continet, quam rei agnoſcendæ, & ab aliis diſcernendæ ſufficiunt; completæ ideæ generatim opponitur incompleta, determinatæ indeterminata, eaque vel abundans, vel mutila ſeu vaga. *Ideæ, quæ omnes notas rerum, ad quas illæ velut ad exemplaria referuntur, repræſentant, vocantur adæquatæ*, quales ſunt, quæ & omnes notas ge-

generis diverſi, & ſingularum notarum alias notas exhibent, hoc eſt, ſi ideæ partiales eo usque reſolvuntur, donec ad irreſolubiles ſeu ſimplices perveniatur.

*Diſtinctæ* notiones generatim vocantur *eæ, in quibus plures partiales ideæ ſeorſim agnoſcuntur, & diſcernuntur:* his opponuntur *confuſæ;* patet vero diſtinctas ideas quosdam perfectionis gradus habere, magisque diſtinctas eſſe, quæ plures ideas partiales exhibent, quam quæ pauciores; ut igitur determinetur, quando diſtincta idea, quando confuſa ſit dicenda, eam ego *diſtinctam ideam* adpello, quæ *tam completum, fixumque notarum numerum continet, ut hoc potius, quam alio vocabulo conſtanter exprimi debeat: confuſa erit, ſi numerus notarum, vel partialium idearum, aut non ita completus, aut non ita fixus eſt, ut hoc potius, quam alio nomine exprimi debeat.* Iſtuc fit 1. quatenus ob paucitatem notarum nullum ſpecificum nomen rei tribui poteſt. 2. Si eidem ideæ modo hoc nomen, modo aliud diverſi ſignificatus tribuitur. 3. Si addita vel demta vel immutata nota quadam idem nomen imponitur, cum aliud imponendum eſſet; in primo & altero caſu numerus notarum non ſatis completus, in tertio non conſtans & fixus eſt, propterea quod is numerus aut nunquam diligenter eſt animadverſus, aut memoria iam excidit; Diſtinctio igitur, & confuſio pendet ex relatione ad diverſas voces, quibus ideæ diverſæ exprimi ſolent.

*Ideæ confuſæ ſunt* 1. *ſiquid eminus conſpicio, nec ob inopiam notarum diſcernere poſſum, homone ſit, an beſtia: quatenus diſcerno, eſſe animal, quod ſe movet, relate ad hoc nomen idea per me diſtincta adpellari poteſt: ſed relate ad nomen magis ſpecificum eſt confuſa.* 2. *Siquis figuram quadrilateram, cuius oppoſita bina latera ſunt parallela, nunc quadratum vocet, nunc rectangulum, alias rhombum, alias rhomboidem: quo caſu eadem idea quatuor latera & paralleliſmum exhibens, in mente eſt, ſed cui aliud atque aliud nomen tribuitur; idem fit, ſi complexio idearum corporis duri, flavi, certo pondere præditi nunc aurum, alias aurichalcum adpellatur.* 3. *Epicurus quibusdam locis negat*

*voluptatis ideam concipi poſſe, quæ illecebris & titillatione ſenſuum non conſtet, aliis locis ſiquis virtute, ſapientia, honeſtate delectetur, pariter voluptatis voce citra diſcrimen utitur, atque ita ideis maxime diſcrepantibus idem nomen imponit; adhibere is poterat generalem voluptatis vocem, niſi eandem ad motum ſenſuum ante adſtrinxiſſet.*

## §. XVI.

Notio diſtincta & determinata rei verbis expreſſa, ſive *oratio tot præciſe rei notas enumerans, quot ſufficiunt rei agnoſcendæ, & ab aliis diſcernendæ*, nuncupatur *definitio rei, vel nominis*: res vel nomen, *definitum.* Uti autem notæ enumeratæ, vel eſſentiales ſunt, vel attributa, modi, ſeu quævis proprietates conſtantes, ita definitio in primo caſu eſſentialis, in aliis accidentalis, ſeu deſcriptio nuncupatur. Notandum vero, eſſentiam duplici modo ſumi, I. *Pro congerie certarum notarum, quæ in ſubſtantiis obſervantur* (§. IX.) cui complexioni notarum imponimus certum nomen e. g. auri, lapidis, flammæ, quod dein nomen rebus obviis tribuitur, in quibus eadem notarum complexio reperitur, dicendo: hoc eſt aurum: hæc gemma. Hæc congeries notarum (ſi de corporeis ſubſtantiis agitur) adpellari poteſt *eſſentia nominalis*, cui nomen generis vel ſpeciei eſt impoſitum. II. *Eſſentia realis, uti a nominali diſtinguitur, eſt id, per quod res eſt, quod eſt, ſive quod ſui rationem non continet in alia nota, vel aliis notis rei internis, ipſum vero aliarum notarum, quæ rei conſtanter inſunt, vel quatenus variabiliter ineſſe poſſunt, rationem continet.* Hanc eſſentiæ realis notionem tum ipſa vis nativa huius vocis, tum receptus in ſcientiis ſignificatus indicat.

## §. XVII.

Ut regulæ definiendi ſatis intelligantur, definitionum uſus ante explicandus eſt. In ſcientiis igitur definitiones conduntur.

I. *Ut vagi termini figantur, & æquivocatio tollatur*, quantum quidem fieri poteſt. Qui cum termino notionem iungit, cui ſignificandæ in quoti-

tidiano ſermone adhibetur, *uſum loquendi* retinet: qui vero ei notionem adfigit, cui denotandæ adhibetur in ſcientiis, obſervat receptum in *ſcientiis ſignificatum.* Eadem vox, uti *ratio*, in aliis ſcientiis aliud atque aliud ſæpe indicat; egent ſcientiæ vocibus propriis, ut breviter ac perſpicue diſcernant ea, ad quorum differentiam vulgo non attenditur; hi ſunt termini technici. VV. Dialectici aiebant: æquivocum prius dividi, quam definiri; univocum (id eſt, quod pluribus eodem ſignificatu tribuitur) prius definiri, quam dividi oportet.

II. *Ope definitionum, quæ in ſcientiis ſtatuuntur, res particulares ad ſuas ſpecies vel genera reducendæ ſunt*, ut dein ea, quæ de generibus ac ſpeciebus univerſe demonſtrata ſunt in ſcientiis, iisdem particularibus rebus ad ſuas claſſes reductis tribui queant; quo ſenſu aiunt: ſcientiæ agunt de univerſalibus; uſus igitur definitionum, ac præcipuus finis eſt reductio rerum particularium ad genera vel ſpecies.

*Logica definit, quid ſit experientia: Geometria, quid Circulus & Ellipſis: Iurisprudentia, quid Contractus e. g. ſocietatis: Medicina, quid Paralyſis; ſi iam notæ in definitionibus recenſitæ obſervantur in re quadam obvia, eidem rei tribuitur nomen generis vel ſpeciei; contra ſi eæ notæ in re quadam non reperiuntur, id nomen de illa negatur; uti ſiquis experientia probare velit, eſſe in plantis animam vegetativam: Dialecticus autem norit, id duntaxat experientia probari poſſe, quod vel externos ſenſus vel intimum adficit, & percipi quodam modo poſſit; atqui, inquiet, anima vegetativa neque adficit ullum ſenſum, nec quid ſit omnino, ulla ratione percipi poteſt: igitur anima vegetativa nequit probari experientia. Keplerus adcurate obſervans planetarum viam, in ea notas deprehendit Ellipſi, non circulo proprias: hinc in exhibenda planetarum orbita Ellipſin ſubſtituit circulo, quo omnes ante eum Aſtronomi utebantur. Eodem modo iurisperitus ex notis vel conditionibus certi contractus concludit, illum eſſe contractum ſocietatis, aut Medicus ex indiciis morbi infert, eſſe Paralyſin.*

## §. XVIII.

*Regula I.* definitionis eſt, *ut ea clarior ſit ſuo definito*; id obtinetur enumerando notas, vel ideas partiales; ſecus ſciri non poteſt, an notæ, quæ in re particulari obſervantur, etiam in definitione inſint. Sequitur I. ut definitum non ingrediatur definitionem, uti, circulus eſt ſpatium circulare; non enim res ipſa, ſed rei notæ enumerandæ ſunt. 2. Definitio non ſit negativa; ſecus ſcitur, quid res non ſit: neſcitur, quid ſit. 3. In definiendo vitetur circulus vitioſus, qui fit, ſi A per B, & B per A explicatur, conſequenter idem per idem, & obſcurum per obſcurum. 4. Ut vitentur, ſi fieri poſſit, verba translata & impropria, obſcura vel inuſitata, quia propriæ rei notæ exhibendæ ſunt.

*Prima dos omnis quidem orationis, quæ ad ſenſa animi communicanda nobis data eſt, ſed definitionis inprimis eſt perſpicuitas; definitiones, queis res definita diſcerni nequit, ſicut imagines VV. Pictorum ſunt, quarum prototypa non agnoſcebantur, niſi nomen eſſet ſubſcriptum. Ariſtoteles Platonem reprehendit, quod in oculo definiendo uſus ſit peregrina voce ciliumbris, quaſi oculus eſſet, quod obumbratur a cilio. In ſcientiis definitiones quodum ordine ponuntur, quo præmittuntur eæ, quarum definita continentur in definitionibus ſubſequentibus; hinc niſi præcedentes penitus comprehenſæ ſint, & memoriæ infixæ, haud mirum videri debet, ſi obſcuræ videantur ſubſequentes; non id quidem vitio ſcientiæ, vel ſcriptoris, ſed legentium. Contingit quoque, ut, quæ minus nota cuidam videtur, in ſe magis perſpicua ſit definitio; propterea quod ea proprias rei notas revera exprimat; idcirco Ariſtoteles L. VI. Topic. ait: ſalubre ſimpliciter eſt, non quod omnibus, ſed quod corporibus bene adfectis eſt conducibile ad ſanitatem: ita nota ſimpliciter ſunt, non quæ perſpicua videntur omnibus, ſed quæ intellectui bene diſpoſito. Negativa quoque definitio uſui eſt· 1. Si de oppoſito data eſt definitio poſitiva. 2. Si cui inhæret deceptrix idea rei, de qua agitur; ut ſi velis de animi demiſſione loqui, neceſſe eſt, ſpurias ideas eius virtutis ex plurimorum mente antea tollas per definitiones negativas. 3.*

*Ea-*

*Eadem, ſi poſitivæ, & genuinæ definitioni præmittitur, exſpectationem quandam, atque attentionem conciliat.* 4. *Ut ex oppoſitione magis clareſcat ipſa definitio.* 5. *Sæpe facilius eſt dicere, quid res non ſit, quam quid revera ſit, modo aliquæ ſaltem notæ poſitivæ indicentur quoquo modo, ut, ſi de pulcritudine Dei velis diſſerere. Definitio quoque ſpiritus paucas notas poſitivas, multo vero plures negativas complectitur.*

## §. XIX.

*Regula II. Definitio conveniat omni & ſoli definito*; ſecus uſus eiusdem & adplicatio fieri non poteſt; ſi enim non ſoli competit, non poterunt res particulares ſub nomine definito contentæ ab aliis rebus diſcerni; ut, ſi hominem dicas ſubſtantiam intelligentem, homo a ſpiritu ſeparato diſtingui nequit: ſi vero definitio non omni convenit, ea adplicari non poteſt ad res omnes ſub nomine definito comprehenſas. In priore caſu definitio eſt latior ſuo definito, in poſteriore anguſtior; neceſſe eſt autem, ut definitio & definitum æqualem extenſionem habeant, ſive ut definitio converti poſſit cum definito e. g. omnis homo eſt animal ratione præditum: & viciſſim omne animal ratione præditum eſt homo: atque hæc converſio indicio eſt, an definitio ſit genuina.

## §. XX.

Regula III. *Definitio ſit brevis*; quia neceſſe eſt, ut definitiones memoria retineantur, & in promptu ſint, dogmata ſcientiarum ad vitæ negotiorumque uſus adplicantibus; quapropter reiici debent notæ, quæ per alias in definitione poſitas ſatis intelliguntur, & quibus reiectis definitum adhuc ſecernitur ab omnibus aliis rebus etſi ſimillimis. Ut brevitas definitioni concilietur, volunt eas conſtare genere *proximo*, quo uno omnes ſuperiores notæ continentur, & differentia ſpecifica, ut ab aliis rebus definitum ſegregetur, quod inprimis eſt neceſſarium; in nota animalis, quæ eſt genus proximum relate ad hominem, continetur vivens, corpus, ſubſtantia, quæ ſunt notæ ſuperiores in linea prædicamentali §. VII.

*Ad hæc capita Quintilianus L. VII. Inſt. definiendi leges revocavit; definitio, inquit, eſt rei propoſitæ propria, dilucida, & breviter comprehenſa verbis enunciatio. Atque iſta quidem velut theoriam de idearum reſolutione continent, cuius adplicatio quædam nunc exhibenda eſt.*

## §. XXI.

Propoſitio. *Analyſis idearum terminatur in ſimplicibus ideis, quæ definiri nequeunt, omnesque ſunt adæquatæ: ſola claritate differunt.*

Prob. Reſolutio idearum nequit in infinitum continuari, ut perſpicuum eſt, quia omni in re progreſſio in infinitum repugnat, uti Metaphyſica oſtendit; & quamprimum in complexis ideis reſolvendis ad ſimplicem mentis conceptum ſenſu vel reflexione acquiſitum ventum eſt, nullæ deinceps in eo notæ, nullæ ideæ partiales poſſunt concipi vel explicari: igitur tum finem, ac terminum habet analyſis. Ex his intelligitur, quod ſimplices ideæ nequeant definiri, quia definitio fit enumeratione notarum; nec vero illæ definitione egent; in his enim homines fere conſentiunt, nec quidquam magis perſpicuum eſt, quam perceptio earundem, quia nihil complicatum, nihil mixtum, nihil involutum, ſed unicam & uniformem ſpeciem vel mentis conceptum continent. Ob eandem cauſſam ideæ ſimplices ſunt adæquatæ, quia in alias notas reſolvi nequeunt. Quod claritate differant, quisque experitur (§. XIV.) ac puto claritatem vel obſcuritatem ſolis ideis ſimplicibus propriam eſſe, etſi uſus loquendi, qui maxime inconſtans eſt, non conſentiat; complexæ vero ideæ non aliter claræ vel obſcuræ dicuntur, niſi quatenus ſimplices in complexa contentæ iſtiusmodi ſunt.

## §. XXII.

Reſolvenda hîc ſunt dubia, quæ de ſimplicibus ideis oriri poſſunt. 1. *Alii Philoſophi ideam albi, unitatis, exiſtentiæ, ac ſimiles, quas ſimplices vocamus, adpellant confuſas; recte ne?* R. Confuſio ex vi vocis non niſi inter res vel ideas plures poteſt concipi; idea albi, unitatis &c. unicus & ſimplex mentis conceptus eſt,

eſt, ut reflectenti patet. Non igitur ratio adparet, cur iſtiusmodi ideæ dicantur confuſæ. 2. *In albo, ſapido, &c. diſtingui poſſunt plures gradus albedinis, dulcitudinis &c. igitur eiusmodi ideæ ex pluribus vel paucioribus gradibus ceu partibus componuntur.* R. Eiusmodi gradus & partes ſunt omnino fictitiæ & imaginariæ; ſi huius, quæ in charta eſt, albedinis ideam iterato pono, ac repeto, non oritur in me idea maioris albedinis, ſed eadem manet, ac antea: contra ſi unitatis, ſi certæ extenſionis ideam quodammodo itero, ac ſæpius poſitam concipio, idea numeri, vel extenſi maioris naſcitur; igitur hi gradus *albi*, *dulcis*, non pertinent ad modos complexos ſimplices, ſed ſimplices ideæ ſunt. Si aliud alio magis album dicitur, non idea complexa, ſed relativa habetur. 3. *Si dicam: color coccineus eſt, quem præ ſe fert certus pannus tibi iam viſus; nonne hæc definitio quædam eſt?* R. Eſt hic non niſi modus ideam ſimplicem ſenſu acquiſitam reproducendi, quæ niſi ſenſu primum ſubiiſſet mentem, nullis verbis, nullo ſtudio definiendi, nulla ſpeculandi vi acquiri poſſet in hoc mortali ſtatu. 4. *Ideæ ſimplices lucis, colorum, ſaporum &c. a Philoſophis definiuntur reipſa: ergo eædem poſſunt definiri*; Ariſtotelici aiunt, lumen eſt actus perſpicui, quatenus perſpicuum eſt; Carteſiani aiunt: lumen eſt magna multitudo globulorum oculi fundum ferientium: alii Semi-Carteſiani, imo ipſi Neutoniani quoque diſtinguunt inter lumen ut eſt qualitas formalis, ſive ſenſatio mentis: & qualitas obiectiva, ſeu adfectio vel motus rei, quam tenuiſſimum effluvium eſſe aiunt ex corpore inflammato emanans; igitur lumen definitur reipſa R. Lumen definitur, quatenus ſuppoſita iam idea per ſenſum acquiſita, oſtenditur origo huius ideæ; non vero quod ipſa hac definitione idea primo ingeri poſſit; quantocunque conatu has definitiones Ariſtotelicas, vel Carteſianas doceas hominem, qui iam a primo ortu cæcus eſt, nunquam is ullam ideam lucis, vel coloris concipiet; profecto alia eſt idea rei ipſius definitæ, alia idea cauſſæ, unde ea oritur; ſi dolor a ſeparatione partium organicarum oritur, non eadem & doloris & ſeparationis idea eſt; nec qui alterius caput amputari videt, doloris, qui inde oritur, ideam

habet: pariter ſi voluptas ex intuitu perfectionis gignitur, tamen alia idea perfectionis, alia voluptatis eſt: alia itidem idea pudoris, alia acerbæ exprobrationis, quæ pudorem in homine ingenuo elicit; & ſi ira ut Aristoteles ait, ebullitio ſanguinis eſt circa cor; tamen alia iræ, alia huius ebullitionis idea, vel perceptio eſt. 5. *Si definiendo nulla nova idea acquiri poteſt, inutilis eſt definiendi labor;* R. Definiendo nulla nova idea ſimplex, at nova complexa, quæ quadam voce exprimitur, acquiri poteſt; ſiquis enim ſimplices ideas, quas in complexam iungit definitio, mente tenet, is ſimplicium certa coniunctione, quam ante ignorabat, novam ideam complexam acquiret definiendo rem talem, quam antea ſenſibus uſurpavit; hoc modo novum machinæ genus, aut lucem borealem vel zodiacalem explicabo ei, qui nullam unquam vidit; eodemque modo de reſurrectione mortuorum coniunctione ſimplicium idearum, quibus ante imbuti ſunt homines, diſſeri poteſt. Iis autem, qui definiri petunt, quid ſit lux, ſonus, exiſtentia, unitas, &c. reſpondebo eſſe id, quod omnes experimur, ſi ſenſu ſano vel reflexione utimur. Quemadmodum igitur Phyſici docent, in mundo materiali nec minimum materiæ elementum educi ex nihilo poſſe vi creata, nec in nihilum redigi, omnem vero potentiam agendi, ac mutationem ſola compoſitione vel ſeparatione elementorum contineri; ita omnis facultas cogitandi vel definiendi, nullam ſimplicem ideam, quæ ſenſu vel reflexione in animum non ante illapſa eſt, efficiet, neque quampiam delebit, niſi quæ veluti ſua ſponte mente effluit; quo quidem ſenſu multo maioris momenti eſt ars obliviſcendi, quam recordandi, quemadmodum, ut Cicero L. II. de orat. narrat, Themiſtocles, cum doctus homo atque inprimis eruditus artem memoriæ ſe illi traditurum pollicitus eſſet, artem obliviſcendi ſe habere malle aiebat.

## §. XXIII.

Propoſitio II. *Nullæ ſubſtantiarum ideæ ſunt adæquatæ, neque definitiones earum eſſentiales, intelligen-*

*do*

*do eſſentiam realem corporum: contrarium fere fit in modis abſtractis.* Prob. 1.mum Ideæ adæquatæ ſunt, quæ omnes proprietates & notas rei, ipſarumque notarum notas usque ad ſimplices exhibent; iſtiusmodi non ſunt noſtræ ſubſtantiarum ideæ: nam ad notas maxime etiam pertinent potentiæ efficiendi vel recipiendi varias mutationes ex adplicatione aliorum corporum; tales potentiæ in corporibus ſunt propemodum infinitæ, ut patet ex variis mutationibus, quæ in animalibus, plantis, metallis fiunt, vel quas varia corpora in manibus Chemicorum ſubeunt, ut adeo ne in uno quidem corpore explorare poſſimus omnes proprias notas ac potentias; multo minus id in omnibus fieri poteſt, ut ſubſtantiarum ideas adæquatas habeamus ex collectione omnium proprietatum, quibus gaudent, conflatas; idcirco homines pro varia ſollertia experiundi, proque uſu, quo diverſa corpora tractant, plures paucioresque earum proprietates perſpectas, adeoque ideas magis vel minus adæquatas habent; alius in auro ultra colorem, pondus, duritiem, & pretium externum, quo apud homines eſt, vix quidquam compertum habet, alius ductilitatem & fuſibilitatem, alius etiam ſolubilitatem in aqua regia adiungit. Contra in modorum abſtractorum notione e. g. gratitudinis, modeſtiæ, ſcientiæ &c. facilius ideas partiales omnes, harumque notas usque ad ſimplices complecti & diſcernere poſſumus, ita, ut, quidquid in ſe continent, a nobis quodammodo exhauriatur.

Prob. 2.dum Ideæ noſtræ corporum non niſi complexiones ſunt notarum in ſenſus maxime incurrentium; igitur non exhibent eſſentias reales corporum, quia eæ notæ ſeu qualitates non ſunt primæ, ſed Phyſicorum conſenſu ab intima conſtitutione & compoſitione minimarum partium, viriumque derivantur; quæ partium & virium compoſitio revera primum atque unicum fundamentum eſt, cur hæ qualitates ſeu notæ, non aliæ in variis corporibus inſint, aut ineſſe poſſint; porro cum interna illa veraque textura minimarum partium, & compoſitio virium, quibus pollent, penitus ignota ſit nobis, neque vi ſenſuum aut ratiocinio adhuc eruta, manifeſte ſequitur, definitiones ſubſtantiarum non niſi nominales eſſentias, haud rea-

les

les exprimere : contra modorum abſtractorum ideæ & nominalem & realem eſſentiam exhibent, cum abſtractæ ideæ ſint, quibus nomen generis vel ſpeciei eſt impoſitum, & quia præterea fundamentum ſunt, aut veluti fons, unde omnes proprietates hisce modis competentes derivantur.

*Color flavus auri, ſolubilitas in aqua regia &c. nequeunt profecto notæ primæ & eſſentiales dici, quia eædem ex partium materiæ viriumque compoſitione derivantur: hæc vero interna compoſitio ſive realis eſſentia incognita eſt, nec minus remota ab intelligentia noſtra, quam interna fabrica præclaræ machinæ ab oculis hominis rudis, qui non niſi figuram externam, motumque intuetur. Nullus vermiculus eſt, nulla herbula, cuius realis eſſentia humanum ingenium non eludat; quapropter definitiones ſubſtantiarum non niſi proprietatum externarum expreſſiones, ſeu veræ deſcriptiones ſunt, ſimiles ei, quam Tullius L. I. de Nat. Deorum habet: Ibes ſunt aves, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro, quæ avertunt peſtem ab Ægypto, cum volucres angues ex vaſtitate Lybiæ vento Africo invectas interficiunt, atque conſumunt. Siquas ſubſtantiarum proprietates quærimus, eæ non ex definitionibus earundem deduci, ſed obſervandi, atque experiendi ſtudio repiriri poſſunt; contra vero ex notione trianguli ceu modi abſtracti omnes deinceps eius proprietates, quæ nobis notæ ſunt, derivantur. Egi hic de eſſentia reali corporum, ne in tricas incidam ob decantatam eſſentiæ hominis ideam: homo eſt animal rationale; quod fere unicum eſt definitionis eſſentialis exemplum, quod de ſubſtantiis adferunt; nam illa omnino putida ſunt: equus eſt animal hinnibile, canis animal latrabile. Diſcrimen, quod ſtatui inter modorum, & ſubſtantiarum definitiones, proxime attingit Cicero in Topicis, his verbis: „ Definitionum duo ſunt genera prima: unum earum „ rerum, quæ ſunt: alterum earum, quæ intelliguntur. Eſſe dico ea, quæ cerni, tangive poſſunt: ut „ fundum, ædes, parietes - - Non eſſe rurſus ea dico, „ quæ tangi, demonſtrarive non poſſunt, cerni tamen „ animo, atque intelligi poſſunt: ut ſi uſucapionem, ſi „ tutelam - - definias, quarum rerum nullum ſubeſt*

*qua-*

„ *quaſi corpus, eſt tamen quædam conformatio inſigni-*
„ *ta, & impreſſa in intelligentia, quam notionem voco.*

## §. XXIV.

Quæri poteſt I. *Quid inter Rhetorum & Dialecticorum definitiones interſit?* R. Omnis definitio, ut Cicero ait in Topicis, quaſi involutum evolvit id, quod quæritur; quod fit evolutione notarum, quæ latius, ac pluribus verbis ab Oratore, anguſtius, & preſſius a Dialecticis enumerantur. Iſtiusmodi notæ partim ſunt *communes aliis rebus a re definita diſcrepantibus, partim propriæ huic ſoli.* Hinc Tullius de Partit. oratoria, definitio, ait, genere declaratur & proprietate quadam: & in Topic. Sic igitur Veteres præcipiunt, cum ſumſeris ea, quæ ſunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo perſequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri queat; idque declarat definiendo, quid ſit hæreditas, in qua aliquid commune aliis acquirendi modis, aliud huic proprium eſt. 2. *Notæ rerum ſunt quævis qualitates, & proprietates conſtantes*, de quibus non conſtat, an eſſentiales ſint, uti ſit in deſcriptione plantarum, animalium, metallorum. 3. *Notæ rerum præcipue arte factarum ſunt materia, ex qua conſtant, deinde forma, uſus quoque, & finis, ſæpe etiam cauſſa efficiens.* Philoſophi definitionem, quæ oſtendit, quo modo res fiat, vel producatur, vocant *Geneticam*, uti ſiquis figuras Geometriæ definiat exhibendo modum, quo deſcribuntur. Hac ratione medicamenta, ciborum varia genera, inſtrumenta, & machinæ ſolent definiri; ut ſi cum Lactant. L. II. C. 5. Inſt. ſphæram Archimedis deſcribas: *æs concavum, variis circulis, æquatore, Zodiaco, Coluris, Tropico, definitore confectum, in quo ſimilitudinem mundi, ac figuram Archimedes machinatus eſt &c.* 4. *Notæ rerum ſunt effectus, & conſecutiones rerum.* Hoc modo ebrietatem, delirium, morbos corporis, imo & animi potentias, ac habitus non niſi ex effectibus, & operationibus definimus. 5. *Sunt etiam notæ quædam negativæ* (§. XVIII. Schol.) Ad illas pertinent diſſimilia, repugnantia, contraria, quibus Rhetores

res illuſtrant, ac dilatant definitiones ſuas. Eiusmodi notæ negativæ maxime uſui ſunt in deceptricibus ideis tollendis, confuſioneque vocum, & idearum impedienda; tum enim prius dicendum eſt, quid res non ſit, quam genuina eius definitio adferri poſſit. Confuſioni maxime obnoxii ſunt modi abſtracti, qui proin magis egent definitionibus, quam ſubſtantiæ, quia in his fere inſignes qualitates, per quas altera ab altera diſcernatur, in ſenſus incurrunt; nec quisquam facile lignum adpellat ferrum, aut piſcem ſcorpionem, aut ovum lapidem, quoniam eiusmodi res præ oculis, & in manibus hominum ſunt. Contra de modis abſtractis plurimi deceptrices ideas per omnem vitam ſovent, ceu de gloria, modeſtia, & in ſcientiis de methodo ſcientifica. Hinc uſu venit, ut vitium virtutis nomine ſæpe veniat, & crudelitas, vel acerbitas vocetur iuſtus rigor, conniventia vero lenitas, ut temeritas ſit fortitudo, prodigalitas dicatur liberalitas, avaritia autem parſimonia. Rhetores, quando de iſtiusmodi abſtractis modis. e. g. de virtute, vitiove differunt, ea exemplis ſingularibus illuſtrant, ut notæ in definitione generali contentæ magis eluceant, & cognitio ſymbolica revocetur ad intuitivam. Imo ex caſibus ſingularibus, in quibus vox adhibetur modum abſtractum denotans, eiusdem notio deducitur, uti ſi ex factis, dictis, ac moribus eorum, qui pro magnanimis habiti ſunt, generalem magnanimitatis notionem abſtraham; quod ab Aristotele factum eſt L. II. Poſter. C. VIII. Ex his intelligitur, niſi fallor, unde Rhetores ubertatem definiendi petant, præſertim cum ad eiusmodi notas tam varii generis exhibendas, ſimilitudinum quoque & translationum, atque imaginum allegoricarum campus iisdem pateat, Dialecticis vero interclusus ſit.

*Utuntur non modo Rhetores, ſed Dialectici quoque etymologia, quam Tullius notationem verbi. alii inepte definitionem nominis adpellarunt; quæ etſi putida ſit aliquando, & puerilis; tamen emphaſin vocum, & ideam, quam VV. ſubiecerunt vocibus, ſæpe aperit: multum eruditionis habet, quia verborum originem detegit, ut Plato in Cratylo, & Lucilius Balbus apud Tullium L. II. de Natura Deor. oſtendit. Hiſtoriæ quoque ſervit, uti, ſi quis indicet, unde dicti Philoſophi, Bruti, Torquati.*

§. XXV.

## §. XXV.

Quæri poteſt II. *an arbitrariæ ſint nominum definitiones.* R. I. Quivis facultate pollet componendi ideas, easque in certas complexiones conformandi, quas certo vocabulo abs ſe denotari, ſuo veluti iure declarare poteſt, præſertim ſiqua vox, quam ſeligit, incerti & vagi ſignificatus ſit. 2. De re eadem vel genetica definitio, vel nominalis, quæ in notarum evolutione ſita eſt, ſtatui poteſt. 3. Sæpe quævis notæ, quæ ab aliis pro derivativis habentur, ab aliis adſumuntur pro primitivis, modo eas inter ſe non pugnare oſtendatur. Hoc quidem ſenſu arbitrariæ per me dici poſſunt nominum definitiones. Verum addendæ ſunt nonnullæ regulæ.

I. Subſtantiarum ideæ ac definitiones ſua archetypa, in natura habent, quibus adcommodandæ ſunt; neque, ut lubet, ita definire licet gravitatem corporum, ſolutionem chemicam &c.

II. Si vocum poteſtatem ac vim Deus, vel legislator humanus definivit, uti in re morali ſæpenumero factum novimus, in arbitrio noſtro haud eſt, aliam iis notionem adfigere. Qui hæc nomina, *fur*, *ſacrilegus*, *fornicatio* &c. aliter, quam ex mente legislatorum uſurpat, viam aperit eludendi omnes leges.

III. Univerſe non oportet a loquendi uſu, & recepto in ſcientiis ſignificatu temere, ac levi de cauſſa recedere, præſertim, niſi lector vel auditor commonefiat de nova idea voci ſubiecta. Qui voces paſſim uni ſignificationi alligat, quas alii recepto iam uſu alii ſubiciunt, is nugas agit, nec intelligi vult, & velut duabus linguis loquitur. Sed enim quidam homines mentem ſuam penitus aperire non audent, & data opera fallunt imperitos, communibus vocibus utentes, ſed longe diſpari ſenſu, quem non niſi ex tota ſerie doctrinæ, quam adferunt, ægre tandem eruas; id quod in negotio religionis non raro uſu venit, ut eadem voce diverſam ac alii, complexionem idearum denotent. Qui in computis ac negotiis pecuniariis eundem numerum nunc pro hac, nunc pro alia collectione unitatum adhibere velit, næ is deceptor intolerandus audiret? at in ſermone fraus tanto turpior, quo pluris veritas, quam pecunia facienda

da eſt. Alii cum impares ſe videant rebus præclaris & momenti alicuius excogitandis, & proferendis in lucem, totam operam ſuam ad novandas definitiones conferunt, quaſi dictatorio iure, quid literati viri per voces deſignare, ac intelligere deinceps debeant, præſcribere queant. His, credo, idem, quod Zenoni ac Stoicis exprobravit Tullius L. IV. de Finib. reſpondendum eſt: *Hæc videlicet eſt correctio Philoſophiæ veteris, & emendatio - - quis ferre poteſt nomina rerum commutantem, cumque idem ſentiret, quod omnes, quibus rebus eandem vim tribueret, alia nomina imponentem, verba modo mutantem, de opinionibus nil detrahentem.* Sed aiunt, adcuratiores ſe notiones adferre; ſit ita ſane; ſi parce & moderate fiat, & definiendi modus ſit; ſicut enim, inquit ARISTOTELES in Topic. in concionibus ad abrogandam legem populo proponi ſolet lex melior: ſic alia nova priori definitioni ſubſtituitur; At enim ſi id paſſim fit, ac frequenter, quæ perturbatio, quæ dimicationes de vocibus non exiſtent? recte igitur idem ſtatuit, loquendum eſſe cum multis, ſentiendum cum paucis, nempe ſapientibus.

IV. Nonnulli definitiones adcommodant ſententiæ præconceptæ, ut lectorem imprudentem ſuas in partes trahant. Carteſiani cum materiam & extenſionem nihil differre putarent, omneque ſpatium vacuum excluderent, adcommodate ad eam opinionem dicebant: motus eſt ſucceſſiva adplicatio partium ſuperficiei corporis unius ad partes ſuperficiei alterius. Leve hoc eſt: fit autem idem in rebus gravioribus, quæ ſi examinentur, a definitione arbitraria pendent.

V. Univerſe præſtat opinione mea retinere notiones vocum paſſim receptas, & quaſi civitate donatas, adiectis, ſi minus adcuratæ videntur, animadverſionibus, quam novis vocum explicationibus utramque paginam implere.

## §. XXVI.

Ad analyſin idearum maxime pertinet diviſio, ſive diſtributio totius in partes, quæ membra dividentia dicuntur; prout vero in re quadam plures partes reipſa diſtingui, vel ſola cogitatione poſſunt; ita totum phyſicum adpellatur, ceu corpus humanum; vel totum

Me-

Metaphyſicum; ceu humana mens, in qua memoria, intellectus, voluntas nón re, ſed ratione & cogitandi modo diſtinguuntur. Sæpe notio univerſalis, quam totum Logicum vocant, in alias notiones vel res ſubiectas diſtribuitur, ceu genus ſuperius *corpus* in inferiora e. g. animatum & inanimatum: id non per reſolutionem & abſtractionem idearum, ſed per compoſitionem fit adiiciendo ad datam notionem novas notas vel ideas partiales, eamque aliter atque aliter determinando. Leges diviſionis ſunt

I. *Membra dividentia ponantur omnia*, tot nempe, ut adæquent totum: ſi nempe idea communis in ſpecies inferiores diſtribuitur: quæ eſt proprio ſenſu diviſio; at ſiquod totum Phyſicum in partes quodammodo diſcerpitur ceu in anatomia, non ad minima veniendum eſt. Idcirco Tullius in Topicis: ait: *In partitione, quaſi membra ſunt, ut corporis caput, humeri, manus, latera &c. in diviſione formæ ſunt, quas Græci ideas vocant - - harum certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubiiciantur: partium diſtributio ſæpe eſt infinitior, tanquam rivorum a fonte deductio.*

II. *Membra ſibi ſint ſubordinata*, ut primo maiora, ſive magis generalia recenſeantur: hæc in minora, ſive particularia denuo dividantur, ſive, ut aiunt, ſubdividantur: ubi cavendum, ne loco membri dividentis ponatur ſubdividens, quod in alio continetur; ac ſiquo prætermiſſo membro ſuperiore mox inferius ponitur, ſaltus in dividendo ſit.

III. *Membra ſint quodam modo oppoſita*, ne alterum in altero contineatur, ac ſæpe generalis notio ex diverſa relatione dividitur e. g. idea relate ad obiecta, relate ad cogitandi vires, & ad ſigna: quæ vocantur condiviſiones, ſi ſingula membra aliter atque aliter diſtribuuntur. Patet, aptas diviſiones ſine perfecta rei cognitione haud reperiri, & ad notiones cum aliis communicandas eſſe perutiles.

# CAPUT III.

## *De Natura Judicii.*

*Judicium alii in perceptione convenientiæ vel repugnantiæ idearum, alii in intuitu identitatis earum vel diſtinctionis, alii denique in tacita quadam deciſione, & interno adſenſu, vel diſſenſu ſitum eſſe volunt. Ea res nunc evolvenda eſt, cum propoſitum mihi ſit, quam planiſſime, & ad naturam mentis noſtræ, quam fieri poteſt, maxime adpoſite philoſophari.*

## §. XXVII.

Binas ideas inter ſe convenire, vel non convenire ſeu repugnare dicimus, ſi adhibita ad utramque attentione quadam perſpicimus, vel tacite enunciamus:

I. *Ideam, quæ uni voci reſpondet, eſt eadem, vel non eſt eadem cum alia idea, quæ eidem vel alteri voci reſpondet*; e. g. ſcapha eſt ſcapha; perſpicio enim, utramque ideam eſſe eandem; album non eſt nigrum: video ideas eſſe diverſas. Si idea rei obviæ easdem notas continet, quas idea cuidam voci adfixa, rei obviæ hanc vocem convenire iudico e. g. hoc, quod video, eſt gemma: aut contra, hoc, quod video, non eſt aurum, ſed aurichalcum, quia idea rei, quam video, non eſt eadem cum idea, quam voci auri ſubiectam novi. Idem fit, ſi definitiones rerum vel vocum mente agitem, e. g. homo eſt animal ratione prædituam; quia ideas ſubiectas voci *homo*, easdem eſſe intueor, ac ideas, quæ vocibus *animal ratione præditum*, reſpondent.

II. *Uni ideæ coexiſtit vel non coexiſtit alia idea*, ſeu, quod in idem recidit, rei cuidam ineſt aliqua nota vel qualitas, ſine qua res in ſe concipi poteſt e. g. magnes attrahit ferrum: vitrum paleas: aurum eſt ſolubile in aqua regia, ferrum calet: magnes, vitrum, aurum, ferrum in ſe concipi poſſunt, quin concipiatur altera nota, quæ eis tribuitur: neque inter ideas utrinque alia connexio adparet; perſpicio tamen, quod coexiſtant, vel contra non coexiſtant, ut, ferrum non calet.

III. *Una idea connexa eſt cum alia*, *vel oppoſita alii* e. g. compoſitum eſt diviſibile, quod eſt ſimplex, non eſt

eſt diviſibile ; nix radiis ſolis impetita , liqueſit. Sic perſpicio , cum idea circuli connexam eſſe æqualitatem omnium radiorum : cum idea improbi connexam eſſe ideam miſeri , ſive miſer eſt improbus.

IV. *Res actu exiſtit , vel ideæ , quas teneo , veritati rerum congruunt : aut contra* ; ſic aio : ſol ortus eſt : fulgurat , tonat : ignis iam extinctus eſt : exiſtunt extra mentem meam multæ res aliæ , ſicque ſe habent , ut eas mente concepi ; nempe cogitationes mentis non ſemper reſpondent rebus extra mentem exiſtentibus ; hinc alius eſt *ſtatus mundi intelligibilis* , quem conſtituit collectio idearum & cognitionum , quas ſenſu , reflexione vel cogitandi vi nanciſcimur : alius eſt *ſtatus realis mundi* , quem ipſæ res creatæ , earumque natura & operationes conſtituunt.

Quadruplex igitur convenientiæ vel repugnantiæ idearum genus eſt , 1. *identitas & diverſitas.* 2. *coexiſtentia vel non coexiſtentia.* 3. *connexio vel oppoſitio.* 4. *actualis exiſtentia , vel realitas , aut eius contrarium.* Operatio mentis , qua facta binarum idearum comparatione earum convenientia vel repugnantia mox perſpicitur , vel tacite in mente enunciatur , *Judicium* vocatur , idque *immediatum* ; ſi enim convenientia vel repugnantia idearum non niſi ope alterius ideæ tertiæ , vel plurium intermediarum ſerie quadam intelligitur , iudicium eſt mediatum , quod in ſe ſpectatum adpellatur ratiocinium : quatenus eſt actio mentis, ratiocinatio, ſive operatio , qua quibusdam poſitis vel cognitis ad aliud ponendum , ſeu cognoſcendum mens progreditur ob perſpectam utrinque connexionem. Ob hanc progreſſionem mentis ab una veritate cognita ad aliam connexam ratiocinatio nomine diſcurſus venit : facultas mentis noſtræ perſpiciendi rerum aut veritatum nexum adpellatur *ratio* , per quam una idea , ſeu veritate poſita alium ideam ſeu veritatem ponendam eſſe , aut tollendam perſpicimus ; hanc rationis operationem commode exprimimus dicendo : unum eſt ratio ſufficiens alterius , quatenus uno cognito intelligimus , cur ſit , vel non ſit aliud ; ſit enim idea lapidis impoſiti fornaci calefactæ: mox iudicabo : talis lapis eſt calidus : ſit idea lapidis ex nive eruti , & iudico : talis lapis non eſt calidus : in priore

caſu perſpicio nexum, in altero pugnam idearum, ac proinde in utroque caſu adeſt ratio ſufficiens iudicandi.

*Sol calefacit, & illuminat, iudicium eſt immediatum; inde talis ratiocinatio fieri poteſt: ſol calefacit, & illuminat; quidquid autem calefacit, & illuminat, igneae naturae eſt: igitur ſol igneae naturae eſt.*

## §. XXVIII.

Judicium immediatum verbis expreſſum vocatur enunciatio, vel propoſitio, cuius quidem tres ſunt partes. 1. Subiectum, quod quaeſtioni quodammodo ſubiicitur, nempe id, de quo adfirmatur quidquam, vel negatur. 2. Praedicatum, quod adfirmatur de alio, vel negatur. 3. *Eſt*, *non eſt*, adpellatur *copula*, ſive ſignum, quo convenientia idearum in iudicio & propoſitione adfirmativa, vel repugnantia earum in negativa denotatur. Forma logica propoſitionis in eo ſita eſt, ut ſubiectum, praedicatum, & copula explicite ponantur; ſiqua pars, vel plures latent, propoſitio dicitur *cryptica*, quae exponenda eſt, ut non modo ſubiectum & praedicatum ſeorſim exprimantur, verum & copula tempore praeſente, ut Grammatici aiunt, efferatur; quia illa praeciſe convenientiam vel repugnantiam ſeu uno verbo, habitudinem idearum, de qua in praeſenti cogitamus, non vero alios ſtatus praeteritos aut futuros denotat. Copula principalis eſt, quae totum ſubiectum propoſitionis cum toto praedicato iungit; ſecundaria eſt, quae non niſi ſubiecti vel praedicati partes connectit, & propoſitionem *incidentem* efficit. e. g. lapis impoſitus fornaci calefactae eſt calidus. Totum ſubiectum exprimunt voces: lapis impoſitus fornaci calefactae: vel lapis, qui eſt impoſitus fornaci calefactae: verbum *eſt* huius propoſitionis incidentis, non niſi ſecundaria copula eſt. Signum negativum *non*, cui aequipollent nullus, nemo &c. copulam principalem adficiat, neceſſe eſt; ſecus propoſitio non eſt negativa, e. g. canis, ſi non laceſſitur, tacet; haec adfirmativa eſt. Si particula *non* praedicato vel ſubiecto praefixa eſt, is terminus infinitus, & propoſitio pariter infinita dicitur; Mercurius eſt ſtella non fixa, id eſt ſtella diverſa a fixis.

*Ut ineptiarum crimen effugiam, Wolfii auctoritate utar,*

*utar*, *qui Phil. Rat. P. I. Sect. III.* §. 203, *„erunt, „ inquit, forſan aliqui, qui, quæ de copula latente, & „ non niſi præſens tempus indicante dicta ſunt, inter „ tricas ſcholaſticas reponant, ſeculo huic delicato ſpecula- „ tiones inutiles nauſeanti non convenientes - - hoc unice „ monuiſſe ſufficit, quod hæc de copula doctrina indiſpen- „ ſabilem uſum habeat in ratiocinando. Sed iam natura iudicii penitus indaganda eſt.*

## §. XXIX.

Propoſitio. *Judicium, ut in mente eſt, non componitur ex ideis ſubiecti & prædicati tanquam partibus, ſed eſt ſimplex intuitus, ſeu perceptio convenientiæ vel repugnantiæ idearum, vel ſimplex adſenſus vel diſſenſus mentis.* Prob. Ideæ ſubiecti & prædicati, etſi menti obverſentur, & inter ſe etiam comparentur, nondum efficiunt iudicium, niſi detur perceptio habitudinis idearum, vel adſenſus ille internus aut diſſenſus, quem exprimimus per vocabula *eſt*, *non eſt*. Hæc autem perceptio habitudinis idearum, vel adſenſus ille, aut diſſenſus eſt unicus & ſimplex mentis actus, ſeu conceptus ab ipſis ideis plane diverſus, qui in plures reſolvi omnino non poteſt. Sit in me idea hominis eminus viſi: occurrat dein idea Titii: propoſitis hisce ideis, & utcunque comparatis adſenſum cohibere, ſive ut ajunt, iudicium ſuſpendere poſſum, ſi convenientiam earum nondum clare percipio: at quamprimum in idea hominis venientis easdem notas intueor, quas in idea Titii contineri memini, is intuitus identitatis idearum, quem exprimo voce: *eſt*, certe iudicium eſt, in ſimplici actu mentis conſiſtens.

## §. XXX.

Reſpondendum eſt ad dubia. 1. *Aiunt, ipſa perceptio habitudinis idearum nondum eſt iudicium, niſi mens intra ſe decidat, aliquid eſſe, vel non eſſe.* R. Perceptio habitudinis idearum eſt judicium quoddam intuitivum, quando non modo ideas, ſed convenientiam earum, vel repugnantiam mox intuemur; Hic intuitus, cum ab ipſis ideis rerum diverſus ſit, qualis demum eſt operatio mentis, ſi judicium non eſt? aliud quoddam eſt

iudicium ſymbolicum, in quo idearum loco, verba ſubſtituimus; atque in hoc genere, quod quidem multo frequentius eſt, illa deciſio, & tacita adfirmatio vel negatio locum habet; nec vero, ſi abſque iſta deciſione iudicium quoddam eſſe poſſit, continuo quivis occurſus binarum idearum pro iudicio habendus eſt, niſi habitudo idearum clare percipiatur, & quodam modo per ſe eluceat. 2. Aiunt: *in omni iudicio identitas & diſtinctio binarum idearum continetur, uti ipſa copula; eſt, non eſt, indicat, & Dialectici paſſim docent; cur igitur præter identitatem & diſtinctionem alia convenientiæ genera tria ſtatuuntur?* R. In omni iudicio continetur identitas vel diſtinctio inter ſubiectum propoſitionis & ſubiectum concreti, quod de priore enunciatur; non autem inter ſubiectum propoſitionis & formam concreti, quæ vel coexiſtere cum idea ſubiecti, vel cum ea connexa eſſe a nobis perſpicitur. Eiusmodi formæ ſeu adfectiones maxime a nobis percipiuntur, hasque ineſſe vel connexas eſſe cum ſubiecto iudicamus: ut porro habeatur identitas vel diſtinctio ſubiecti & prædicati, nominibus concretis opus eſt, quæ præter formam etiam ſubiectum aliquod continent. Si iſta expendantur, credo, intelligi poteſt, cur alii aliter atque aliter iudicium definiant: quivis enim aliquod habitudinis idearum genus, vix quisquam omnia definiendo attingit. Qui iudicium vocant actum mentis, quo quid a re diverſum, ad eandem tamen pertinens ſpectamus, non niſi ſecundum convenientiæ genus arripiunt prætermiſſis aliis. 3. *Propoſitio conſtat partibus, nempe ſubiecto, prædicato & copula; cur non item iudicium internum?* R. Eſt diſpar ratio; non poſſumus enim cum aliis iudicia noſtra communicare ſolo verbo *eſt*, *non eſt*, niſi pariter exprimamus, quid, ac de quo enuncietur; at vero comparatis inter ſe binis ideis ſimplex perceptio, ſeu intuitus, ut in iudicio intuitivo, vel ſimplex adſenſus aut diſſenſus, ut in ſymbolico, locum habet; ideæ igitur ſunt materia, circa quam verſatur, vel quam reſpicit iudicium, non ſunt materia, ex qua componitur inſtar totius; & quamvis illud fieri non poſſit ſine ideis ſubiecti & prædicati, cum iſta ſint requiſita quædam, non tamen ex illis tanquam partibus coaleſcit. Denique, etſi idea concreta ſeu complexa quæcunque plures partes, ſive plures ideas partiales complectatur,

uti

uti idea ædificii illuminati a ſole ; tamen alius eſt cogitandi modus , ſi ad ſubiectum ſeu ædificium , & ad formam, ſeorſim attendens percipio , hanc in eo ineſſe, vel cum illo coexiſtere , & alius modus repræſentandi ſubiectum cum forma coniunctim.

# CAPUT IV.

## *De comprehenſione & extenſione terminorum in propoſitionibus.*

*Si de ſolis cogitationibus mentis eſſent regulæ præſcribendæ in Logica , eæ non ita multis verbis indigerent , propterea quod quivis ideas ſuas diſcernat , ac compertiſſimum in animo habeat , cui ſubiecto, ac ſub qua conditione vel limitatione prædicatum tribuat , aut ab eo removeat. Nunc vero , quia cogitata mentis apte exprimenda verbis , & cum aliis communicanda ſunt , multis cautionibus opus eſt, tum ut aliorum ſenſa vocabulorum ope adſequamur , tum ut alii percipiant noſtra ; ſæpe enim ex ignorantia linguæ, aut inopia vocum ſatis habilium ad ſignificandas cogitationes , multo autem ſæpius ex inconſiderantia , inconſtantiaque loquendi errores exiſtunt , quia ea omnia , quæ mente concepimus ; haud integre , adcurateque explicamus verbis , neque omnes ideas partiales , quæ in ideis ſubiecti vel prædicati continentur , terminis quoque , & membris enunciationum adiungimus. Quapropter comprehenſio, & extenſio terminorum maxime in propoſitionibus ſpectanda eſt ; ea vero ex mutua habitudine ſubiecti , & prædicati innoteſcit ; uti ſequentes Dialecticorum regulæ facient palam.*

### §. XXXI.

*Quævis propoſitio vel in ſe ipſa ſpectari poteſt, vel referri ad obiectum, quod attingit. Hinc varia propoſitionum genera exiſtunt.* Si propoſitio in ſe ſpectetur, eius qualitas , & quantitas , dein materia & forma conſideratur: ſi refertur ad obiectum, eiusdem veritas, & falſitas. Ratione *qualitatis* alia eſt *adfirmativa* propoſitio , alia *negativa* ( conf. §. XXVII. ) Ratione *quantitatis* dividitur in *ſingularem* , *particularem* , *univerſalem* , & *indefinitam*, prout terminus ſubiectum propoſitionis exprimens eſt ſingularis, particularis , univerſalis, id eſt , ſigno *omnis*, *nullus* &c. adfectus ; ſi extenſio termini communis , qui loco ſubiecti ponitur, nullo ſigno definitur , propoſitio vocatur *indefinita* , & ad particularem, vel univerſalem reducenda eſt. Ratio-

tione *formæ* alia eſt *ſimplex*, quæ unam habet copulam principalem, alia *compoſita*, quæ plures habet copulas principales. Simplex vel eſt *abſoluta*, quando præciſe habitudo idearum exprimitur; vel eſt *modalis*, quando modus exprimitur, quo prædicatum ſubiecto convenit, vel non convenit. Modi vulgo ſtatuuntur quatuor, *impoſſibile*, *neceſſarium*, *poſſibile*, *contingens*; ſed ſunt alii præterea modi ſignificantes locum, tempus, certitudinem, probabilitatem; ut, luna certo minor eſt tellure. Denique ratione *materiæ* alia eſt *propoſitio in materia neceſſaria*, quando repugnat, ut prædicatum, quod adfirmatur, non conveniat; vel quod negatur, conveniat ſubiecto, ut, homo eſt animal; anima non eſt corpus. In *materia impoſſibili*, quando repugnat, ut prædicatum, quod adfirmatur, conveniat, vel prædicatum, quod negatur, non conveniat, e.g. Anima eſt corpus; homo non eſt animal. In *materia contingente*, quando non repugnat abſolute, ut prædicatum, quod vere quidem adfirmatur, non conveniat, vel, quod vere negatur, conveniat; ut, Plato eſt Philoſophus, lapis non eſt calidus. Siqua propoſitio refertur ad obiectum, notio relativa veritatis aut falſitatis in nobis oritur; eſt enim *vera propoſitio*, *quæ conformis eſt ſuo obiecto*, *falſa*, *quæ difformis*. Hæc veritatis definitio conſentit cum communibus hominum ideis, & loquendi modis; quia omnes, qui præiudiciis non ſunt capti, ut de veritate propoſitionis, aut falſitate iudicent, enunciationem referunt ad obiectum, ac, ſi id eſt, & eo modo eſt, quo propoſitio enunciat, hæc vera; ſecus falſa dicitur. In propoſitione modali duo diſtingui debent, *dictum*, ſive ipſa propoſitio abſoluta, & *modus*, quo habitudo idearum exprimitur; ea proin vera non eſt, niſi is ipſe modus vere competat dicto: quamquam in eiusmodi propoſitionibus aliquando dictum non abſolute aſſeritur, ſed duntaxat poſſibilitas illius, probabilitas, vel contingentia; ut, Caius probabiliter nunc eſt domi ſuæ.

*De compoſitarum propoſitionum vario genere, ac veritate earundem alio agam aptiore loco, ne res eadem ſæpius recoquenda ſit, nimiumque in partes diſtrahatur; ac ne accuratior quidem de veritate reali, quam vocant,* dis-

*diſquiſitio nunc opportuna, ac ſatis tempeſtiva videtur. Cæterum quia de quantitate propoſitionum, ac qualitate ſæpius facienda eſt mentio, Dialectici quadruplex propoſitionum genus, quod inde enaſcitur, compendii cauſa literis deſignant; ac litera A denotat propoſitionem univerſalem adfirmativam: E univerſalem negativam; I particularem adfirmativam: O particularem negativam, ſecundum tritos verſiculos:*

*Aſſerit A, negat E; verum generaliter ambo;*
*Aſſerit I, negat O; ſed particulariter ambo.*

## §. XXXII.

Materia propoſitionum, quantitas & qualitas ex terminorum comprehenſione & extenſione determinantur. Per comprehenſionem terminorum in propoſitionibus intelligitur collectio omnium idearum partialium, ſive omne id, quod ſubiectum, vel prædicatum ſignificat; nam voces variis modis ſumi poſſunt, uti mox patebit: per extenſionem denotantur ea, quibus termini tribui poſſunt, eaque dicuntur *inferiora*, & enumeratio eorum *deſcenſus per inferiora*, ut ſi dicam; omne elementum eſt grave, & dein ad ea, quæ ſubiecta ſunt termino communi *elementum*, ſingilatim enumeranda deſcendam, hoc modo: & aer eſt gravis, & aqua eſt gravis &c. Hæc extenſio, & comprehenſio ſubiecti, & prædicati ex mutua iſtorum inter ſe convenientia, & habitudine determinatur ſecundum ſequentes regulas Dialecticorum:

1. *Siquis terminus refertur ad tempus per copulam indicatum, dicitur ſumi per ſtatum: ſi ad tempus aliud, per ampliationem:* ut, cæci vident; vera eſt propoſitio, ſi vox *cæci* ſumitur ampliative, ut ſenſus ſit: qui fuerunt cæci; falſa, ſi ſumitur per ſtatum.

2. *Reſtrictio termini fit, ſi ab ampliore ſignificatione reducitur ad arctiorem*, quod fit per adiectas determinationes, ſeu limitationes e. g. lapis ſoli expoſitus: triangula inter parallelas & ſuper eadem vel æqualibus baſibus conſtituta: quæ efficiunt unum terminum complexum. Huc pertinet *diminutio*, qua vox apta ad ſignificandum totum reducitur ad partem ſignificandam, ceu albus circa dentes.



by Google

3. *Alienatio Dialecticis eadem eſt, ac aliis metaphora*, aut ſignificatio impropria.

4. *Non modo termini concreti, ſed aliæ quoque voces tum ſubiectum, ſeu materiam, tum formam denotant*; nam vox *ſtatua* tum ſubiectum e. g. marmor, tum partium configurationem, ſeu formam exprimit. Si materia ſpectatur, dici poteſt: hæc ſtatua eſt marmor, vel metallum, vel lignum: ſi forma conſideratur, dici fortaſſis poteſt: hæc ſtatua eſt nobile opus ſummi artificis. Hinc terminis tribuitur diverſa *adpellatio*; *materialis*, ſi predicatum propoſitionis refertur ad ſubiectum, ſeu materiam; & *formalis*, ſi ad formam. Simili modo, ſi cui termino concreto alius convenit ratione ſubiecti, non ob formam, is ſumitur *materialiter*, aut ſpecificative, ut vulgo aiunt e. g. Dialecticus errat: ſi vero alius terminus eidem tribuitur ratione formæ, is ſumitur *formaliter*, ſeu reduplicative: Dialecticus acute diſputat, nempe qua Dialecticus, quoniam ratio acute diſputandi eſt Dialectica. Univerſe quia termini ideas rerum exprimunt, in quibus variæ partes ſunt, ac notæ, aliæ conſtantes, aliæ variabiles; idcirco ex mutua habitudine terminorum colligendum, quatenus, vel quo ſenſu prædicatum ſubiecto conveniat; ut ſi dicam: totum cervum, quem venati ſunt, comederunt, profecto non cornua, & oſſa, quæ partes ſunt cervi, vulgo intelligi ſolent.

5. *Uſus terminorum in propoſitionibus Suppoſitio dicitur*, eoquod ii pro ideis & rebus ſubſtituuntur. Siqua vox pro ſola idea materiali (§. XII.) id eſt, pro nuda literarum, ac ſyllabarum congerie ſumitur, ſuppoſitio eſt *materialis*, ceu Logica a λογοσ derivatur, quod rationem, aut ſermonem ſignificat: ſi vox pro idea formali, ſeu re ſignificata ponitur, ſuppoſitio *formalis* nuncupatur. Quædam voces rem non ſignificant, uti in ſe, ſed uti in mente ſunt, & ob cognitionem quandam, quæ præceſſit, certam denominationem acquirunt: has *ſecundo intentionales* vocant Dialectici; quales ſunt *univerſale*, *genus*, *ſpecies*; ac ſi iſtiusmodi vox tribuitur ſubiecto propoſitionis, terminus ſubiectum exprimens ſumitur ſecundo intentionaliter, & ſupponit ſimpliciter, uti vox *homo* in propoſitione:

*homo*

*homo eſt ſpecies.* Si terminus ſumitur pro re, ut in ſe eſt, non ut a præcedente cognitione quadam denominatur, ſupponit *perſonaliter*, ceu homo eſt animal. Siquod prædicatum exprimit ſtatum realem, uti actionem, vel paſſionem; perſpicuum eſt, quod de obiecto ut exiſtente ſermo ſit, ſive quod ſubiecto nota exiſtentiæ realis adhæreat; ut, *ſol lucet, lapis eſt calidus: ſemen progerminat: mobile quieſcit.* Eiusmodi fere ſunt propoſitiones in materia contingente, & quidem adfirmativæ. Illud notandum: ſiqua propoſitio exiſtentiam ſubiecti non adfirmat, verbum *ſum* habet vim copulæ tantum, nec niſi idearum nexum denotat; ſi vero ſignificetur exiſtentia ſubiecti, vim copulæ & verbi habet, qui rem *eſſe* in naturæ univerſitate, ſive exiſtere reipſa, exprimit. Quis non videt, modum, quo termini ſumuntur, ac comprehenſionem eorundem ex mutua eorum inter ſe habitudine in propoſitionibus pendere, ac determinandam eſſe, cum ipſæ voces extra enunciationem plurimum vagi, incerti, atque indeterminati contineant?

*Hæ regulæ ad comprehenſionem idearum in propoſitionibus, & ad ſignificatum terminorum recte exponendum ſpectant. Deinceps de extenſione agendum.*

## §. XXXIII.

I. *Si terminus ſubiectum propoſitionis exprimens eſt ſingularis, vel ſi materialiter, aut pro ſignificatu ſecundo intentionali ſumitur, non extenditur ad plura ſeorſim enumeranda, ſive nullum admittit deſcenſum per inferiora.* Nam in primo caſu denotat rem unam, ac ſingularem, eſtque hæc tota eius extenſio, ut non niſi uni conveniat; quo ſenſu eum termino univerſali æquipollere volunt, quia uterque tantum extenditur, quantum vi notionis extendi poteſt: in altero caſu non pro re, ſed pro nuda voce ſumitur: in tertio non exhibet plura, ſed unam ſingularem ſpeciem, vel unum genus, ita, ut iſta idea generis vel ſpeciei rebus pluribus adplicari poſſit, quas tamen non ſeorſim repræſentat.

II. *Si ſubiectum propoſitionis adfirmativæ eſt terminus communis pluribus rebus, uti in ſe ſunt, conveniens, neceſſe eſt, ut extenſio ſubiecti, & prædicati re-*

*ipſa*

*ipſa æquales ſint;* nam eiusmodi propoſitio enunciat, toties ponendum eſſe prædicatum, quoties ponitur comprehenſio ſubiecti. Verum ſæpe alter terminus altero latior eſt, uti vox *figura* latius extenditur per ſe, ac vox *circulus*; hinc regulis opus eſt, per quas extenſio ſubiecti, & prædicati determinetur; ac inprimis diſtinguunt inter obiectum repræſentationis, ſive id, quod terminus in ſe ſpectatus repræſentat, & obiectum verificationis, ſive id, quod in propoſitione vere adfirmari poteſt.

III. *Quando ſubiectum eſt terminus communis ſigno univerſali adfectus, univerſalitas vera eſt, vel adparens.* Vera eſt, ſi prædicatum ſingulis inferioribus ſubiecti ſeorſim convenit: adparens, ſi non niſi omnibus ſimul & collectim acceptis: in hoc poſteriore caſu ſuppoſitio termini eſt *collectiva*, in altero *diſtributiva*, eaque completa, ſi prædicatum ſingulis individuis ſub termino communi contentis vere tribui poteſt: incompleta, ſi non niſi ſpeciebus, vel generibus ſubiectis competit e. g. omnis planta ſalubris in iſto horto, omnis machina in hoc Muſæo reperitur. Diſtributio accommoda, vel in *ſenſu accommodo* fieri dicitur, ſi unum, alterumve ex inferioribus ſubiecti excipiendum eſt: ac ſæpe generatim, & univerſe adfirmatur, quod non niſi maximam partem verum eſt. Collective ſumendæ ſunt voces plurali numero elatæ, vel quæ multitudinem ſeu collectionem denotant, ut, *binarius*, *legio*, *grex*, *homines*; non enim fruſtra diſtinctio numerorum invecta eſt, & alia eſt idea, quam exprimit vox *homo*; alia, quam denotat vox *homines*.

IV. *Quando ſubiectum propoſitionis eſt terminus communis ſigno particulari adfectus, ac prædicatum uni ex inferioribus ſubiecti determinate competit, etſi, cui reipſa competat, a nobis adſignari haud poſſit, ſupponit disiunctive e. g.* aliqua hora erit vitæ noſtræ ultima; contra *disiunctim*, vel confuſe; ſi nulli determinate; uti ſit, ſi neceſſitas, cupiditas &c. indicetur, cui per plura media æque apta ſatisfieri poſſit.

V. *Prædicatum propoſitionis adfirmativæ ſupponit disiunctive, ſi inferiora prædicati reipſa diſtinguuntur; quia*

*quia hoc caſu adfirmatur identitas, & plura realiter diſtincta non ſunt idem cum ſubiecto*: contra prædicatum propoſitionis negativæ ſecundum totam extenſionem excluditur a ſubiecto, id eſt, diſtributive ſupponit, quod vel ſignum negationis ſatis indicat. Ex his denuo perſpicuum eſt, extenſionem terminorum in propoſitionibus, ex mutua eorundem inter ſe habitudine determinari.

*Quæri poteſt, an diſtributiva ſuppoſitio legitime in collectivam mutetur, ita, ut prædicatum, quod ſingulis inferioribus ſubiecti communis ſeorſim, & diſtributive convenit, iisdem collective ſumtis vere tribui queat. R. Poſſe id fieri, ſi eiusmodi prædicatum de ſingulis per ſeſe, & ratione ſui, non propter excluſionem, vel abſentiam aliorum enunciatur; in hac enim hypotheſi, ratio, ob quam ſingulis convenit prædicatum, per additionem plurium non tollitur, ſed eadem manet: manente autem eadem ratione prædicatum enunciandi, & idem prædicatum manet*; *ut*, ſinguli zeri nihil valent ſine numero: igitur & collectio quæcunque zerorum nihil valet ſine numero.

## §. XXXIV.

Ut genuinus Character adſignetur, ex quo colligi poſſit, an data propoſitio pro univerſali, ac neceſſario vera, ſeu quæ in materia ſit neceſſaria, haberi poſſit, duplex propoſitionis genus ſtatuunt; ac *Determinatam* dicunt, ſi comprehenſio ſubiecti tot præciſe notas continet, ut habeatur ratio ſufficiens, cur prædicatum de illo adfirmetur, vel negetur: *vagam*, ſi comprehenſio ſubiecti pauciores notas continet, quam ut ex ea intelligi queat ratio, cur prædicatum de ſubiecto adfirmetur, vel negetur. Siqua comprehenſio ſubiecti plures continet notas, quam opus ſit ad prædicatum enunciandum, ſimpliciter vocant indeterminatam. Porro ſi ratio ſufficiens prædicati ex ſola ſubiecti notione intelligitur, propoſitio determinata eſt *categorica*: ſi vero notioni ſubiecti addendæ ſunt aliæ notæ, conditiones, vel determinationes, ut ratio ſufficiens prædicati obtineatur, eadem eſt *hypothetica*. Quoniam vero in categorica quoque propoſitione prædicatum non niſi ex hypotheſi notionis ſubiecti, vel definitionis enun-

nunciatur, etiam ipſa ad hypotheticam reduci poteſt, ut adeo quævis propoſitio in *hypotheſin*, ſive in id, quod totum ſubiectum comprehendit, & in *theſin*, ſive id, quod de ſubiecto adfirmatur, vel negatur, reſolvi queat, atque etiam prius debeat, quam ad eius probationem accedatur; manet tamen illud conſtans diſcrimen, quod in categorica propoſitione hypotheſis ipſi ſubiecto, vel eius ideæ intrinſeca ſit; ut, *ſi eſt homo, pollet ratione*; in hypothetica autem extrinſeca, & adiectitia e. g. *lapis expoſitus radiis ſolis, eſt calidus*. Hinc alia vocant prædicata *abſoluta* rerum, alia *hypothetica*.

*Propoſitio determinata, & categorica eſt: triangulum habet tres angulos; hypothetica: triangulum æquilaterum eſt æquiangulum.*

## §. XXXV.

Quatenus in comprehenſione ſubiecti continetur ratio ſufficiens prædicati, eatenus prædicatum per comprehenſionem ſubiecti determinari dicitur; atque iſta *determinabilitas prædicati per notionem ſubiecti internum veritatis criterium a quibusdam nuncupatur*, quia inde intelligitur, cur propoſitio vera eſſe poſſit, & debeat, & reipſa evadat vera; nam ſi ea determinata eſt, ex ſubiecti comprehenſione intelligitur, cur prædicatum ſubiecto conveniat, vel non conveniat; conſequenter iſtiusmodi propoſitio vera eſt; & viciſſim, quia nihil eſt ſine ratione ſufficiente, ſiqua eſt vera propoſitio, neceſſario vel in notione ſubiecti, vel adiectis determinationibus ratio ſufficiens præſto erit, cur prædicatum ſubiecto conveniat, vel non conveniat; etſi ea ratio a nobis haud ſemper perſpiciatur; nam iudicia noſtra aut fiunt ex rationibus intrinſecis, quando ex ipſa ſubiecti comprehenſione ratio prædicati a nobis derivari poteſt, vel ex rationibus extrinſecis, ſi habitudo ſubiecti & prædicati aliunde innoteſcit, e. g. ex teſtimonio ſenſuum.

*Hæc quidem omnia potiſſimum ad abſtractos modos, atque ad tertium convenientiæ genus, quo unius ideæ cum alia nexus a nobis perſpicitur, pertinent; nam ſi eadem idea in comprehenſione ſubiecti & prædicati continetur,* pro-

*propoſitio eſt identica & nugatoria e. g. A eſt A; idem fit in explicationibus nominum, vel ſi de ſubiecto enunciatur eſſentia, vel eſſentialis nota, niſi ponas ſubiecti ideam alias notas exhibere, quam eſſentiales. Nempe hoc quoque loco, ut diſcrimen ſubſtantiarum, modorumque, ac regularum Logices uſus adpareat, animadvertendum, intimam conſtitutionem corporum, ex qua prædicata iis competentia pendent, penitus incognitam eſſe; quis enim novit, quæ textura ſit minimarum particularum nivis, ob quam plurimi radii æquabiliter inter ſe permiſſi reflectantur; in quo ſitam eſſe albedinem Phyſici docent; aut quomodo ex ideis auri intelligitur, cur tantopere ductile ſit, & ſolvi poſſit in aqua regia? quænam eſt illa elementorum compoſitio, ſive realis eſſentia, ob quam antimonium, & plumbum liquefieri poſſunt, ligna & ſaxa non poſſunt? cur alia corpora ſunt idioëlectrica, alia non niſi per communicationem? Propoſitio, inquiunt, lapis eſt durus: determinata eſt, quia prædicatum per ſolam notionem lapidis determinatur; ſed quænam eſt hæc lapidis notio? ſubſtantia terrea, inſigni pondere, certo colore, & duritie prædita; hinc iam ſenſus propoſitionis fit; ſubſtantia terrea, dura &c. eſt dura, quod nugatorium eſt. Quid vero de eſſentia reali plantarum, & animalium dicemus? quas de illis formabimus propoſitiones determinatas? per vim ſentiendi; & ratiocinandi determinari aiunt facultatem admirandi, ridendique? cur non & flendi quoque? Sed tricas defugio ad Logicam minime pertinentes; illud ſtatuo, quantumcunque aliquis cogitet: homo eſt animal rationale; niſi experientia, atque reflexione utatur, pauca admodum de homine comperiet, neque graviſſimo illi præcepto faciet ſatis: cognoſce te ipſum.*

## §. XXXVI.

In ſcientiis opera danda eſt, ut propoſitiones generales quam maxime determinatæ ſint, ſive ut ſubiecto propoſitionum omnes eæ notæ, ſeu conditiones adiiciantur, ſub quibus prædicatum de illo vere, & univerſe enunciari poteſt, idque vel ex comprehenſione ſubiecti, ac demonſtratione, vel experientia innoteſcit; ſecus propoſitiones non poſſunt univerſe applicari, ſi plures, quam

quam opus ſit, ſubiecto determinationes adduntur, vel ſi pauciores, error in adplicatione proniſſimus eſt.

*Propoſitio indeterminata: in omni triangulo iſoſcelio omnes anguli iunctim efficiunt binos rectos: ob abundantem notam: iſoſcelio, ad alias trianguli ſpecies adplicari nequit, nec ſatis univerſalis eſt, ut ait Ariſtoteles L. I. Poſter. C. V. Similiter ſicui contractui ſub certis conditionibus quaedam praedicata competunt, vel cuidam morbo in circumſtantiis determinatis quaedam remedia ſunt conſentanea; niſi eaedem conditiones in iurisprudentia, atque eaedem circumſtantiae in medicorum libris adcurate exprimantur, non ſine damno ad caſus ſimiles quidem, ſed a quibus illae conditiones, vel circumſtantiae abſunt, perperam adhibebuntur. Quam porro difficilior ſit generalium propoſitionum adplicatio, ſi de ſubſtantiis agitur, quam ſi de abſtractis modis, norunt Medici, norunt artifices, qui varii generis ſubſtantias quotidie habent in manibus, norunt chemici quoque, qui qualitates, & effectus, quos tempore quodam in ſulphure, vitriolo &c. deprehenderunt, alio fruſtra quaerunt; quanta varietas in metallis, quanta in lignis eiusdem ſpeciei, ut, cum ad opus adhibenda ſint, de ipſis individuis capienda ſint experimenta, non ex generalibus propoſitionibus, quae generi vel ſpeciei vulgo tribuuntur, iudicandum. In modis abſtractis ſi admodum complexi ſint, ut circa res morales, magna quoque incertitudo in propoſitionum generalium adplicatione aliquando oritur; at in Geometria ob ſimplicitatem notionum, quod de triangulo, circulo &c. generatim demonſtratur; indubitato ad quodvis triangulum transferri poteſt; ac ſaepe quidem de ipſo ſubiecto nulla addita determinatione quidpiam demonſtratur; nec tamen adparet, quomodo tale praedicatum per notionem ſolam ſubiecti determinetur, praeſertim ſi a primis propoſitionibus magis recedatur, ac prolixior ſit demonſtratio; velim, ut quis clare oſtendat, quomodo per ſolam ellipſeos notionem determinetur propoſitio: quadratum ordinatae ad ſemidiametrum coniugatam quamcunque eſt ad rectangulum ex abſciſſis reſpondentibus, ut quadratum alterius ſemidiametri coniugatae, ad quadratum ſemidiametri illius, ad quam ordinatim eſt recta adplicata?*

CA-

# CAPUT V.

## De oppoſitione propoſitionum ſimplicium.

*De oppoſitis, ac contrariis & Rhetores ſæpe diſſerunt, & in ſcientiis frequens fit mentio. Hoc loco oppoſitio ſpectatur in propoſitionibus eiusdem ſubiecti, & prædicati, quæ maxime ad Dialecticam pertinet.*

## §. XXXVII.

*Binæ propoſitiones eiusdem ſubiecti ac prædicati, quæ quantitate, vel qualitate, vel utraque diſcrepant, oppoſitæ dicuntur* a Dialecticis; ac ſi ſubiectum earum propoſitionum eſt ſingulare, & qualitas diverſa, eæ vocantur *contradictoriæ de lege tantum*; ſi vero ſubiectum eſt terminus communis adſectus ſigno univerſali, aut particulari, quadruplex oppoſitarum genus ſpectatur. I. *Contradictoriæ de lege & modo enunciandi*, quando diſcrepant qualitate, & quantitate ſimul, ut A, & O; E & I. ( Schol. §. XXXI. ) II. *Contrariæ*, ſi ambæ ſint univerſales, & differant ſola qualitate, ut A, & E. III. *Subcontrariæ*, ſi ambæ ſint particulares, & qualitate diſcrepent, ceu I & O. IV. *Subalternæ*, quæ conveniunt qualitate, differunt quantitate, ut A & I; E & O. Univerſalis adpellatur *Subalternans*, particularis vero *Subalternata.*

*In omni oppoſitarum genere inprimis ſpectandum, idemne ſubiectum, & prædicatum utrinque ſervetur; ſecus non ſunt vere oppoſitæ. Contradictoriæ quidem non cenſentur propoſitiones, quarum utraque vera, vel utraque falſa eſſe poteſt, uti mox exponam. Quapropter neceſſe eſt, ut altera tantum præciſe neget, quantum requiritur, & ſufficit, ut altera reddatur falſa; idcirco etiam ſigna obliquorum caſuum nonnunquam mutanda ſunt, niſi univerſalitas ad ſingula inferiora ſeorſim pertineat, quemadmodum pertinet in hac propoſitione: omnis homo ſervans omnia Dei mandata ſalutem conſequitur.*

## §. XXXVIII.

Propoſitio I. *Binæ contradictoriæ propoſitiones nunquam ſimul veræ, aut ſimul falſæ eſſe poſſunt.* Dem. ſint I. contradictoriæ de lege tantum: Plato diſputat:

tat: Plato non diſputat; Propoſitio vera eſt, quæ eſt conformis ſuo obiecto, & falſa, quæ difformis; igitur ſi utraque ea propoſitio eſt vera, Plato reipſa diſputat, & ſimul non diſputat, h. e. idem ſimul eſt, & non eſt; quod repugnat: & ſi utraque eſt falſa, Plato reipſa non diſputat, neque non diſputat, h. e. idem neque eſt, neque non eſt, quod pariter repugnat. Sint II. contradictoriæ de lege, & modo enunciandi: omnis Philoſophus diſputat: aliquis Philoſophus non diſputat. Utraque propoſitio tam univerſalis, quam particularis repræſentat omnia ſingularia, ſeu inferiora, quibus nomen Philoſophi convenit; conſequenter aliquis ſingularis Philoſophus ſimul diſputat, & ſimul non diſputat, ſi utraque dicitur vera; aut neque diſputat, neque non diſputat, ſi utraque eſt falſa; Utrumque repugnat vi principii contradictionis: *idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe.* Colliges, ex veritate unius contradictoriæ legitime concludi falſitatem alterius, & viciſſim, hoc modo: verum eſt A: ergo falſum eſt O; falſum eſt E: ergo verum eſt I. Vulgo etiam, qui quidpiam adfirmat, contradictorium pro falſo habere cenſetur.

## §. XXXIX.

Propoſitio II. ***Ex veritate ſubalternantis legitime infertur veritas ſubalternatæ, & ex huius falſitate falſitas illius***: hoc modo: verum eſt A: ergo & I; verum eſt E; ergo & O; quia univerſalis propoſitio continet omnes ſingulares; item, falſum eſt I; ergo etiam A: falſum O; ergo etiam E; quod enim de aliquo vere adfirmari, vel negari non poteſt; multo minus de omni. Hæc propoſitio non ſemper valet reciproce; ſi enim ſubalternans eſt falſa, non continuo falſa eſt & ſubalternata; aut ſi hæc vera, non propterea & illa eſt vera; nam in materia contingente de uno, alterove ex inferioribus termini communis vere adfirmari quidquam poteſt, vel negari, quin idem queat de omnibus pariter enunciari; nec enim e. g. ſi aliquis Philoſophus, aut plures a præiudiciis vulgi liberi ſunt, recte concluditur, omnes ita liberos eſſe. In materia neceſſaria, quod vel uni neceſſario convenit, aut repugnat neceſſario, id toti claſſi, ſub qua illud continetur, convenit eodem modo, vel repugnat.

## §. XL.

Propoſitio III. *Duæ contrariæ propoſitiones nullo caſu ſimul veræ eſſe poſſunt.* Sint enim ſimul vera A, & E; ſi verum eſt A, etiam verum eſt I; quia ex veritate ſubalternantis legitime infertur veritas ſubalternatæ, ex prop. præc. & ob eandem rationem, ſi verum eſt E, etiam O verum eſt; igitur ſi ſimul vera ſunt A, & E; ſimul quatuor propoſitiones A, I, E & O ſunt veræ; atqui in his A & O, item E & I ſunt contradictoriæ; conſequenter ſi contrariæ A & E, ſimul ſunt veræ, etiam contradictoriæ erunt ſimul veræ; hoc autem maxime repugnat; ergo illud prius quoque repugnat. In materia contingente prædicatum alicui ex genere, vel ſpecie ineſt, non tamen omnibus; quare fieri poteſt, ut univerſalis utraque ſit falſa, ut, *omne animal pollet ratione*, *nullum animal pollet ratione*; utraque falſa eſt, ut in materia contingente; nam nota ſpecifica reſpectu generis cenſetur contingens & variabilis, quia genus indifferens, & indeterminatum concipitur ad quamcunque ſpeciem.

## §. XLI.

Propoſitio IV. *Binæ ſubcontrariæ propoſitiones nullo caſu ſimul falſæ eſſe poſſunt.* Sint enim falſa I & O ſimul; ſi falſum eſt I; verum eſt E; quia ex falſitate unius contradictoriæ legitime concluditur veritas alterius ex prop. I. & ob eandem rationem ſi falſum eſt O, verum eſt A; igitur ſi I & O falſa ſunt ſimul, ſimul vera ſunt A & E; hoc repugnat ex prop. præc. igitur repugnat illud quoque, unde id ſequitur. In materia contingente alicui ex genere, vel ſpecie quidquam ineſt, aliis non item; igitur & adfirmans, & negans propoſitio vera eſſe poteſt: in materia autem neceſſaria, quod uni, idem omnibus convenit, vel repugnat.

*Sunt, qui negant, ſubalternas, & ſubcontrarias propoſitiones in numero oppoſitarum habendas eſſe, cum utraque vera ſit ſæpenumero; at enim non ſpectatur hic primario oppoſitio quoad veritatem, ſed quoad quantitatem, vel qualitatem, eaque ad legitimam diviſionem ſufficit. In propoſitionibus modalibus ſigno **A** reſpondet ne-*

*ceſſarium, ſemper, ubique; ſigno I poſſibile, aliquando, alicubi; ſigno E impoſſibile, nunquam, nullibi: ſigno O poſſibile non, aliquando non, alicubi non. Contradictio in promptu eſt, ſi modis præfigitur ſignum negationis.*

# CAPUT VI.

## *De Vi naturali ratiocinandi reducta ad certas leges.*

*ARISTOTELES, qui argumentandi artem primus protulit, ſyl- „ logiſmus, inquit L. I. Prior. Eſt oratio, qua quibusdam „ poſitis alius quid a poſitis neceſſe eſt contingere, eoquod hæc ſint. „ Eſt igitur ſyllogiſmus, latine ratiocinatio, genus quoddam iudiciorum mediatorum, quæ vi naturali cogitandi in nobis exiſtunt, & ad certas regulas hic revocanda ſunt, non ut altercandi artem, ac ſophiſmata concinnandi artificium exponamus, ſed ut certam, tutamque viam recte progrediendi in cognitione, atque explicatione veri monſtremus.*

## §. XLII.

*Natura ratiocinationis, atque argumentationis in eo ſita eſt, ut quibusdam poſitis vel cognitis ad aliud ponendum vel cognoſcendum progrediamur ob perſpectam eorum inter ſe connexionem.* Tria igitur in quovis ratiocinio ſpectanda ſunt, 1. ea, quæ primo ponuntur, ſive quæ antecedunt, ſeu principia, aut præmiſſæ. 2. Id, quod conſequitur, ſive concluſio. 3. Conſequentia, id eſt, connexio inter antecedens & conſequens. Ipſæ ideæ, ac iudicia, ſive termini, ac propoſitiones, tum quæ antecedunt, tum quæ conſequuntur, vocantur *materia* argumentationis, nempe ex qua illa fit: legitima terminorum ac propoſitionum diſpoſitio eſt *forma*. Ob variam formam, ſeu diverſam terminorum ac propoſitionum diſpoſitionem variæ ſunt argumentationum ſpecies; ac de quavis ſpecie Logica ſtatuit generalem argumentandi formam, adcurateque demonſtrat, quod poſita tali forma, ſi verum ſit antecedens, neceſſario etiam ſit, & haberi debeat verum conſequens. Si iam forma datæ cuiusvis argumentationis conformis eſt illi generali formæ in Logica demonſtratæ, ea argumentatio dicitur legitima, ſeu legi generali conformis, ac tum etiam in data argumentatione, conceſſo antecedente tanquam vero, negari non poteſt, aut pro fal-

ſo

ſo haberi conſequens. Ex demonſtratione igitur, quæ de ſingulis argumentandi formis in Logica adfertur, pendet lex generalis conſequentiæ: *in legitimo ratiocinio ex vero* antecedente *non poteſt ſequi falſum* conſequens.

*Ex forma legitima argumentatio dicitur formaliter bona: ex veritate vero antecedentis ac conſequentis, bona materialiter; omnis igitur defectus vel eſt in materia, ſiqua propoſitio a vero re ipſa aliena eſt: vel eſt in forma, quo caſu potiſſimum dicitur ſophiſma, ſeu fallax concluſiuncula, ut Cicero ait L. IV. qq. Acad. Siquando legitima forma minus aperta eſt, & facile reſtitui poſſit, argumentatio* cryptica *nuncupatur.*

## § XLIII.

Quando ratiocinamur, id eſt, a poſitis, & notis ad ignotum, & aliud ponendum progredimur, triplex caſus videtur habere locum; I. A ſingulari vel particulari aſcendimus concludendo ad univerſale. Hæc ratiocinii forma vocatur inductio.

*Ex obſervatione ſingularium concludimus, omnia corpora eſſe extenſa, impenetrabilia, mobilia, & ſiquæ ſunt aliæ proprietates generales eorundem, uti cum ſingula corpora ſyſtematis ſolaris in ſe mutuo tendere, vel gravitare, oſtenditur, generatim concludimus: gravitas corporum eſt univerſalis ac mutua. Hac concludendi forma propemodum omnis cognitio univerſalis ipſo uſu ſenſuum, vitæque ab hominibus vulgo acquiritur; quod eleganter declarat Ariſtoteles L. II. Poſt. C. ultim. quemadmodum enim fuſa acie, ac diſſipato agmine, id rurſum revocatur, dum unus fugientium primo conſiſtit ad reſiſtendum paratus, cui dein alii atque alii adiunguntur, donec agmen fiat; ſic proportione quadam, dum animus ope ſenſuum ſingularia percipit, ea cognitio vi memoriæ ſiſtitur; eidemque paulatim alia ſingularis, atque alia adiungitur, donec univerſalis cognitio conſletur, quæ eſt principium ſcientiarum, & artium. Ita Ariſtoteles. Hoc quidem modo homines ex ſimilibus caſibus, qui iterato recurrunt in conſuetudine vitæ, veritates generales colligunt, quas diu cogitatas memoria condunt, atque ad caſus ſimiles in poſterum occurrentes adplicant, veritatem generalem inductione cognitam deinceps in caſu*

 *ſingu-*

*ſingulari animadvertentes, ſive ut Philoſophi aiunt, abſtractum in concreto intuentes; uti cum iterato experiuntur homines, ſe loquendi candore, & veritatis ſtudio in aliorum offenſionem incurrere, vulgo aiunt: veritas odium parit; ſimiliter frequentibus caſibus diſcunt: male parta male dilabuntur; atque ita rudes, & illiterati ſæpe ſententiis generalibus, atque adagiis experientia comprobatis utuntur, atque ob uſum rerum prudentiam, conſilium, mentem, rationem in ſenibus eſſe dicunt.*

II. Sæpe ratiocinando ab univerſali cognito deſcendimus ad concludendum particulare, quod fit primo, cum generalia nomina ſpecierum & generum, quorum ideas iam adepti ſumus, rei particulari obviæ tribuimus, eoque modo res particulares ad ſuas ſpecies ac genera reducimus hoc generali ratiocinio: *cui convenit, aut non convenit definitio, eidem convenit, aut non convenit definitum, ſeu nomen generis aut ſpeciei definitioni impoſitum: atqui res obvia eſt talis, ut ei conveniat, aut non conveniat definitio; ergo eidem convenit, aut non convenit definitum;* dicitur autem rei obviæ definitio competere, ſi eidem ineſſe obſervantur ſingulæ notæ definitionem ingredientes; origo itaque iſtiusmodi ratiocinii eſt hæc: quia ob legem imaginationis ideis rerum termini aſſociantur (§. XII.) uſu venit, ut rebus ſingularibus, in quibus notas termino generali ſubiectas obſervamus, eandem vocem tribui debere iudicemus; dum enim e. g. ope ſenſuum in re obvia A ineſſe cernimus notas B: ac dein (vi memoriæ ac imaginationis) rem, cui inſunt notæ B, novimus adpellari C; vi rationis concludimus, rem obviam A adpellari ſeu eſſe C; aut ſi in re obvia non deprehendimus notas certa voce contentas, eiusque vocis idea ex quacunque cauſſa in nobis excitetur, inferimus, rei illi vocem generalem non competere; Hoc quidem modo fit reductio particularium rerum ad genera vel ſpecies. Supereſt alius modus ad hunc locum pertinens, quando rebus ita reductis proprietates generum vel ſpecierum tribuimus hoc ratiocinio: *Rei obviæ competit nomen generis, vel ſpeciei: atqui tali generi, vel ſpeciei convenit, vel non convenit hoc prædicatum: ergo pariter rei obviæ convenit, aut non convenit hoc prædicatum;* ſive ens A habet notas B: ſed quod habet notas B, ei convenit,

vel non convenit prædicatum C; igitur enti A convenit, vel non convenit prædicatum C. In utroque caſu, ut rei particulari nomen genericum, vel proprietas generi competens tribui queat, neceſſe eſt, ut cognitio univerſalis de generis definitione & proprietate præcedat; in utroque igitur caſu ab univerſali cognito deſcendimus ad concludendum particulare.

*Sit hoc exemplum utriusque caſus: video Titium magnitudine mali imminentis turbari, & animo cadere; tum in mentem venit notio generalis: qui magnitudine mali imminentis turbatur, & animo cadit, eſt puſillanimis: ergo (infero) Titius eſt puſillanimis. Qui generatim novit, hominem puſillanimem haud idoneum eſſe rebus magnis gerendis, porro ratiocinabitur hoc modo: Titius eſt puſillanimis: homo autem puſillanimis non eſt idoneus rebus magnis gerendis: igitur Titius non eſt idoneus rebus magnis gerendis. Sit alterum exemplum. Caius pro libitu quidvis fingit ad explicanda phœnomena naturæ: qui autem quidvis fingit, Philoſophus non eſt: igitur Caius Philoſophus non eſt: porro, Philoſophus ſimplicitatem naturæ in ſumma rerum varietate perſpicit, & nemo alius perſpicit: Caius autem non eſt Philoſophus: igitur Caius ſimplicitatem naturæ in ſumma rerum varietate non perſpicit. Duo præterea animadvertenda: rebus obviis generalia nomina citra ratiocinandi ſtudium velut per iudicium intuitivum immediatum aliquando tribuimus, dicendo: hic eſt equus: hoc eſt lignum. At non raro multis rationibus opus eſt, ut notas definitioni nominis ſubiectas in re particulari ineſſe oſtendamus; quo modo Tullius confirmavit, in Pompeio ineſſe notas ſummi Imperatoris, nempe ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Dein ex his colligitur; quanti momenti ſint adcuratæ definitiones, ac propoſitiones determinatæ; ſecus adplicatio earum, quæ per memorata ratiocinia fit, maximis erroribus ſubiacet.*

III. Alius modus eſt, quo ab una cognitione ad aliam tranſimus cum priore connexam, vel pugnantem, nulla habita ratione maioris vel minoris extenſionis idearum. Huc pertinere arbitror, multas conſequentias immediatas, quando poſita unica propoſitione mox conſequens inferri poteſt: tum ratiocinia, quæ ex hy-

potheticis, disiunctivis, & copulativis propoſitionibus componuntur.

*Pons ruit: igitur potuit ruere: triangulum non eſt quadratum: ergo qui triangulum deſcribit, non deſcribit quadratum; in his quidem ob perſpectum idearum nexum fit concluſio: ex idea finiti concludimus, quod aliud maius aut melius eſſe poſſit: ex idea compoſiti, quod ſit diviſibile: ex idea ſimplicis, quod oriri non poſſit, niſi fiat ex nihilo. Sæpe ex pluribus unum eſſe, vel ineſſe debere novimus, unoque eorum poſito reliqua non eſſe vel ineſſe, e. g. quod nec maius, nec minus eſt, erit æquale; quæque ſunt generis iſtius, in quibus nec a particulari ad univerſale, nec contra progredimur, ſed ab una idea tranſimus concludendo ad aliam. Novi equidem iſtiusmodi ratiocinandi modos ad ſyllogiſmum proprie talem, de quo mox agam, revocari poſſe, ſed non quid fieri queat per artem, ſed quid vi naturali cogitandi fiat, mihi inveſtigandum ſumſi; deinceps de legibus ratiocinandi agam.*

## §. XLIV.

*Inductio eſt argumentatio ex enumeratione particularium concludens univerſale*, eaque completa, ſi omnia particularia ſub termino generali contenta enumerantur; incompleta, ſi aliqua tantum. Siquid pluribus ſingularibus, quæ ad eandem claſſem referuntur, conſtanter convenire obſervatur, id ceu nota conſtans ad totam claſſem plerumque extenditur; quamquam nova inductione, variorumque caſuum enumeratione opus eſt, ut illud rei conſtanter convenire adfirmari queat; dein etſi ea proprietas, e. g. elaſticitas chalybi, toti claſſi inſit, tamen diverſi ſæpenumero gradus intenſionis in diverſis ſubſtantiis deprehenduntur, ut raro ad generales veritates, quæ quidem uſui ſint in communi vita, perveniatur. Incompleta inductio, ac paullo laxior, ut Boſcovichius ait, has conditiones habeat neceſſe eſt; ut proprietas illa, vel naturæ lex, ad quam probandam inductio adhibetur, in pluribus caſibus obſervetur: ut nullus caſus ſit obſervatus, in quo evinci poſſit, eam violari: ut, quæ eidem adverſari primo videntur, re adcuratius perſpecta cum illa lege vel proprietate generali

rali conciliari poſſint ; eiusmodi inductio , etſi fallere demum poſſit , validam tamen contra errorem præſumtionem præbet , donec poſitiva ratio contrarium evincat. Vis huius argumentandi formæ , ſi incompleta eſt , ex regulis probabilitatis , & multo magis ex inveſtigatione naturæ perſpicietur : Si completa eſt , nititur hoc principio : quævis claſſis ſpeciei vel generis aliud non eſt , quam complexio ſingularium ; ergo quod de his vere enunciatur, etiam claſſi generis vel ſpeciei convenire debet ; ut , & terra eſt gravis , & aqua , & ignis, & aer ; ergo omne elementum grave eſt. Quotiescunque igitur vel unicum ex ſingularibus adſignari poteſt , cui prædicatum , quod cæteris omnibus convenit , vere tribui nequeat , inductio non eſt legitima : Deus , ſpiritus ſeparati , mens humana , imo & animæ beſtiarum cogitant : non item ſimplicia elementa materiæ : quocirca concludi nequit : omne ens ſimplex cogitat. Homines vulgo ab uno alterove ſingulari temere ac præcipitanter ad concluſionem generalem proſiliunt.

*Inductio , qua plurimum uſus eſt in ſermonibus Socrates , oratoribus cenſetur , quotiescunque ex pluribus eo quis pervenit concludendo , quo vult ; Ariſtoteles quoque exemplum eſſe rhetoricam inductionem ait : huc igitur omne comparationum , ſimilitudinum , exemplorum , parabolarum , apologorum &c. genus pertinet , quæ etiam ſub ſimilitudine ceu ſub genere ſpecies comprehendi queunt , quia in omnibus ſimilitudo quædam circumſtantiarum , vel notio communis in primis ſpectanda eſt.*

## §. XLV.

*Syllogiſmus eſt argumentatio , qua ex cognita habitudine binarum idearum ad tertiam quandam , earum inter ſe habitudo , id eſt , convenientia , vel repugnantia colligitur.* Termini , qui binas illas ideas exprimunt , *extremi* ; qui vero tertiam ſignificat ideam , quacum priores ſingilatim comparantur , *medius* dicitur ; tribus igitur terminis , tribus itidem propoſitionibus , quarum binæ priores antecedens , vel præmiſſæ , tertia conſequens vel concluſio vocatur , hæc conſtat argumentandi forma ; eſt autem aliud conſequens , alia conſequentia , ſeu connexio antecedentis cum conſequente orta ex

 legi-

legitima terminorum diſpoſitione. Forma generalis ſyllogiſmi eſt hæc : In antecedente binæ ideæ ſingilatim comparantur cum eadem tertia ; ac ſi utraque convenit eidem tertiæ, in concluſione adfirmanda eſt convenientia earum inter ſe : ſi vero una convenit cum tertia , altera non convenit : in concluſione neganda eſt convenientia earum inter ſe , ſeu generatim , *ſi A , & B convenit cum C ; A & B conveniunt inter ſe ; & ſi A convenit cum C; B non convenit cum C; A & B non conveniunt inter ſe.* Demonſtratio huius formæ generalis manifeſte petitur 1. ex principio Metaphyſico : *quæ perfecte eadem ſunt eidem tertio , ea conveniunt inter ſe :* & *quæ vere diſtinguuntur in eodem tertio : id eſt , quorum unum cum tertio convenit , alterum non item, ea diſtinguuntur , ſeu non conveniunt inter ſe.* Huius principii uſus in ſyllogiſmo expoſitorio , ſive eo, cuius medius terminus eſt ſingularis , maxime elucet. 2. In ſyllogiſmo communi, ſive illo , cuius medius terminus eſt communis , evidentiori uſui ſunt principia Logica : *dictum de omni , dictum de nullo* ; id eſt , quidquid de termino univerſali ſecundum omnem extenſionem ſumto adfirmatur , vel negatur , id etiam de ſingulis ſub eo contentis adfirmari , vel negari debet. Ex his intelligitur , alterum ratiocinandi modum , quem ſupra adſignavimus , potiſſimum ſyllogiſmo proprie tali exprimi; in quo definitio ſit medius terminus in primo caſu , nomen generis vel ſpeciei in altero , ut conſideranti patet ; ac tum quidem una præmiſſarum, quæ definitionem cum definito , vel quæ nomen generis cum ſuo prædicato continet , reipſa continet concluſionem ; altera hanc in illa contineri oſtendit ; unde prior adpellatur *continens* , altera *adplicans* ; quam ſyllogiſmi generalem legem eſſe aiunt, ut una præmiſſarum concluſionem contineat, altera eandem ibi contineri oſtendat.

*Poſtquam mens ideam trianguli formavit , nec ſatis perſpicit, an omnes anguli trianguli duobus rectis quantitate conveniant , vel ab iis diſcrepent , alios angulos exquirit, quibus tres trianguli cuiusvis anguli ſunt æquales, & ex illarum æqualitate cum duobus rectis etiam angulorum trianguli cum binis rectis æqualitatem concludit ; ita in ſyllogiſmo binæ ideæ comparantur cum tertia, ut earum inter ſe habitudo inde colligatur; haud*

*ſecus ,*

*ſecus, ac ſiquis ad dimetiendas binas trabes, quas iuxta ſe ponere nequit, communem menſuram adhibet eo animo, ut, ſi utraque trabs communi menſuræ ſemel aut æque ſumtæ congruat, earum æqualitas; ſecus vero, ſi una convenit menſuræ, altera eidem non convenit, inæqualitas inferatur. Patet, in comparatione binarum idearum cum tertia triplicem caſum habere locum; 1. Si ambæ ideæ conveniant cum tertia; ac tum convenient inter ſe, eritque argumentatio adfirmativa; 2. Si una tantum convenit cum tertia, eoque caſu inter ſe non convenient, eritque negativa concluſio & argumentatio. 3. Si neutra convenit cum tertia; quo caſu nihil legitime concludi poteſt; nam binæ ideæ, ceu homo, & vivens convenire inter ſe poſſunt, etſi neutra cum tertia quadam e. g. lapidis idea conveniat: quemadmodum duæ res magnitudine æquari poſſunt, etſi utraque a tertio quodam diſcrepet.*

## §. XLVI.

Quia in præmiſſis termini extremi ſingilatim comparandi ſunt cum tertio, neceſſe eſt, ut is in antecedente bis ponatur; hinc fieri poteſt, ut in una præmiſſarum ſit ſubiectum, in altera prædicatum, vel in utraque prædicatum, vel utraque ſubiectum; Hæc *diverſa combinatio medii termini cum extremis figura ſyllogiſmi* dicta eſt, eaque triplex ſecundum Dialecticorum dyſtichon: prædicat & ſubicit medium ſibi prima figura: prædicat altera bis: tertia bis ſubicit. *Diverſitas propoſitionum ſyllogiſmi, quæ ex diverſa earum quantitate, & qualitate petitur, modus ſyllogiſmorum* vocatur, quos famoſis verſibus complexi ſunt Veteres, in quibus vocales literæ quantitatem & qualitatem cuiusvis propoſitionis (§. XXXI.) denotant: bArbArA, cElArEnt, dArII, fErIO.

*Hæc quidem ſcire, nulla eſt gloria; at neſcire, Dialectico, qui in ſcholis verſatus eſt, a quibusdam probro vertitur; plura addere haud opus eſt, quia, qui ſyllogiſmorum maxime amantes ſunt, extra Logicam ad ea nihil attendunt; cur vero doceamus, quæ deinceps ſempiterna oblivione ſepelienda ſunt?*

§. XLVII.

## §. XLVII.

Ex notione & principiis ſyllogiſmi derivantur regulæ quædam partiales, quæ ad ſophiſmatum ſolutiones excogitatæ, & ſequentibus verſiculis illigatæ ſunt:

I. *Terminus eſt triplex, maior, mediusque, minorque*: nam in præmiſſis bini extremi ſingilatim cum medio, in concluſione inter ſe combinandi ſunt; quævis vox, quæ diverſo ſignificatu ſumitur, æquipollet binis terminis, & vitioſam reddit argumentationem.

II. *Complecti medium nunquam concluſio debet*; in hac enim comparatio extremorum inſtituenda eſt.

III. *Utraque ſi præmiſſa neget, nihil inde ſequetur.* (Schol. §. XLV.)

IV. *Aut ſemel, aut iterum medium generaliter eſto.* h. e. medius terminus in una vel utraque præmiſſa diſtributive ſumendus eſt, ſecus non fieret comparatio extremorum cum eodem tertio, ſed cum diverſis partibus eiusdem; frequens eſt huiuscemodi vitium.

V. *Quantum præmiſſæ referat concluſio ſolum*; ſive nil in concluſione diſtribui poteſt, aut generaliter ſumi, quod diſtributum non fuit in præmiſſis; cum enim tota ratio adfirmandi habitudinem extremorum inter ſe vi ſyllogiſmi, ſit eorum ad tertium habitudo; fieri non poteſt, ut latius ſumantur in concluſione, quam in præmiſſis comparati ſunt cum medio termino.

VI. *Nil ſequitur geminis ex particularibus unquam;* nam ſi utraque præmiſſa eſt particularis, in adfirmativo ſyllogiſmo medius terminus, ſive ſubiectum ſit, ſive prædicatum, nunquam diſtribui poteſt; quod eſt contra reg. IV. idem fit in ſyllogiſmo negativo, ſi medius terminus eſt ſubiectum propoſitionis particularis negativæ; ſi vero in propoſitione negativa ut prædicatum ponitur, is quidem diſtributive ſumitur: at quia eo caſu etiam concluſio negans eſt, alter extremorum diſtribuetur in concluſione, qui non fuit diſtributus in præmiſſis.

Fallacia in dictione *fit* 1. *ſiqua vox diverſam ſuppoſitionem habet; ut eſt illud a Seneca exploſum: „ mus eſt ſyllaba: mus autem caſeum rodit: igitur ſyl- „ la-*

„ *laba caſeum rodit. Quod mihi ex iſta ſententia periculum imminet, inquit Seneca Epiſt. 49. quod incommodum? an forte acutior eſt illa collectio: mus ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non rodit: mus ergo caſeum non rodit. O pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubduximus, in hoc barbam dimiſimus, hoc eſt, quod triſtes docemus, & pallidi! ſi multum eſſet ætatis, parce diſpenſandum erat, ut ſufficeret neceſſariis: nunc quæ dementia eſt, ſupervacua diſcere in tanta temporis egeſtate?* „ *Hæc qui expendat, veniam dabit tam paucis verbis talia attingenti;* 2. *Si abſtractum ponitur pro concreto, & vox quædam nunc prima, nunc ſecunda intentione ſumitur: ut, homo eſt ſpecies: Plato eſt homo &c.* 3. *Siquis terminus pro ſtatu, alias per ampliationem, nunc proprio ſenſu, nunc translato ſumitur, aut, cum per ſe æquivocus eſt, non ad rem eandem refertur, uti, ſi taurus nunc terreſtre animal, alias ſidus cœleſte, vel montem, aut perſonam hominis denotet.* 4. *Si terminorum adpellatio mutatur, vel nunc ad notas conſtantes, nunc variabiles, nunc ad has, dein ad alias notas refertur. Hoc modo* æquivocatio *in ſingulis vocibus ineſſe poteſt*: amphibologia *in oratione, quæ ſenſum dubium parit.* 5. Eſt alia fallacia diviſionis ſive ſenſus diviſi, *quando disiunguntur ea, quæ non niſi coniunctim vera ſunt e. g. anima ſentiens non eſt libera; ergo anima non eſt libera; idem peccatum eſt, ſi parti tribuitur, quod non niſi toti convenit: homo eſt mortalis: igitur & anima. Contraria eſt* fallacia compoſitionis, *quando coniunguntur, quæ non niſi diviſim vera ſunt; e. g. poſſum & ſtare & ſedere: igitur utrumque ſimul; vel quando ſubiectum certo modo determinatum ſumitur, ac de eo ſic determinato quidquam enunciatur nulla habita ratione eius determinationis, vel notæ: tum vero hac manente idem enunciatur coniunctim, ceu homo iuſtus poteſt peccare: igitur qua iuſtus eſt, peccare poteſt; hoc caſu propoſitio vera dicitur in ſenſu diviſo, falſa in compoſito.* 6. *Quemadmodum argumentatio quædam a ſenſu diſtributivo ad collectivum legitima eſt* (*Schol.* §. *XXXIII.*) *ita* fallacia ſenſus diſtributivi, & collectivi *committitur, ſi prædicatum, quod ſingulis ideo ſolum competit, quia ſingula ſunt, & plura alia excludunt, nihilominus omnibus collectim ſunttis*

*tis tribuitur ; vel ſiquid de tota collectione negatur ob eam duntaxat cauſſam , quod id ſingulis non adæquate conveniat , etſi ex parte quadam , ſive inadæquate etiam ſingulis tribui poſſit ; ut , ſinguli milites non ſunt pares vincendo hoſti ; igitur nec omnes , ſive totus exercitus.* 7. *Conſequentia a ſuppoſitione disiuncta ad ſingularem, vel disiunctivam falſa eſt , ceu, aliqua ars eſt neceſſaria ad ſuſtentandam vitam : ergo ars liberalis. Sophiſmata extra dictionem alium ſibi locum vindicant.*

## §. XLVIII.

*Conſequentia immediata fit , quando poſita una propoſitione mox alia inferri poteſt vi regularum , vel demonſtrationum Logices.* Eiusmodi conſequentiæ ſunt 1. *A rectis ad obliqua* ; nam in propoſitione adfirmativa identitas , in negativa diſtinctio enunciatur ſecundum id , quod ſubiectum ac prædicatum in recto important ; hinc utrumque quovis caſu obliquo poni poteſt , eisque addi eadem notio communis ; ut , oratio eſt opus bonum ; ergo orationem qui facit , opus bonum facit. 2. *A iudiciis æquipollentibus* , ſive iis , quæ formantur ex eadem idea complexa : ædificium illuminatur a ſole : igitur ſol illuminat ædificium ; levia hæc videntur ; ſed uſui ſunt in membris demonſtrationum connectendis. 3. *Ex legibus propoſitionum oppoſitarum* ( §.XXXVII. & ſeqq. ) valet conſequentia immediata a veritate unius contradictoriæ ad falſitatem alterius , vel a falſitate unius ad alterius veritatem : a veritate ſubalternantis ad veritatem ſubalternatæ : a falſitate ſubalternatæ ad falſitatem ſubalternantis : a veritate unius contrariæ ad falſitatem alterius : a falſitate unius ſubcontrariæ ad veritatem alterius. 4. *A contradictorio conſequentis ad contradictorium antecedentis* ; cum enim in legitimo ratiocinio ex vero non poſſit ſequi falſum ; perſpicuum eſt , ſi conſequens ſit falſum , eiusque contradictorium verum , pariter antecedens , ut falſum , eiusque contradictorium ut verum poni debere. 5. *A ſpecie ad genus , & viciſſim* , hoc modo : ponatur idem ſubiectum propoſitionis , & varietur prædicatum : de quo vere adfirmatur ſpecies , de illo recte adfirmatur genus , quod in ſpecie iam continetur ; eſt hæc conſequentia immediata a ſpecie ad genus vel a termino

no inferiore ad ſuperiorem ; ut , hoc , quod video, eſt ferrum : ergo eſt metallum : contra de quo vere adfirmatur genus , nequit continuo adfirmari ſpecies, e. g. hæc figura eſt quadrilatera : ergo eſt quadratum ; eſt hæc fallacia a genere ad ſpeciem. Univerſe ſi prædicatum, quod ſimpliciter ſubiecto convenit, ei tribuitur ut determinatum certo modo , fit fallacia a dicto ſimpliciter , ad dictum ſecundum quid, ceu , hæc propoſitio eſt probata , ergo demonſtrata , id eſt , certo & evidenter probata. Determinationes , & limitationes vocibus additæ non ſemper ex genere efficiunt ſpeciem, ſed ideam penitus diverſam continent ; hinc , qui ſic inquit : hæc imago eſt homo pictus , ergo eſt homo ; committit fallaciam a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Hæc de argumentatione adfirmativa a ſpecie ad genus ; nunc de negativa : de quo vere negatur genus , de eodem neganda eſt ſpecies : hoc , quod vides , non eſt vivens , ergo non eſt animal ; non tamen ſiqua ſpecies de ſubiecto negatur , propterea genus negari poteſt. Si dein ſubiectum varietur, non poteſt generatim idem prædicatum manere in propoſitionibus determinatis , in quibus nulla nota comprehenſioni ſubiecti addi , nulla demi poteſt. 6. Denique genus quoddam conſequentiæ immediatæ eſt *converſio propoſitionum*, quæ fit transferendo prædicatum in locum ſubiecti , & viciſſim , ſalva propoſitionis veritate ; ratio converſionis pendet ex identitate , vel diſtinctione ſubiecti & prædicati , quæ ſemper mutua eſt ; quatenus enim A eſt B , eatenus B eſt A ; hinc legitima erit converſio eo pacto , ut extenſio terminorum maneat æqualis ; ut , aliquis orator eſt philoſophus : ergo aliquis philoſophus eſt orator ; nullus circulus eſt quadratum : nullum quadratum eſt circulus ; omne triangulum eſt figura : aliqua figura eſt triangulum , quia prædicatum , *figura* , in propoſitione adfirmativa particulariter ſumendum eſt, ſeu disiunctive ſupponit. Cum autem definiti & definitionis par ſit extenſio, alterum in alterius locum ſimpliciter ſubſtitui poteſt ( §. XIX. ) fallacia conſequentis ſit , ſi converſa propoſitio perperam infertur , ceu , omnis ſenex fuit iuvenis : ergo omnis iuvenis fuit ſenex ; inepte ! potius dicendum : ergo is , qui fuit iuvenis , eſt ſenex : aliquis homo

non

non eſt Philoſophus : ergo aliquis Philoſophus non eſt homo : male ; fac infinitam propoſitionem : ergo aliquis non Philoſophus eſt homo.

# CAPUT VII.

## *De Legibus Propoſitionum & Argumentationum compoſitarum.*

*A ſimplici propoſitionum genere ad compoſitum ſit progreſſio, quod ex ſimplicibus ope quarundam particularum coaleſcit ; in omni autem propoſitione compoſita vel plura ſubiecta, vel plura prædicata, vel plura & ſubiecta & prædicata reperiuntur ; eſtque compoſitio vel aperta, vel latens, ſeu implicita, quando in plures reſolvi poteſt propoſitio. Quatuor ſpectanda ſunt in quavis compoſita propoſitione* 1. *quale ſit cuiusque genus.* 2. *Quid ad veritatem requiratur.* 3. *Quomodo ei opponatur contradictoria.* 4. *Quas leges in ratiociniis habeat.*

## §. XLIX.

*Propoſitio compoſita*, *cuius membra particulis* : ſi, niſi *connectuntur*, *vocatur hypothetica ſeu conditionalis* ; in qua tria ſpectanda ſunt, 1. Conditio, ſive antecedens. 2. Conditionatum, ſeu conſequens. 3. connexio, & habitudo conditionis ad conditionatum. Huius quatuor genera ſunt ; nam 1. alia connexio ſeu habitudo, eſt *neceſſaria*, ſi poſita conditione impoſſibile eſt non poni conditionatum, vel conſequens ; ac tum propoſitio hypothetica dicitur *illativa*, ut, ſi eſt homo, animal eſt. Cicero L. I. de Inv. *Hoc quidem*, *ſi ſpiritum ducit*, *vivit : ſi dies eſt*, *lucet : eiusmodi eſt*, *ut cum priore neceſſario poſterius cohærere videatur.* 2. Alia eſt habitudo impoſſibilis, ſive conditionato repugnans ; ut, ſi pedem non moveas, ambulabis. 3. *Contingens*, ſi etiam poſita conditione poſſibile eſt, non dari conditionatum, ſive, ut Tullius loc. cit. ait, *ſi id*, *quod ſequitur*, ( ſive conſequens ) *non videatur neceſſario cum eo*, *quod anteceſſit*, *cohærere*, ut, ſi mater eſt, filium diligit. Similiter actio cauſſæ liberæ ſub conditione ſæpe enunciatur, quæ non neceſſitatem, ſed conducentiam quandam continet ; ut, ſi Tyrii vidiſſent miracula Chriſti, pænitentiam egiſſent ; talia præcurſionem quandam habent ad conſequens, & ſunt per ſe adiuvantia,

vantia, etſi non neceſſario. 4. Aliquando habitudo illa *adparens* tantum, reipſa nulla eſt, ut, ſi bubo cantarit, Petrus morietur; atque hoc caſu propoſitio hypothetica vocatur *diſparata*. Porro expendenti propoſitionem quamvis hypotheticam perſpicuum eſt, eam non indicare, quod conditio vel conditionatum reipſa, & abſolute ſit, ſed ſolum, quod habitudo quædam unius ad alterum enuncietur, vi cuius uno abſolute poſito etiam alterum ponendum eſt. Ex his colliges: *primo* ad veritatem eiusmodi propoſitionis non requiritur, ut conditio, vel conditionatum reipſa poſitum ſit, vel exiſtat. *Secundo* propoſitioni hypotheticæ contradicitur negando quamcunque habitudinem, hoc modo; etſi conditio ponitur reipſa eſſe, non propterea erit conditionatum.

## §. L.

Ut ratiocinii hypothetici, quod quidem maxime in uſu eſt, & forma, & demonſtratio comprehendatur, notandum: membrum quoddam huius propoſitionis, quæ pro maiore aſſumitur, dicitur *poni* in minore, ſi illud eadem qualitate repetitur, nempe ut adfirmans, vel ut negans, ſi eiusmodi fuerit; contra *tolli* dicitur, ſi qualitas mutatur, & ex adfirmante fit negans, ex negante adfirmans. Formæ generales huius ratiocinii duæ ſunt: I. primo ponitur propoſitio hypothetica: dein poſito antecedente, in concluſione ponendum eſt conſequens. II. Vel ſublato conſequente, poſtea tollendum eſt antecedens, hoc modo:

| I. | II. |
|---|---|
| Si A eſt, etiam C eſt; | Si A eſt, etiam eſt C; |
| ſed A eſt; | ſed C non eſt: |
| ergo etiam eſt C. | ergo non eſt A. |

Hæ quidem formæ demonſtratione non egent; nam propoſitio hypothetica vera non eſſet (ponitur autem vera) niſi poſito A, ſeu antecedente, & impleta conditione, ponendum eſſet C, ſeu conſequens, vel ſi ſublato conſequente, tamen conditio maneret poſita. De evidentia huius formæ Cicero L. IV. de Finib. ait: „ docent nos Dialectici, ut ſcis, ſi ea, quæ rem ali„ quam conſequantur, falſa ſint, falſam illam ipſam eſ-

„ ſe, quam ſequantur; ita ſit illa concluſio non ſolum „ vera, ſed ita perſpicua, ut Dialectici ne rationem „ quidem reddi putent oportere: ſi illud, hoc: non au- „ tem hoc: igitur ne illud quidem. „

*Exempla primæ formæ ſunt: ſi exiſtit ens contingens, pariter exiſtit ens neceſſarium: ſed prius eſt: igitur & poſterius: vel, ſi Caius elementis matheſeos non eſt imbutus, progreſſum non faciet in Phyſica: ſed reipſa Caius elementis matheſeos non eſt imbutus: igitur progreſſum non faciet in Phyſica: exemplum alterius formæ ſit tale: ſi homo non eſt liber, non eſt capax præmii & ſupplicii; ſed eſt capax præmii & ſupplicii, ergo liber eſt. Altera hæc forma congruit cum conſequentia immediata a contradictorio conſequentis ad contradictorium antecedentis (§. XLVIII. n.4.) & quoniam quævis propoſitio determinata in hypotheſin, & theſin, ſive in antecedens, & conſequens reſolvi poteſt; (§. XXXIV.) idcirco ex quavis propoſitione determinata ſecundum hanc formam argumenti concluſio fieri poteſt; ut, omne verum bonum eſt honeſtum: ergo, quod honeſtum non eſt, pariter verum bonum non eſt. Virtus non eſt fucata: igitur, quod fucatum eſt, virtus non eſt.*

## §. LI.

Si conſequens ab unico antecedente pendet, ita, ut iſtuc ſemper, ac neceſſario præcedat, tunc ſublato antecedente tolli etiam poteſt conſequens, & hoc poſito poni antecedens, hac forma:

| I. | II. |
|---|---|
| Si A eſt, etiam C eſt: | Si A eſt, etiam C eſt: |
| ſed A non eſt: | ſed C eſt: |
| ergo nec eſt C. | ergo & A. |

*Univerſe autem hæc forma adhiberi nequit, ac male concludes hoc modo: ſi eſt iratus, eſt animo inquieto: ſed non eſt iratus: ergo non eſt animo inquieto: nam animus inquietus eſſe poteſt non ob ſolam iram, ſed alias præterea perturbationes. Rectius conficiuntur ſimilia: non iaciuntur fundamenta: ergo non fiet domus: agri non ſunt ſati: nihil igitur meti poterit.*

§. LII.

## §. LII.

Aliquando ex hypotheſi impoſſibili fit ratiocinatio, ut, cum quidam ita argumentantur: etſi Deus non exiſteret, hominem tamen deceret, ea omittere, quæ ipſum reddunt poſitive imperfectum: ergo etiam in hypotheſi Athei datur ius naturæ. Eiusmodi hypotheſis impoſſibilis duplici modo aſſumi pro antecedente poteſt: *primo* in ſenſu reali, ut aiunt, ſive obiectivo, & directo; ut, ſi homo reipſa eſt lapis, non cogitat. Adpellatur hæc hypotheſis impoſſibilis primæ intentionis; ex qua nulla eſt concluſio, quia utrumque contradictionis membrum pari iure, ac ratione inferri poteſt; ſi enim eadem concipitur natura & hominis eſſe, & lapidis, æque proprium eidem erit & cogitare, & non cogitare, cum illud idea hominis in ſe involvat, & idea lapidis penitus excludat. Hinc vulgo aiunt: una chimæra generat aliam, & ex impoſſibili ſequitur quodlibet. *Secundo*, Hypotheſis impoſſibilis aſſumi poteſt in ſenſu pure formali, præciſivo, ſive ſecundum conceptum; quo caſu adpellatur ſecundæ intentionis, ac tum, niſi in ipſo conceptu contradictio contineatur, ex ea recte fit argumentatio; ut, etſi non daretur Dei omnipotentia; tamen mundus in ſe eſt poſſibilis, h. e. etſi nil concipiatur de potentia Dei; tamen notæ internæ mundi non continent repugnantiam. Nil igitur aliud talis argumentandi forma involvit, quam ideas omnipotentiæ, & poſſibilitatis internæ eſſe diverſas.

*In ratiociniis hypotheticis, quorum utraque præmiſſa eſt conditionata, in primis videndum, an utraque eodem tempore vera eſſe poſſit; ſi enim unius veritas alterius veritatem tollit: aut ſi conditio maioris manente veritate minoris impleri nunquam poſſit, nulla eſt concluſio; ut, ſi furioſo darem gladium, ſe perimeret: ſed ſi ſe perimeret, non darem gladium: ergo ſi darem gladium, non darem. Sed habeant ſibi iſtos griphos Logicos, qui iisdem innutriti ſunt; mihi non vacat, verbulum addere.*

## §. LIII.

*Si membra propoſitionis compoſitæ coniunguntur particulis* vel, aut *&c. ea disiunctiva eſt: ſi vero*

 *par-*

*particulis* &, nec, *copulativa*; illa, ut vera cenſeatur, non requirit, ut membrum utrumque ſeorſim ſit verum; imo id ne fieri quidem poteſt, ſi membra, ut oportet, oppoſita ſint: hæc vero omnium & ſingulorum membrorum veritatem poſtulat, quia omnia, & ſingula, ceu vera, enunciat; quod ex ſignificatione & vi particularum connectentium ſatis patet; quapropter ſi vel unius membri veritas deficit, tota propoſitio ſimpliciter falſa eſt, ſi, ut in ſcientiis, adcurate velimus loqui. Disiunctivæ propoſitioni per copulativam, copulativæ per disiunctivam contradicitur, qualitate ſingulorum membrorum immutata; ut, liberalitas eſt laudanda, & parſimonia non eſt vituperanda; contradices hoc modo: vel liberalitas non eſt laudanda, vel parſimonia eſt vituperanda. Sic obtinetur vera pugna, ſeu contradictio eiusmodi propoſitionum, vi cuius nec utraque vera eſſe poteſt, nec utraque falſa; ſi enim vera ponitur disiunctiva propoſitio, mutata qualitate ſaltem aliqua pars propoſitionis copulativæ, ac proin tota falſa erit: ſi vero disiunctiva eſt falſa, neceſſario omnes partes propoſitionis copulativæ, & conſequenter tota vera eſt.

*Quia propoſitio, cuius ſubiectum diſtributive ſupponit, prædicatum de ſingulis inferioribus ſub termino communi contentis ſeorſim enunciat, ea implicite copulativa eſt; pariter ſiqua propoſitio in materia contingente, & prædicatum & exiſtentiam adfirmet de ſubiecto, ea in copulativam reſolvi poteſt, cui per disiunctivam contradicitur: propoſitio, cuius ſubiectum disiunctive ſupponit, pariter disiunctivæ propoſitioni æquipollet.*

## §. LIV.

In omni disiunctione duo ſpectanda ſunt, *habitudo membrorum*, & *numerus*. Si ea eſt membrorum habitudo, ut alterum ab altero excludatur, nec plura in eodem habeant locum, *disiunctio* eſt *perfecta*; ſpectato autem numero, ſi omnia, quæ locum habere poſſunt, membra nullo prætermiſſo enumerentur, disiunctio eſt *completa*; ſecus incompleta. Si igitur & perfecta, & completa eſt disiunctio, poſito uno membro reliqua tollenda ſunt, & uno ſublato, id, quod reliquum

quum eſt, vel ſi plura ſint, quodvis ex pluribus disiunctive in concluſione ponendum eſt, hac forma;

| I. | II. |
|---|---|
| Aut A eſt, aut B; | Aut A eſt, aut B; |
| ſed A eſt; | ſed A non eſt; |
| ergo non eſt B | ergo B eſt |
| vel | vel |
| ſed B eſt; | ſed B non eſt; |
| ergo non eſt A. | ergo eſt A. |

*In hunc modum ſæpe Geometræ argumentantur: A vel eſt maius B, vel minus, vel æquale; ſed neque maius eſt, neque minus: igitur æquale. Si disiunctio non eſt perfecta, at propoſitio disiunctiva ſeu completa, ſeu incompleta, ponitur vera, tum poteſt quidem uno, vel pluribus membris ſublatis, id, quod reliquum eſt, poni, quia aliqua ſaltem pars vera eſſe debet, non tamen uno poſito membro cætera continuo tolli poſſunt, quia hoc caſu non repugnat, plurium veritatem una conſiſtere. Cicero L. I. de Inv. de hac argumentandi forma ita diſſerit: „ Enumeratio eſt, in qua pluribus rebus expoſitis, & cæteris infirmatis una reliqua neceſſario confirmatur hoc pacto: Neceſſe eſt, aut inimicitiarum cauſſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicuius amici gratia: aut, ſi horum nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum; nam ſine cauſſa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt. ſed neque inimicitiæ fuerunt, nec metus ullus, nec ſpes ex morte illius alicuius commodi, neque ad amicum huius aliquem mors illius pertinebat. Relinquitur igitur, ut ab hoc non ſit occiſus. „*

## §. LV.

*Argumentatio, cuius prima propoſitio eſt disiunctiva, altera vero omnia disiunctionis membra ita tollit, ut in concluſione, nihil ab adverſario vere dici poſſe inferatur, paſſim Dilemma, vel ſyllogiſmus cornutus audit.* Eſt alia eius forma, ſi prima propoſitio eſt hypothetica, cuius antecedens ab adverſario ſumitur, conſequens vero disiunctivum eſt; tum ſi altera propoſitio ſingula conſequentis membra tollit, in concluſione antecedens, ſeu hypotheſis adverſarii infringitur.

*Vitioſa hæc eſt argumentatio, ſi facile inverti poſ-*

*ſit, & ex iisdem membris concludi oppoſitum; cuius rei exemplum Ariſtoteles habet L. II. Rhetoric. cum enim non nemo filium ſuum fieri popularem oratorem vetaret, ſi iuſta dicet, inquiens, in odium hominum incurret; ſi iniuſta, in ſuperum; imo vero fieri oratorem popularem oportet: ſi enim iuſta dixerit, ſuperi eum amabunt; ſi iniuſta, homines. Aliud exemplum eſt apud Tullium L. I. qq. Acad. Varro Philoſophiam ex græcis literis ad latinas transferendam negabat; nam aiebat, cum Philoſophiam viderem diligentiſſime literis græcis explicatam, ſiqui de noſtris eius ſtudio tenerentur, ſi eſſent græcis doctrinis eruditi, græca potius, quam noſtra lecturos: ſi a Græcorum artibus, & diſciplinis abhorrerent, ne hæc quidem lecturos. Contra Tullius, imo vero, ait, & hæc, qui illa non poterunt, & qui græca poterunt, non contemnent ſua; quid enim cauſſæ eſt, cur Poëtas latinos græcis literis eruditi legant: Philoſophos non legant. Quivis me quidem nihil monente de lingua ſua patria ſimiliter iudicabit. Sed non eſt iſtuc ad propoſitum. Altera eſt in hac argumentandi ratione fallacia incompletæ diviſionis, ſeu disiunctionis; in quam Phyſici non raro incidunt, dum ex falſitate adverſarum opinionum ſuam eſſe veram concludunt; quid enim, ſi longe alia ſubſit genuina cauſſa, de qua nihil cogitant? Tullius L. I. de Inv. vitioſæ enumerationis hoc ponit exemplum: „ Quoniam habes iſtum equum, aut emeris oportet, aut hæreditate poſſideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus ſit: aut ſi horum nihil eſt, ſurripueris neceſſe eſt; ſed neque emiſti, neque hæreditate venit, neque domi natus eſt, neque donatus eſt: neceſſe eſt ergo, ſurripueris. Hoc commode reprehenditur, ſi dici poſſit ex hoſtibus equus eſſe captus, quo illato infirmatur enumeratio.*

## §. LVI.

*Ex copulativa propoſitione fit ratiocinium*, I. Si eius membra ſint negativa, ac ſe mutuo excludant, uno poſito reliqua tolli debent, & uno ſublato, quod reliquum eſt, poni, ſi membrorum numerus ſit integer; hac forma: Nemo & Deo ſervit, & Mammonæ: ſed homo avarus ſervit Mammonæ; igitur non Deo. II. Siquid duobus ſimiliter & pari ratione ineſſe videtur, &

& ſi uni non ineſt, nec alteri; vel ſi uni, & alteri: ſimiliter obtemperandum legibus, ac parentibus; ſed his: ergo & illis. Similiter ad virtutem ſpectat, non deprimi in adverſis rebus, ac non tolli in proſperis: ſed illud ſpectat certe; ergo & hoc. Similiter pauper infelix, ac dives felix: ſed hic minime felix: igitur nec ille infelix.

*Hæ argumentandi formæ, quas ex hypothetico, disiunctivo, & copulativo genere propoſitionum formari diximus, continent ſeptem concludendi modos, quibus veteres Dialectici fere uſi ſunt, teſte Cicerone in Topicis; ex his modis, inquit, concluſiones innumerabiles naſcuntur, in quo eſt fere tota Dialectica. Illud quoque pluribus locis teſtatur, Stoicos ea præcipue argumentandi forma uſos eſſe, qua in propoſitione copulativa exprimitur, fieri non poſſe, ut ſit unum, & non ſit alterum, unoque poſito ponitur alterum quoque; quam formulam argumentationis a negatione fere incipiebant; ut, non, & legatum argentum, & non legata numerata pecunia: legatum autem argentum: legata igitur numerata pecunia; obſervat autem Tullius, idem argumentum diverſis formis proponi poſſe; de qua reductione formarum tractare velle, ſupervacaneum duco, cum vi Logicæ naturalis, ac præſertim uſu ratiocinandi cuivis in promptu ſit.*

## §. LVII.

***Propoſitio cauſſalis eſt, quæ præter habitudinem terminorum etiam cauſſam exprimit, ob quam alter alteri convenit, vel repugnat***; ut, Milo iure occidit Clodium, quia fuit inſidiator. Ut vera ſit eiusmodi propoſitio, tum veritas utriusque membri requiritur, tum ut unum vera ſit cauſſa alterius: tria igitur copulate enunciat, ac in copulativam propoſitionem reſolvitur, ita, ut veritate membri unius deficiente ſimpliciter falſa ſit. Inde intelligitur, quomodo ei ſit contradicendum; quod quidem etiam negando cauſſam ſit, ut, etſi Clodius fuerit inſidiator, non iure occiſus eſt a Milone. Cauſſalis propoſitio a Veteribus dicta eſt diſcurſus virtualis, quia cauſſa inſtar antecedentis eſt, ipſa propoſitio inſtar conſequentis. Ariſtoteles L. II. Rhet. Sententias, ſive enunciationes generales iis de rebus, quæ in agendo aut

proſequenda ſunt, aut fugienda, fere & concluſiones, & principia enthymematum eſſe ait, ſi cum epilogo ſunt, id eſt, ſi demonſtrationem habent annexam; ut, quisquis ſapit, gnatos ita inſtituat ſuos, ſapientiores vulgo haberi ne velit; nam præter eam, quam contrahunt ignaviam, & odium a civibus ferunt ſuis.

## §. LVIII.

*Exponibilium propoſitionum, quas vocant, triplex genus vulgo ſtatuunt.* 1. *Excluſivæ* vocantur ob particulas *ſolum, tantum*, ac ſimiles, quæ, ſi adficiunt ſubiectum, indicio ſunt, prædicatum ſubiecto convenire, aliis rebus non convenire; ut, ſolus Deus non habet cauſſam ſui effectricem: ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum; ſi vero illæ particulæ pertinent ad prædicatum, a ſubiecto quodvis aliud prædicatum ſimilis generis excludunt; ut, Caius eſt tantum Muſicus, id eſt, Muſicam callet, nullam præterea artem; quanquam mens loquentium, & adiuncta alia in his præcipue ſpectanda ſunt. 2. *Exceptivæ* ob particulam *præter* vel ſiqua eſt æquipollens. 3. *Reduplicativæ* ob particulas *qua, quatenus*. Omnia iſta genera in propoſitiones copulativas reſolvenda ſunt, easdemque & veritatis, & contradictionis leges habent.

# CAPUT VIII.

## *De Ratiocinio Polyſyllogiſtico.*

*Sæpe ad inveniendam habitudinem binarum idearum non una ſufficit idea tertia, ſed longior ſeries, vel catena texenda eſt, ita, ut inter propoſitionem probandam, & eam, in qua probatio finem habet, plura ratiocinia interſint, ſive, ut Ariſtoteles ait, plura media condenſentur; de hoc igitur genere, quod ex pluribus ratiociniis ad unum ſcopum directis coaleſcit, in præſenti agendum eſt.*

## §. LIX.

Si propoſitio, quæ probanda eſt, ſit concluſio unius ratiocinii, cuius antecedens ut verum, & forma legitima agnoſcitur, probatio eius propoſitionis ſimplex eſt; at compoſita probatio, & ſeries ratiociniorum oritur, ſi una præmiſſa, quæ in ratiocinio negatur, ſit concluſio ſequentis ratiocinii, aut ſi concluſio præcedentis

ſit

fit præmiſſa ſequentis; ac tum quodvis præcedens ratiocinium vocatur proſyllogiſmus, poſterius vero epiſyllogiſmus. Eiusmodi ſeries vel concatenatio ratiociniorum ſecundum principia dividitur in *probationem a priore, & a poſteriore*, de qua nondum eſt agendi locus: Secundum ſtructuram internam in *probationem directam, ſeu oſtenſivam, vel apodicticam*, ſi veritas propoſitionis, quæ probanda eſt, ex habitudine terminorum proxime colligitur; & *indirectam, ſeu apogogicam*, quando propoſitio contradictoria oſtenditur falſa; uti oſtendimus, duas contrarias nunquam ſimul veras eſſe poſſe, dicendo: ponantur veræ; eruntque veræ & contradictoriæ: quod cum repugnet, ſequitur, ut repugnet duas contrarias eſſe veras; nunquam igitur ſimul veræ eſſe poſſunt: Secundum proponendi modum in *ſyntheticam* probationem, quando a primis, & conceſſis principiis deſcendimus ratiocinando ad theſin, vel propoſitionem probandam; & in *analyticam*, ſi a theſi inchoando ipſæ præmiſſæ ratiociniorum tamdiu probantur per alias, donec ad prima & conceſſa principia aſcendendo perveniamus.

*Ad concludendam immortalitatem animorum via ſynthetica pervenitur hoc fere modo: 10 ponuntur manifeſtæ ejus operationes; igitur, infertur, eſt ſpiritualis, proin ſimplex & indiviſibilis, conſequenter viribus naturæ interire nequit; ergo eſt immortalis. Contraria velut directione tendit analytica ſeries. Probationes directas indirectis præſtantiores eſſe, dudum obſervavit Ariſtoteles L. I. Poſt. C. XIX & XX. Si ſeries alicubi abrumpitur, & probatio cuiusdam membri, quod illa eget, prætermittitur, ſaltus fit in probando: circulus autem vitioſus, ſi binarum propoſitionum altera per alteram probatur; quemadmodum ſi A per B, & B per C probatur, etiam A per C mediate probatur: ſic, ſi A per B, & B per A confirmatur, reipſa A per A, hoc eſt, idem per idem probatur, quod perquam vitioſum eſt.*

## §. LX.

*Ratiocinii polyſyllogiſtici ſpecies eſt **Sorites**, ſive argumentatio, cuius propoſitiones ſic concatenantur, ut prædicatum præcedentis fiat ſubiectum ſequentis, donec ſubiectum primæ & prædicatum penultimæ inter ſe combinen-* tur;

*tur*; ut, mundus eſt ens compoſitum; ens compoſitum eſt contingens: ens contingens exiſtentiam habet ab alio: igitur mundus exiſtentiam habet ab alio.

Soritis igitur forma generalis eſt hæc: A eſt B;
B eſt C;
C eſt D:
ergo A eſt D.

Neceſſe eſt, ut omnes præmiſſæ excepta prima, ſint univerſales, ita, ut omne B ſit C, & omne C ſit D; ſecus comparatio non fit cum eodem tertio, ac proinde A non neceſſario continebit D; hinc vitioſe dicitur: elementum eſt ſubſtantia; ſubſtantia (aliqua) eſt vivens: vivens eſt ſenſu præditum: igitur elementum eſt ſenſu præditum.

*Cicero in Lucullo ait, Sophiſtas VV. captioſiſſimo orationis genere eſſe uſos, quod minime probari in Philoſophia ſolet, cum aliquid minutatim addunt, vel demunt: Soritas has vocant, qui acervum efficiunt uno addito grano; quærebant enim, tria pauca ſint, an multa; tum uno addito iterum, iterumque, an multa ſint vel pauca, quærebant; aut ex maiore numero, uno demto paulatim ita progrediebantur, ut dici haud poſſet, magnum eſſet, parvumne. Similiter fere ipſi ſe decipiunt, dum, quæ contemnenda putant, ac leves noxas, paulatim ingentes ſummas corradunt; vel qui confabulando, otiandoque, aut ludendo de nobiliſſimo tempore identidem detrahunt, ut, ſi partes ſingulas temporis, quas breves putant, colligerent in ſummam, facile viderent, maximam temporis partem nihil agendo præterlabi. Eadem eſt fallacia, qui fortuito concurſu literarum primo ſyllabam quandam, dein vocem, tum orationem ordinatam poſſe exiſtere conficiunt; lubricus igitur & periculoſus hic eſt argumentationis locus.*

## §. LXI.

Vis rationis, quæ eſt præſtantiſſima in nobis facultas, in ratiocinio polyſyllogiſtico maxime ſeſe exerit; in quo quidem res diverſæ quatuor diligenter ſecernendæ ſunt:

I. *Invenire ideas intermedias, ſive argumenta, per quæ binarum idearum habitudo, aut datæ propoſitionis veritas*

*ritas pateſiat*; facultas ideas intermedias, argumentaque promte inveniendi, *ſagacitas* a quibusdam dicitur; ac vulgo homines etiam rudes in rebus ſuis admodum ſagaces ſunt; ſtudium enim cuiusque ſibi ac rebus ſuis conſulendi, amor commodi proprii, ſpes lucri, ac mali fuga per aptas ratiocinandi vias ad veritates incognitas inveſtigandas eos deducit, quibus ſibi provideant, & conſulant; univerſe autem, ut quis probandi argumenta inveniat, neceſſe eſt, ut vis cogitandi ad maturitatem quandam pervenerit, uſu crebro ſubacta ſit, & memoria locupletata principiis ratiocinandi ab experientia, vel ſtudio hauſtis.

II. *Ideas intermedias ordine quodam diſponere, ut alterius cum altera connexio facile cernatur*; in primis cavendum, nequo in loco ſaltus fiat, vel hiatus pateat. Ad eiusmodi ſeriem neceſſaria per ſeſe haud eſt ſyllogiſmi forma; nam & ſorites uſui eſt, & mens intuendo ideas ſingulas, ſi quodam ordine ſint diſpoſitæ, earum connexionem cito pervidet; ut, ſiquis ob rationem divino Judici reddendam dotibus mentis ſuæ recte uti conſtituat; is haud ægre ordinem quendam videt inter ideam rationis Deo reddendam, ac Dei iuſtitiam & ſeveritatem, inter ſeveritatem iudicis, ac culpam deſidiæ, inter hanc & poteſtatem aliter agendi, inter poteſtatem aliter agendi, & neceſſitatem propoſiti, ſeu decreti recte utendi mentis dotibus, de quibus ratio reddenda Deo eſt.

III. *Singularum idearum nexum perſpicere*; ſiqua enim parte habitudo binarum idearum obſcura eſt, vel dubia adparet, vis probationis pæne tota infringitur, haud ſecus, ac ſiquis in operatione arithmetica debitum certitudinis atque evidentiæ gradum alicubi in progreſſu non conſervat, is de vera ſumma vel producto penitus incertus eſt; eo maior igitur in hac re difficultas, & errandi maius periculum eſt, quo longior eſt idearum, & ratiociniorum ſeries.

IV. *Id, quod concluditur, ex omnibus iis, quæ præmiſſa ſunt, inferre, ſeu perſpicere, quomodo ultima concluſio ab omnibus ſimul præmiſſis pendeat.* Nonnulli ob anguſtias mentis, & ſegnitiem cogitandi vix inter membra unius ratiocinii nexum diſtincte vident; aliorum capacitas trium quatuorve ſyllogiſmorum eſt: ii

quo-

quoque, quibus mens capacior eſt, antequam uſu atque exercitatione vim attendendi, ideasque connectendi augeant, initio neceſſe hâbent probationes paullo longiores iterare, donec nexum omnium & ſingulorum, a quibus concluſio pendet, ſatis perſpiciant. Ex his iam intelligitur, in quo ſita ſit *evidentia rationis* in uſu ratiocinii polyſyllogiſtici, nempe in perſpicua cognitione veritatis ſingularum præmiſſarum, & in clara perſpicientia illationis, ſive nexus ultimæ concluſionis cum omnibus præmiſſis: *Soliditas rationis* adpellatur promtitudo mentis ratiocinia ſervata evidentia rationis contexendi, eorumque ordinata ſerie rem propoſitam in certa principia reſolvendi: omnia proin, quæ in uſu ratiocinii polyſyllogiſtici obſervanda diximus, hic concurrunt: 1. Ut quis ideas intermedias inveniat, vel ab aliis inventas mente teneat; 2. Ut eas apte, ordinateque diſponat; 3. Ut ſingularum nexum videat; 4. Ut, quomodo concluſio ab omnibus præmiſſis pendeat, intueatur.

*Magni momenti eſt, hos inter ſe gradus ſegregare; aliud eſt enim binarum quarumvis idearum nexum percipere in probatione inventa ab alio: & aliud eſt, videre, quomodo concluſio ab omnibus partibus pendeat: dein aliud eſt, ut quis probationem concinne ipſe contexat; & ab his omnibus diverſum eſt, ideas intermedias, ſive argumenta invenire, quibus tota probatio nititur. Oratores non modo inventionem & diſpoſitionem ceu diverſa oratoris officia diſcriminant, ſed in ipſa oratione, ut ſingulæ partes perſpicuæ ſint, tum ut inter ſe cohæreant, atque ad propoſitum ſcopum tendant, diligenter curant; hinc iteratis concluſionibus, & anacæphalæoſi utuntur, ut nexus concluſionis, ſeu propoſitionis ex omnibus, quæ dicta ſunt, manifeſtius eluceat.*

# CAPUT IX.

## *De ortu & progreſſu cognitionis humanæ.*

*Expoſitis iam operationibus mentis, atque ad regulas reductis origo & progreſſio cognitionis noſtræ inveſtiganda eſt, ut & naturales cogitandi vires intimius perſpiciamus, & quomodo iis utendum ſit, diſcamus. Duo autem præcipue inquiram, originem idearum, & principiorum generalium cognitionem: utrumque ad Logicam maxime pertinere ipſa tractatio faciet palam.*

§. LXII.

## §. LXII.

*Ideæ adventitiæ ſunt*, quæ ope ſenſuum, vel reflexionis proxime & immediate adveniunt, id eſt, quæ per impreſſiones ſenſibilium rerum in organa, vel per attentionem ad ea, quæ in mente noſtra contingunt, primo obtinentur: *factitiæ* adpellantur, quæ ex ideis ſenſu, aut reflexione acceptis fiunt ab ipſa mente, abſtrahendo easdem, componendo, comparando. Per innatas ideas, quas nonnulli Philoſophi propugnarunt, nequit intelligi ipſa facultas naturalis percipiendi, & cogitandi; hanc enim nobis innatam, ſeu congenitam eſſe iam inde a primo ortu, nemo inficiatur; ſed aliud nempe eſt facultatem a natura habere ideas acquirendi, aliud ipſas a natura habere ideas; quare, qui vim cogitandi pro ideis habent innatis, uti Carteſius quibusdam locis videtur indicare, ii aliter loquuntur, ſed idem ſentiunt, ac illi, qui nullas agnoſcunt ideas innatas; at iidem omnes plane omnium rerum ideas, quæ acquiruntur tota vita, imo eas quoque, quæ nunquam in mente comparent, pro innatis habere debent; quia vis & facultas cognoſcendi res innumerabiles, quæ per omnem vitam non attinguntur a plurimis, certe innata eſt. Quam ob rem per ideam innatam non alia intelligi poteſt, niſi quam mens ſibi ineſſe cognoſcit, ſed quæ nec ſenſuum, nec reflexionis ope acquiſita, nec ab intellectu ex ſenſuum vel reflexionis ideis quoquo modo formata, ſed naturaliter inſita eſt, & iam inde a primo ortu conſignata in mente, etſi ea non perpetuo menti obverſetur; quis enim de Deo, veritate, ſubſtantia, de principiis morum vel ſcientiarum, quarum rerum ideas eſſe innatas volunt, perpetuo, & ſine intermiſſione cogitat? Quocirca ſicut aliæ ideæ adventitiæ aut factitiæ haud ſemper actu præſentes in mente ſunt; ſic innatæ ideæ duntaxat certis temporibus redire, atque excitari deberent, quando res aliæ perceptæ earum nos quodammodo commonefaciunt. Denique de illis ideis hic ſermo eſt, quas conſueto naturæ curſu hic obtinemus, dum iſtuc corpus mens incolit; fieri enim poteſt, ut Deus humanæ menti aliquando ideas, rerumque cognitiones inferat ſine ullo ſenſuum, vel idearum ante acquiſitarum adminiculo, quemadmodum S. Paulo obtigiſſe puto,

quan-

quando in tertium cælum raptus eſt; anima vero poſt mortem ſine ſenſibus, & organis ideas excipiet rerum extra ſe poſitarum ratione quadam nobis incognita.

## §. LXIII.

Propoſitio I. *Prima origo omnium idearum petenda eſt a ſenſu, & reflexione, nullæque ſunt ideæ innatæ.* Probatur inductione idearum cuiusvis generis. 1. Aliæ ſunt rerum ſenſibilium præſentium. 2. Aliæ rerum ſenſibilium abſentium. 3. Rurſus aliæ ſunt inſenſibilium rerum, tum quas inſtar corporeæ rei, 4. tum quas citra corpoream imaginem mens tenet; ac

I. *Senſibilium rerum, id eſt, earum, quæ impreſſionem efficiunt in organis, ideas non habemus, niſi adminiculo ſenſuum;* facta enim mutatione in organo exiſtere incipit idea, vel perceptio rei in mente: pro varia autem organi conſtitutione res eadem alias atque alias ideas excitat, idemque cibus ac potus, qui uni dulcis, vel ſapidus, alii, cuius organum aliter eſt adfectum, inſipidus, & amarus adparet; ac quædam ideæ ſenſibilium rerum ita pendent a ſuo organo, ut, ſi iſtuc ad ſuas functiones perpetuo ineptum ſit, eæ nulla alia via mentem ſubire queant; eiusmodi ſunt ideæ lucis & colorum, ſonorum, ſaporum, & odorum; qui enim viſu caret a primo ortu, non magis ſibi ideam colorum formabit, ac qui piſcem marinum, vel vinum exterum nunquam guſtavit, eius perceptione adfici poteſt; viderunt id VV. Peripatetici, nihil diſſeri, vel cogitari a nobis de iis rebus poſſe, quarum ideæ ſenſuum vitio obtineri nequeunt; Aristoteles L.I. Poſt. text. 33. *Planum autem eſt*, inquit, *quod, ſiquis ſenſus defecerit, neceſſe eſt, & ſcientiam aliquam deficere.* Quædam ideæ per plures ſenſus introeunt in mentem, uti ideæ motus, quietis, extenſionis, figuræ &c. & viſu & tactu naſci poſſunt; ad motum variæ eius modificationes pertinent, ut, labi, gyrari, volvi, deſcendere, ſerpere, ambulare, ſubſultare &c.

II. *Ideas ſenſibilium rerum abſentium, quæ vi imaginationis, & memoriæ reproducuntur, a ſenſu primum oriri palam eſt;* nemo enim ſibi imaginatur, quod ſenſu nunquam percepit, & ut quisque plura arripuit ſen-

ſibus

ſibus, ita, ſi memoria pollet, plura imaginari poteſt, ideasque ſenſuum variis modis combinare vel ſeparare, uti a pictoribus fit, & poetis, & ſtatuariis, architectis, inventoribus novarum machinarum, & inſtrumentorum. Quamvis igitur multæ ideæ complexæ effingantur a mente; tamen partiales ideæ ſingulæ, quæ complexam ingrediuntur, a ſenſibus ducunt originem.

III. *A phantaſia, ac proin mediate a ſenſibus pendent tertii generis ideæ, quæ ſub imagine corporea, vel idolo phantaſtico exhibent res nulli ſenſui ſubiectas, & omnis corporeæ concretionis expertes*, uti cum angelos ceu iuvenes alatos, animam hominis a corpore avulſam, ceu umbram proiectam a corpore plurimi concipiunt: imo virtus, vitium, æſtas, hyems, religio &c. vi imaginationis, quæ tota a ſenſibus pendet, in perſonas ſenſibiles transformantur a poetis & in ſcenam inducuntur iis notis & characteribus veſtitæ, quæ illarum rerum proprietates exprimunt quoquo modo. Quis non videt, originem iſtiusmodi idearum a ſenſibus derivari? cæterum talis *idea, qua ob ſimilitudinem fingitur, quod non eſt, ut ſenſibus & imaginationi obiiciatur id, quod in eos minime cadit*, vocatur *imaginaria*, cui *realis* opponitur, quæ nihil fictitium continet. Imaginariæ ideæ inprimis familiares ſunt iis, qui contemplatione ſublimium rerum, & ſcientiarum tractatione mentem a ſenſibus avocare haud ſatis didicere, quod quidem difficile eſſe per ſeſe, Tullius iam obſervavit. Geometriæ tirones circulum quoque, triangulum, aliaque ſchemata Geometriæ inſtar ſubſtantiarum corporearum ſibi repræſentant, & lineam inſtar tenuiſſimi fili in longum extenſi concipiunt; quæ eſt imaginaria idea.

IV. *Ideæ denique inſenſibilium rerum, quas citra imaginem corpoream habemus, oriuntur reflexione, ſive animadverſione eorum, quæ in mente noſtra ſiunt, & modi, quo ſiunt;* ſic nobis innoteſcit, quid cogitatio ſit, & adpetitio, & cogitationis, adpetitionisque varii velut modi, uti attentio, recordatio, phantaſma, ratiocinatio; delectatio, & moleſtia, earumque gradus quidam, ut felicitas, dolor, miſeria, cruciatus; eodemque ex fonte omnes propemodum notiones ad Logicam & Ethicam pertinentes derivantur. Recte igitur concluditur, originem idearum omnium a ſenſu & reflexione petendam

dam

dam eſſe; unde conſequitur, ut reiici debeant ideæ innatæ; nam ſecundum generalem philoſophandi legem non plures rerum cauſſæ, vel origines admittendæ ſunt, quam quæ & veræ ſint, & effectibus explicandis faciant ſatis.

## §. LXIV.

### Resolvuntur Dubia.

I. *Dici nequit, ideas oriri in nobis ob impreſſionem rerum externarum in ſenſus: igitur innatæ ſunt.* a. p. *impreſſio rerum externarum in ſenſus nihil eſt, niſi motus: motus vero nihil ſimile habet cum ideis: ergo dici nequit, ideas oriri in nobis ob impreſſionem rerum externarum in ſenſus.* R. n. a., imo & c. ad prob. a. c. a, n. c. ratio negandi eſt, quia illud duntaxat hic adfirmo, nullam in mente noſtra oriri ideam, aut formari a nobis poſſe, niſi facta primo impreſſione in ſenſus, vel attentione reflexa ad id, quod intus in animo contingit: idque ſatis eſt ad reiiciendas ideas innatas; quales porro ſint cauſſæ phyſicæ idearum, quomodo mens determinetur motu organorum, an res externæ in mentem agant, quæque ſunt iſtius generis quæſtiones perdifficiles, ad hunc locum non pertinent omnino; quia id modo quæritur, qua occaſione, & qua via ideæ primo veniant in mentem, quæcunque earum ſtatuatur cauſſa effectrix, haud ſecus, atque auceps explorare ſolet, qua parte, & quo tempore convolare aviculæ ſoleant certis locis, quin diſquirere neceſſe habeat cauſſas phyſicas, quæ easdem illo agant.

II. *Forte impreſſiones ſenſuum*, inquiunt, *neceſſariæ ſunt, ut innatæ ideæ, & iam diu in mente conſignatæ excitentur, quemadmodum ſecundum legem imaginationis una idea excitat, vel revocat aliam alio tempore acquiſitam.* R. n. *primo*, ideæ ab alia excitatæ ſecundum legem imaginationis fere coniunctæ ſunt cum conſcientia, quod alio tempore fuerint in mente (loquor de ſimplicibus ideis; novæ enim complexiones vi imaginationis ſæpe formantur) talis conſcientia non adeſt, ſiquid ſenſibus primo percipimus: neque enim, qui vinum primo delibat, ſibi conſcius eſt, talem perceptionem alio tempore ſe habuiſſe. *Secundo.* Iſtuc de omnibus plane ideis fingi poteſt, eas antea conſignatas in men-

mente latuiſſe, & ob impreſſiones ſenſuum duntaxat excitari velut conſopitas; quo modo omnes erunt innatæ, quod non volebant Carteſiani. *Tertio.* Totum id fingitur ſine ratione ſufficiente; ſi enim impreſſio in organa, quæ nihil eſt, niſi motus, poteſt excitare ideam latentem; cur non poſſit eſſe occaſio, ut nova idea oriatur? nam neque latens idea, neque nova ſimilitudinem quandam habet cum motu; denique quid eiusmodi ideæ mortuæ, quæ nunquam ſe menti ſiſtunt, niſi ſenſu primum reviviſcant, ad artem cogitandi conferunt? Quidquid igitur de iis pro arbitrio fingatur, prima tamen intellectus humani operatio eſt, ut in ſtatu coniunctionis cum corpore percipiat impreſſiones a rebus externis factas; ad quod duo requiruntur; 1. Ut motus in organo externo excitatus per nervos, aut ſpiritus propagetur ad cerebrum; nam diſſecto nervo, aut fortiſſime ligato nulla exiſtit ſenſatio. 2. Ut mens aliquo modo attenta ſit, ſeu animadvertat, quid intus fiat; ſi enim ad res alias adfixa cogitando, & velut abſorpta eſt, fieri poteſt, ut ſibi haud conſcia ſit factæ impreſſionis. Quid vero? taline caſu exiſtit perceptio in mente ſine conſcientia? Adfirmant haud pauci, qui propterea perceptiones eas, quæ cum conſcientia coniunctæ ſunt, vocant adperceptiones; at enim, ut Lockius obſervat, percipere quidquam, & huius perceptionis haud conſcium ſibi eſſe, res eſt admodum difficilis captu; Gravesandus ait in Metaphyſica: *a perceptione quacunque inſeparabilis eſt conſcientia: qui percipit, conſcius ſibi eſt, ſe percipere.* Fateor, quaſdam perceptiones eſſe tam languidas, ut earum mox obliviſcamur, nec poſtea, quid perceperimus, conſcii ſimus; quemadmodum fit animo levi, vagoque, ut in puerili ætate, vel ad res alias nimis adfixo, uti apud adultos nonnunquam; ac eiusmodi perceptiones inſtar umbræ prætervolantis ſunt, quæ nullum veſtigium relinquunt; nec tamen inde concludi poteſt, eas tum, cum præſto erant, ſine conſcientia fuiſſe; videtur enim hæc, ſicut attentio habere ſuos gradus. Cave autem, ne conſcientiam cum reflexa idea confundas.

III. *Ope ſenſuum & reflexionis non niſi ea, quæ reipſa exiſtunt, & ſingularia, ſeu individua ſunt, percipimus; igitur a ſenſibus oriri nequeunt ideæ univerſales ſpe-*

 *cie-*

*cierum*, *& generum.* R. c. a. d. c. Ideæ univerſales nequeunt a ſenſibus aut reflexione oriri immediate & proxime, c. c. nequeunt inde oriri mediate & remote, n. c. Ex ideis ſenſuum & reflexionis, ope abſtractionis, compoſitionis, & inprimis uſu generalium vocabulorum fiunt ideæ generales, quas ob eam cauſſam factitias adpellant Ut porro naturam univerſalium idearum perſpicias, nota; ſpecies & genera, ſi rite ſpectentur, nihil ſunt, niſi ideæ abſtractæ, & univerſales, non ſubiective conſideratæ, quatenus ſunt adfectiones menti intellectivæ inhærentes, ſed obiective, ſive ſecundum id, quod repræſentant, quodque pluribus rebus commune eſſe, & in iis vere multiplicari poteſt; univerſalitas non ad res ipſas exiſtentes pertinet, quæ ſingulares ſunt, ac penitus determinatæ, ne ipſis quidem vocibus, & perceptionibus mentis exceptis; quæ non niſi obiective, ſive in ſignificatione, aut repræſentatione ſunt univerſales, quatenus illæ ad res plures, quæ in notis ab idea comprehenſis conveniunt, adplicari vel referri poſſunt; reipſa talis idea non repræſentat plures res; alia enim eſt idea, quam voce, *homines*, exprimo, & alia, quam vox, *homo*, continet, quemadmodum alio loco dixiſſe me memini; ſed eadem idea, quatenus ad res plures referri, vel adplicari poteſt, a nobis denominatur communis ſeu univerſalis, eo fortaſſis modo, quo clavem univerſalem dicunt, quando illa pluribus ſeris poteſt adplicari. Plurimæ loquendi formulæ in uſu ſunt, quæ genera, ac ſpecies ceu aliquid reale extra mentem exiſtens nobis exhibent, ut, cum varias eſſe mineralium, plantarum, animalium ſpecies dicimus; at perſpicuum eſt, illud, quod ideæ communes generum, ac ſpecierum repræſentant, non ita exiſtere ſecundum eas duntaxat notas, quas ideæ continent; quis enim homo exiſtere poteſt, in quo nulla alia ineſt nota, niſi potentia ſentiendi, & ratiocinandi? quapropter eiusmodi loquutiones nihil aliud denotant, niſi res illas, quarum ſpecies, vel genera in ore habemus, illis ideis generalibus ſecundum notas, quas ſpectamus, conformes eſſe, & ad nomen genericum, vel ſpecificum quodammodo ius habere; quo ſenſu non nulli aiunt, genera & ſpecies non exiſtere reipſa, ſed rebus exiſtentibus velut immerſa eſſe, quatenus notæ in idea contentæ præter alias, rebus

bus inſunt. Illud præterea obſervandum, non quamcunque idearum imperfectionem, ſive defectum notarum efficere, ut univerſales habeantur, niſi mens uſu ſenſuum, vel reflexionis, aut ſtudio didicerit, eas ad res plures adplicari poſſe; quivis tiro ideam ſolis & lunæ ſingularem dicet, quia nondum animadvertit plura ſimilia corpora poſſe exiſtere, vel reipſa iam exiſtere, cum ſtellæ fixæ totidem ſoles, & ſatellites planetarum non niſi lunæ ſint.

IV. *Sunt adpetitiones quædam innatæ: igitur & ideæ. a. pr. omnes natura duce adpetimus alimenta, conſervationem vitæ, quæque ad eam ſunt neceſſaria: fugimus autem interitum, & quæ dolorem pariunt; in quam ſententiam Tullius L. III. & V. de Finib. ait: „ Omne animal ſe ipſum diligit, & ſimul, ac ortum eſt, id agit, ut ſe conſervet, quod ei hic primus ad omnem vitam tuendam adpetitus a natura datur: ipſum ſibi commendatur ad ſe conſervandum, & ad ſtatum ſuum, & ad ea, quæ ſunt conſervantia eius ſtatus, diligenda; alienatur autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur adferre: „ Ergo ſunt quædam adpetitiones ab ipſa natura, conſequenter & ideæ.* R. n. a. ad prob. c. a. n. c. A natura non niſi vis, & facultas adpetendi ea, quæ ſunt ſenſibus grata, & vitæ conſervandæ neceſſaria, non autem actualis adpetitio animalibus inſeritur; ille naturalis inſtinctus animalium adpetendi res quasdam, alias fugiendi, de quo ſæpe mentio fit in VV. ſcriptis, non in ideis, vel adpetitionibus a natura inſitis conſiſtit, ſed in habitudine corporis, certaque organorum conſtitutione, ob quam prius conſentanei motus in organis ſenſoriis, atque inde perceptiones gratæ vel moleſtæ exiſtunt, per quas animal ad adpetendum quidquam, vel fugiendum determinatur. Quid porro inſtinctus ſit in homine rationis compote, ob quem is Deum eſſe, & coli debere novit, itemque notitiam habet moralium principiorum, alio loco explicabitur. Quidam in animalibus admittunt ſtimulos quosdam naturales ſine omni cogitione, quos *prima naturæ* adpellant; ſed niſi eo nomine denotent ipſam naturalem vim percipiendi, adpetendi, movendique corpus, non video, quæ idea ei voci ſubiicienda ſit.

V. *Idea ſubſtantiæ & ſpirituum ſeparatorum nullo*

*ſenſu, nec reflexione acquiri poteſt: ergo innata eſt.* R. Quales ſint noſtræ ſubſtantiarum ideæ, ſatis explicatum puto, ut manifeſtum ſit, eas ſenſui, & reflexioni eſſe adſcribendas. Idea ſpirituum ſeparatorum fit hoc modo: reflexione novimus, quid ſit exiſtere, cogitare, poſſe, delectari; hæc tribuimus ſpiritibus, finitis quidem gradu finito, infinito autem ſpiritui, ſive Deo gradu infinito, & incomprehenſibili: qualis in nobis idea ſit, cui nomen infiniti tribuimus, Metaphyſica exponit; & quia ratiocinando conficimus, quod extenſio, diviſibilitas, compoſitio, figura, aliæque corporum adfectiones ſenſibus primo cognitæ ſpiritibus haud competant; idcirco has notas ex idea ſpiritus tollimus, ut proinde complexa idea ſpiritus formetur ponendo quædam, quæ reflexione ſunt cognita, & alia tollendo, quæ ſenſibus percipiuntur, eaque partim poſitiva ſit, partim negativa; nec vero qualis ſit negativa idea, obſcurum eſſe poteſt; ſit enim ea concipiendo ipſam rem, eamque ideam rei dein mente excludendo, vel attentionem ab ea avertendo, uti ſiquis crumenam nummis vacuam cogitet. Porro, quando diverſas ſpecies ſpirituum ſeparatorum diſtinguimus, id fit a nobis non concipiendo diverſam naturam, ſed diverſa miniſteria, vel ſtatus externos; nam angelorum nomen officii eſt, non naturæ; etſi autem ignoremus nos, quomodo effingendæ ſint ideæ ſpirituum natura differentium, haud ſequitur propterea, ut natura non differant.

VI. *Omnes homines omnium temporum, ac nationum idea Dei imbuti ſunt; ergo hæc innata eſt, quia, ut aiunt, quod ſemper & ubique ſit, & in quo omnes conſentiunt, ab ipſa natura eſt.* R. c. a. n. c. Cur omnes homines Dei ideam habeant, ſit ob eam cauſſam, quia hæc idea a quovis rationis compote facili ratiocinio, ſoloque uſu naturalis facultatis cogitandi comparari a quovis poteſt, & vero etiam debet, quod pluribus verbis explicandum non eſt hoc loco. Sed adferunt auctoritates gravium virorum, qui ideam Dei innatam cenſuerunt; S. Auguſtinus tract. 106 in Ioann. n. 4. ait: *Hæc eſt vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali iam ratione utenti, non omnino, ac penitus poſſit abſcondi.* Origenes L. I. & IV. contra Celſum, *Dicendum*

*dum eſt*, ait, *inſitum eſſe hominibus Dei ſenſum.* Ipſe Tullius L. de Nat. Deor. *Quis non habet*, inquit, *ſine doctrina, anticipationem quandam Deorum, id eſt, anteceptam animo quandam informationem, vel prænotionem?* & ibid. *Omnium animis deorum notionem inſculpſit ipſa natura.* R. Hæc verba ſic interpretanda ſunt, ut eam cenſeamus vim rationis, & intellectus humani, qua quivis etiam doctrinæ expers ſolo illius uſu in notitiam ſummi Conditoris veniat, & facile & neceſſario veniat ex cognitione creatarum rerum. Adpoſite Auguſtinus in Pſalm. 26. ait: *Circumeat animus per univerſam creaturam: undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit.* Et Tullius L. I. de Finib. ait: *Quidquid cernimus animo, id omne oritur a ſenſibus.* Sed urgent: *Divinæ providentiæ conſentaneum fuit, ut nobis ſui ideam inſculperet, & velut teſtimonium perhiberet de illo ſummo Ente, a quo omnes homines, & in cuius gloriam procreati ſunt.* R. Divina providentia donando nobis vim rationis, qua in Creatoris notitiam quisque venire poteſt, ſatis, & abunde nobis dedit; quemadmodum, cui oculorum uſus a Deo conceſſus eſt, is innatis ideis lucis & colorum non eget. Cæterum illud providentiæ Numinis maxime conſentaneum cenſeri debet, quod Deum feciſſe, & reipſa conſtituiſſe ex indagatione rerum, vel divino eius eloquio conſtat; non vero ex præconceptis temere opinionibus, quid Deus fecerit, aut vi providentiæ facere debuerit, levi de cauſſa iudicandum eſt; recte igitur ſic concludemus: Deus infinite ſapiens rem ita comparavit: igitur hoc bonum eſt, eiusque providentiæ conſentaneum; incerta vero erit hæc concluſio: hoc bonum eſt, videturque neceſſarium: igitur Deus id ita comparavit; quo quidem argumentandi modo noſtræ ſapientiæ nimium confidimus, viamque aperimus temerariis ac periculoſis quæſtionibus. Quidam denique Dei ideam innatam eſſe contendunt, quia, cum ea ens perfectiſſimum & infinitum repræſentat, perfectior eſt quavis alia idea, quæ non niſi ſenſu vel reflexione acquiritur; R. Idea Dei perfectior eſt materialiter, ſive relate ad obiectum, quod repræſentat; non autem formaliter, ſive quoad repræſentandi modum; perfectio obiecti non efficit, ut ea vi naturali cogitandi ab ente intelligente formari nequeat, uti & ignobilis pictor rem optimam delineare, ſed non

optimo modo poteſt. Omnis igitur idea, imo quævis cogitandi, & differendi ratio tum ad obiectum, tum ad repræſentandi vel cogitandi modum referri poteſt, atque ita vel materialiter ſpectari, vel formaliter dicitur; ideæ noſtræ formaliter ſpectatæ fere tanto imperfectiores ſunt, quo perfectius obiectum habent.

VII. *Ideæ virtutis, veritatis, rerumque ſimilium, cum neque ſub ſenſum cadant, neque in mente neceſſario ſint, certe innatæ eſſe debent.* R. 1. Exigi hoc loco non poteſt, ut idea datæ cuivis voci reſpondens evolvatur, eiusque a ſenſu vel reflexione origo detegatur, cum id ſine adcurata eius vocis definitione, ac ideæ reſolutione fieri haud poſſit; ac ſiquis ob eam cauſſam, quod celeriter reperire haud poſſit, quomodo idea datæ cuivis voci ſubiecta a ſenſu, vel reflexione ducat originem, concludere pararet, eandem eſſe innatam; ſimiliter faceret, ac ſi hominem, cuius parentes, & avos ignoraret, non ab Adamo deſcendere, ſed ſeorſim a Deo extra ordinem creatum putaret. Satis igitur hic eſt generatim noſſe, plurimas tum ſenſibilium rerum ideas, tum inſenſibilium adventitias eſſe, ex quibus aliæ factitiæ a mente formentur. Maxime communium idearum originem in Philoſophia prima evolvam. R. 2. De modis abſtractis, quales hoc loco adducuntur, notandum *primo*, eorum ideas ſæpe complexionem eſſe ex partialibus ideis certæ adfectionis animi, qualis eſt cogitatio, volitio, intentio, moleſtia, voluptas &c. & ex aliis partialibus motus vel mutationis corporis; fere autem ideæ modorum admodum compoſitæ ſunt; cum enim homines cogitationes ſuas breviter, & quanta fieri poteſt, commoditate communicare cum aliis geſtiant; idcirco ideas valde complexas uno ſæpe nomine comprehendunt, præſertim iis de rebus, quæ in communi vita, & conſuetudine uſum habent, quales ſunt actiones hominum diverſæ: alias complexiones, quarum nulla vel rarior occurrit mentio, ſolutas, ac vagas relinquunt, pluribusque verbis, ſi opus ſit, deſcribunt. Cicero L. II. de Orat. ait: Græcos in ſua lingua non habere vocem, qua complexionem idearum, a nobis voce *ineptus* ſignificatam, exprimant. *Secundo.* Ideas eiusmodi modorum fere experientia, rerumque animadverſione diſcimus, uti ſi hominem ob iram,

vel

vel ebrietatem ſui impotentem conſpicimus; ſæpe complexiones a nobis novæ excogitantur, aliquando vero nominum explicatione tales ideæ nobis innoteſcunt. *Tertio.* Ideæ modorum abſtractorum nomine magis proprio vocantur notiones, quia ab ipſa mente varias ideas partiales in unam colligante originem potiſſimum habent, & in ea ſubſiſtunt; recteque dicitur notio temperantiæ, iuſtitiæ, doli; minus adcurate notio equi, lapidis &c. Etſi igitur hæ voces perceptio, idea, notio, cogitatio, cognitio &c. paſſim confundantur; tamen non nihil differunt: in perceptione mens noſtra quaſi paſſive ſe habere videtur, uti cum dico: percipio ſolis radios, dolorem. *Idea* eſt perceptio relatâ ad obiectum, quod in animo præſens eſt, uti ea ab impreſſione rerum externarum in organo, vel ab iis, quæ in animo contingunt, pendet. *Cogitatio*, ſeu agitatio quædam mentis eſt operatio illius circa ſuas ideas, in qua mens actuoſa eſt, & cum attentione quadam intuetur aliquid, ſeu indagat: *Cognitio* non tam ſimplicem rei adprehenſionem, quam intuitum veritatis videtur denotare, & ad iudicium immediatum, aut mediatum pertinere.

VIII. *Quærunt, unde tanta idearum, cognitionumque copia ſit in humana mente, ſi nihil innati habet præter potentias cogitandi; pauci enim ſunt ſenſus noſtri, neque reflexione admodum multæ ideæ comparantur; & tamen mens perpetuo occupatur cogitando, certe quidem dum homo vigilat.* R. Qui ideas ſuas diligenter ad examen revocare nondum didicerunt, iisdem abundare ſe putant: alii vero defectum earum, & inopiam queruntur. Complexarum idearum numerus ad calculum revocari nequit; cum eiusmodi complexiones in infinitum prope variari queant ex iisdem, nec fere multis ſimplicibus ideis. Neque vero de ideis hominum doctorum, quas ſtudio comparant, ſermo eſt: in rudibus vulgo paucæ, & anguſtæ ſunt ideæ, eæque paulatim ab iis colliguntur; 1. ob impreſſiones rerum, quæ nos circumſtant in hac vita. 2. ob uſum vocum. 3. ob varias adpetitiones, actionesque. Hæc declaranda nunc ſunt.

I. Si ortum progreſſumque humanæ cognitionis velimus contemplari, quod non modo ad artem recte cogitandi maxime conducibile, ac neceſſarium eſt opi-

nione mea, ſed per ſeſe iucundum mihi videtur, multoque magis dignum Philoſopho, quam plantarum, animalium, aliarumve rerum ortum inveſtigare; neceſſe eſt, ob oculos nobis ponamus infantem parvulum paulatim diebus, & ideis proficientem; *nullus dubito*, inquit Lockius, *quin puerulus ita tractari poſſit, ut communium idearum non niſi pauciſſimæ eius animo ante imprimerentur, quam ex ephebis excedat;* quia tamen is, quam primum in lucem editur, corporibus undique ſtipatur, & lux, color, aliaque tenellos ſenſus percellentia ubique præſto ſunt, ſoni quoque & qualitates tactiles propria organa identidem ſollicitant; fieri non poteſt; quin magna copia & varietas idearum iam inde a prima ætate irruant in mentem. Obſervatum eſt, infantes, ubicunque ſunt poſiti, eo convertere oculos, unde lux adfulget, ceu geſtiret mens haurire ideas, quas quidem nullus comitatur dolor; ac credo, in utero iam materno languidas quaſdam ideas doloris, moleſtiæ, famis, ſitis, imo & ſoliditatis quoque, atque extenſionis mentem ſubire, quæ tamen innatæ dici non poſſunt; cum per impreſſiones rerum menti extranearum adveniant, & alias adventitias ideas non niſi tempore præcurrant. Quamvis autem pleræque ideæ ſimplices earum rerum, quæ paſſim occurrunt hominibus in lucem editis, ita ſeſe ingerant animo, ut tempus & ordo, quo ſibi ſuccedunt, non imprimatur memoriæ; tamen ob inuſitatas quaſdam & repentinas impreſſiones eiusmodi nonnunquam idea in mente exiſtit, ut tempus, quo primum advenit, perpetuo deinceps hæreat in mente, ut, ſiquis certo tempore, locove inſigni pudoris ſenſu adfectus ſit.

II. Progreſſu ætatis a ſingularibus rebus, quæ identidem ſenſus pulſant, animadverſa earum ſimilitudine, & uſu generalium vocabulorum ideæ complexæ, & abſtractæ fiunt earum rerum, quæ ad ſermonis, & humanæ ſocietatis commercium ſunt neceſſariæ; & quamvis rectus ſermonis uſus plurimum ab ideis, & cognitionibus magis, minusve perfectis pendeat; tamen rem expendenti perſpicuum eſt, eundem ad perficiendas, augendasque cognitiones mentis in ratiociniis præſertim, plurimum momenti habere; certe inde intelligitur, cur tam hebetes ſint ſurdi, ac muti, & qui in ſil-

ſilvis, locisque incultis ſoli reperti ſunt. Habet uſus ſermonis, & idioma iam conſtitutum id quoque commodi, ut, cum rebus pluribus idem nomen tribui iam inde a pueritia animadvertimus, ad id attendere diſcamus, in quo conveniunt eæ res, in quo diſcrepant; fieri etiam poteſt, ut plurimæ ideæ ſint in animo; certa tamen ac determinata complexio, cuius nomen perceptum non eſt, ignoretur, ut ſi puerulus obſervet bibentem eo usque, donec oculi ſplendeſcant, novus color in facie, in toto homine novum ingenium eluceat, ipſeque nec lingua, nec pedibus ſatis conſiſtat; ſi tamen ille ignoret, complexionem iſtiusmodi idearum adpellari ebrietatem, eius notione deſtitutus cenſetur; tantum eſt in vocibus momenti, ut quis plures, paucioresve ideas acquiſiiſſe credatur.

III. Quod idearum ſupellectilem plurimum auget, ſunt diverſæ hominum adpetitiones, ſuſceptæque actiones, atque in primis delectatio, & moleſtia, ob quas alia adpetunt, alia averſantur; atque hinc perpetuo ad excipiendas ideas plurimarum rerum, queis adpetitui ſuo faciant ſatis, ſtimulantur. Ac teneri quidem infantes ob moleſtiam famis quidvis in os ingerunt, ac in ipſam flammam aliquando immittunt manum, donec vexatione docti earum rerum ideas acquirant, retineantque. Atque hoc quidem modo ideas ſenſibilium rerum, quæ ſæpe obverſantur oculis, facile per ſenſus colligunt homines; ideas vero operationum, proprietatumque humanæ mentis non niſi ſero arripiunt, & quarundam per omnem vitam manent expertes, propterea quod in primordio ætatis ſenſui & imaginationi nimis adhæreſcant, & raro attentionem figant ad ea, quæ intus in animo contingunt; & quamvis directas, ut aiunt, perceptiones habeant iſtiusmodi adfectionum mentis; tamen, cum nihil magnopere ad eas attendant, vel uſu vocum, quibus easdem exprimant, deſtituti ſint, earum ideas non magis perfectas acquirunt, ac ſi horologium quotidie haberent ob oculos, ad eius tamen ſtructuram, partesque, ac partium nexum minime attenderent. Ob hanc cauſſam in ea ſemper opinione fui, ut, quibus ars recte cogitandi traditur, ii ad naturales ſuas cognoſcendi vires, modosque aciem mentis reflectere iubeantur; ad quam rem eos & principio Logi-

ees, & deinceps, atque hoc in primis capite velut manu ducere conatus ſum; ab hoc enim fonte, quem hic aperuimus, ſenſu nimirum & reflexione, omnes derivantur hominum cogitationes quantumvis ſublimes, quibus in altum ferimur ſupra nubes, & remotiſſima quæque ſpeculamur; & quamvis paucæ ſint primitivæ ideæ noſtræ, ex earum tamen varia complexione non minor cogitationum ubertas exiſtit, quam vocum multitudo ex combinatione paucarum literarum. Sola numeri idea infinitam prope varietatem Analyſtis, & idea extenſionis Geometris ſuppeditat. Incrementum cognitionis noſtræ paulatim fit, eſtque continua eius progreſſio a prima infantia ad pueritiam, tum ad iuvenilem ætatem, virilem, ac decrepitam, niſi morbus obſit, aut plane iacere, & ſegnitie velut computreſcere ſinatur nobiliſſima cognoſcendi vis. Fieri poteſt, ut quis ſenſu quodam orbatus, & ob eam cauſſam paucioribus inſtructus ideis primitivis, magis tamen augeat cognitionis ſupellectilem, quam ii, qui cum integros ſenſus, omniaque adminicula habeant ideas colligendi, nihil propemodum fructus, aut reconditæ doctrinæ ex ideis, quas prope non advertentes accipiunt, ceu primis ſeminibus referre adlaborant; exemplo ſunt plures cæci, qui ad cognitionem ſummarum veritatum cogitando ſæpe pervenerunt, quas nunquam per omnem vitam vident, qui acutiſſimo viſu pollent; nempe in vita quoque communi ii, qui tenui patrimonio negotiari incipiunt, maiores nonnunquam conſequuntur opes, atque ii, quibus res ampla, & copioſa relicta eſt.

## §. LXV.

Propoſitio II. *Origo principiorum, ſive propoſitionum generalium, quæ nulla probatione egent, repetenda eſt 1. ex abſtractione. 2. ex inductione. 3. ex perſpecto nexu veritatis cuiusdam cum quadam notione, ſeu definitione.* Nulla alia via eſt, qua ad propoſitiones generales, quæ nulla probatione egent, perveniatur. Nam

I. Quamprimum mens ideis imbuitur, percipit earum diſcrimen, atque eandem eſſe eandem, aliam ab alia diverſam eſſe agnoſcit: nihil cuivis magis evidens eſt, quam hæc particularia iudicia: ſcapha eſt ſcapha: album non eſt nigrum &c. Eiuſmodi particulares propoſi-

poſitiones vi abſtrahendi reducimus ad univerſales; ac primo, in quovis caſu particulari, ſiquid eſſe reipſa percipio, minime dubius, ſed plane certus ſum, illud, dum eſt, revera eſſe: hinc abſtrahitur generalis propoſitio: quod eſt, illud eſt; quod non eſt, id non eſt, quæ adpellatur *Principium certitudinis.* Secundo in omni caſu particulari experimur, concipi a nobis non poſſe, aliquid eſſe, atque eodem tempore idem non eſſe, e. g. ſolem & lucere ſimul, & non lucere: idcirco generatim dicimus: fieri non poteſt, ſeu impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe; quod eſt *Principium contradictionis.* Tertio ſiquid neque eſſet, neque non eſſet, hoc ipſo ſimul eſſet, & non eſſet, quia duplex negatio æquipollet adfirmationi; hinc generatim dicimus: quidvis eſt, vel non eſt, ſive, ut VV. aiebant, a parte rei non datur ſuſpenſio, & indeterminatio; quod eſt *Principium excluſi medii.* Hoc modo ex ſingularibus propoſitionibus, quarum veritas ſine probatione a quovis admittitur, abſtrahuntur univerſales, quæ potiſſimum in ſcientiarum tractatione, ac ſcholis iactitantur; nam vulgo particularia & citius mentem ſubeunt, & magis perſpicua videntur; ac cuivis rudi multo clarius adparet hæc particularis enunciatio: ſi a quinque digitis manus dextræ duo digiti amputantur, & a quinque digitis manus ſiniſtræ pariter duo digiti amputantur; qui reſidui utrinque ſunt digiti, numero æquales ſunt; quam generale effatum Mathematicorum: ſi ab æqualibus auferuntur æqualia, manent æqualia.

II. Sæpe ex frequente obſervatione caſuum ſimilium pervenimus ad veritates univerſales, quarum veritas ſola inductione nititur, non ex ſe ipſa evidens eſt, quemadmodum indicavi §. XLIII. n. I. Hic quidem pariter abſtractione utimur; ſed veritas particularis non ex ſola comparatione binarum idearum elucet.

III. Ex notione quadam univerſali ſæpe deducitur enunciatio univerſalis cum eadem intime connexa e.g. circulus eſt figura, quæ converſione lineæ rectæ circa punctum fixum in eodem plano deſcribitur; inde eruitur hæc propoſitio demonſtrationis non egens: omnes radii circuli eiusdem, vel æqualium circulorum ſunt æquales; pariter cum notione polygoni regularis, ſeu figuræ æquilateræ, & æquiangulæ indivulſo nexu co-

hæ-

hæret hæc propoſitio : in polygono regulari angulus quicunque ad ſummam omnium eam habet rationem, quam unitas ad numerum laterum.

*Hæc quidem ad principia ſpeculativa pertinent, quæ non niſi in contemplatione cuiusdam veritatis ſiſtunt; aliter de practicis principiis diſſerendum, quæ enuntiant, quid fieri poſſit vel debeat. Horum veritas ex cognitione cuiusdam veritatis theoreticæ pendet, atque ex hac ſuam firmitatem, & perſpicuitatem habet; quemadmodum loco commodiore exponetur. Univerſe quæ de ortu & progreſſu cognitionis humanæ adhuc diximus, non modo, ut de noſtris, ſed de aliorum quoque hominum, quibuscum nobis agendum eſt, ideis iudicium quoddam faciamus, pertinent; operam perdit, qui non niſi ex abſtractis notionibus, & generalibus ratiociniis homines vulgo inſtituere, vel convincere adlaborat: generales ideæ ac veritates niſi frequente experientia, uſque vocum familiares evaſerint, admodum obſcuræ, & peregrinæ ſunt omnibus: ſingularia autem, ut Ariſtoteles ait L. II. Rhet. potiora ſunt ad uſum iis, quæ univerſe diſputantur; nec niſi per gradus quosdam ad generalia venitur; idcirco Cicero quoque L. II. de Orat. ait: Tum conceditur commune quiddam dicere, cum diligenter aliquis proprius cauſſæ locus eſt tractatus. Notiones univerſales ſingularibus exemplis illuſtrandæ ſunt, quia omnis cognitio noſtra a ſingularibus primo oritur; „ Si forte quæreretur, inquit Antonius apud „ Ciceronem L. I. de Orat. quæ eſſet ars imperatoris, „ conſtituendum putarem principio, quis eſſet imperator - - „ Dein uterer exemplis Africanorum, & Maximorum: „ Epaminondam, atque Annibalem, atque eius generis „ homines nominarem; ſin autem quæreretur, quis eſſet „ is, qui ad remp. moderandam uſum & ſcientiam & „ ſtudium ſuum contuliſſet, definirem, - - prædicaremque „ P. Lentulum principem illum, & Tiberium Gracchum „ patrem, & Q. Metellum & P. Africanum. - - Atque hoc modo veritates generales & ſymbolicæ ad intuitivas reducendæ ſunt, curandumque, ut ſenſuum, & „ imaginationis ope ad generalia aſcendamus; vidit hoc „ prudenter ſive Simonides ( L. II. de Orat. ) ſive quis „ alius invenit, ea maxime animis adfigi noſtris, quæ „ eſſent a ſenſu tradita atque impreſſa: acerrimum autem „ ex omnibus noſtris ſenſibus eſſe ſenſum videndi: quare facil-*

*„ facillime animo teneri poſſe ea, quæ perciperentur auri- „ bus, aut cogitatione, ſi etiam oculorum commendatione „ animis traderentur. „ Verulamius quoque in præfatione ad Nov. Org. ait: In mathematicis adſtante machina ſequitur demonſtratio facilis & perſpicua; contra, absque hac commoditate, omnia videntur involuta, & quam revera ſunt, ſubtiliora. Verum multa alia in hanc de ortu & progreſſu cognitionis humanæ disquiſitionem animadverti poſſunt, quæ ob anguſtias chartæ ſunt prætermittenda.*

# CAPUT X.

## *De Veritate Cognitionis humanæ.*

*Regulæ Logicæ eo tendunt, ut veritatem adſequamur cogitando, diſſerendoque. Quæ* §. *XXXI. de veritate propoſitionum diximus, levioris erant momenti, eoque loco facile poterant intelligi; nunc vero perſpecta operationum mentis varietate, atque origine de veritate earundem operationum videtur paulo adcuratius diſſeri debere.*

### §. LXVI.

Veritas & falſitas generatim eſt notio relativa, vi cuius id, quod verum, aut falſum dicitur, cenſetur conforme, aut difforme ei, ad quod refertur. Vera dicitur imago e. g. Cæſaris, quatenus ſuo Archetypo conformis eſt; verax in loquendo cenſetur, qui, quod ſentit, loquitur, etſi res aliter fortaſſis habeat; eſt igitur veritas moralis, conformitas ſeu convenientia ſermonis cum opinione loquentis. Metaphyſice verum eſt, quod habet omnia, per quæ eſt id, quod eſt; quo ſenſu quidvis refertur ad ſe ipſum, ut in Geometria aliquando dicimus; A eſt $=$ A. Hæc veritas metaphyſica etiam cognoſcibilitas rei vocatur, quatenus quidvis, quod contradictionem non involvit, eſt cognoſcibile ab aliquo intellectu ſaltem infinito; atque hoc modo quævis res intelligitur referri poſſe ad aliquem intellectum, ſeu cognitionem; contra veritas Logica eſt relatio cognitionis ad rem, prout ea vel in mente aliorum repræſentatur, vel reipſa exiſtit, aut determinatam eſſentiam habet; conſiſtit igitur hæc veritas, quæ in Logica expo-

nitur,

nitur, in conformitate operationum mentis cum ſuis obiectis.

## §. LXVII.

Propoſitio I. *Ideæ, quæ notas pugnantes continent, recte dicuntur falſæ.* Prob. Eiusmodi ideæ e. g. trianguli rectilinei obtuſo-rectanguli, ligni ferrei, materiæ cogitantis &c. neque conformes ſunt ſibi ipſis, quia eandem notam ponunt, & tollunt: neque conformes eſſe poſſunt cognitioni cuiusvis intellectus; quia concipi non poteſt, idem ſimul eſſe & non eſſe; neque conformes alicui rei; nam quod contradictionem involvit, id nihil omnino eſt. Quomodo igitur, dices, eiusmodi ideæ concipiuntur? R. Si contradictio occulta eſt, duæ ideæ diverſæ per errorem & tacitum iudicium coniunguntur in unam: ſi vero aperta eſt, cogitamus, unum non eſt, nec poteſt eſſe alterum.

## §. LXVIII.

Propoſitio II. *Ideæ omnes, quæ notas pugnantes non continent, in ſe ſpectatæ ſunt veræ: at relatæ ad ideas aliorum eodem nomine datam ideam exprimentium, vel relatæ ad exiſtentias rerum, aut eſſentias, alias veræ, alias falſæ ſunt.* Prob. 1. memb. Veritas & falſitas eſt notio relativa, & in conformitate, vel difformitate unius cum alio conſiſtit: ideæ autem, ſi in ſe ſpectantur, uti ſunt meræ repræſentationes, vel perceptiones rerum in mente, non referuntur ad aliud, niſi ad ſe ipſas, quatenus repræſentant id, quod repræſentant; atqui hoc modo ſemper veræ ſunt, ſeu conformes ei, ad quod referuntur; quia idea non poteſt non repræſentare id, quod repræſentat, ſi notas pugnantes non continet; hoc enim caſu in ſe ſpectari non poteſt, quia idem ponit, ac tollit, neque inſtar unius ideæ eſt. Prob. 2. Memb. Ideæ poſſunt referri, ac ſæpe etiam ſolent ad ideas aliorum hominum eodem nomine datam ideam exprimentium: vel ad exiſtentias reales in natura: vel ad rerum eſſentias; facta autem hac relatione ideæ & conformes eſſe poſſunt, & difformes ei, ad quod referuntur: igitur veræ aut falſæ erunt; quamquam iſta relatio ſemper quoddam iudicium involvit, quatenus mens ſumit, vel iudi-

iudicat, ideas ſuas eſſe conformes vel difformes ei, ad quod referuntur. Eum triplicem relationis caſum diligentius conſiderare opus eſt.

I. Dum ideas noſtras certis vocibus exprimimus, tacite ſupponimus, eas eſſe conformes ideis aliorum hominum iisdem vocibus recte, ut oportet, utentium; ſi iam iis conformes haud ſint, dicimur falſam habere ideam rei eo nomine expreſſæ; uti ſiquis voce *Logicæ* nihil aliud concipiat, niſi farraginem vocum & diſputationum barbararum de terminis, contradictoriis propoſitionibus, & vario ſophiſmatum genere. Ideas falſas multi tenent de urbanitate, frugalitate, honore, aliisque eiusmodi abſtractis modis. Qui attractionem Neutonianam qualitatem occultam adpellant, neceſſe eſt, niſi nugari velint, ſuam attractionis ideam ad ideam Neutoni, & ideam qualitatis occultæ ad ideam VV. Peripateticorum referant; & cito intelligent, attractionem Neutoni non magis eſſe qualitatem occultam, quam ſcamnum.

II. Si ideæ ad res exiſtentes referuntur, ſæpenumero falſæ ſunt, uti ſi in idea rei coniunguntur notæ, quæ reipſa coniunctæ non ſunt, vel coniunctæ penitus ſegregantur: ſi, quod omni concretione caret, vi phantaſiæ ceu corporeum repræſentatur, ac tale eſſe, tacite ſumitur, ut, qui Deum forma humana præditum vel iisdem cogitandi limitibus adſtrictum, quales in creatis hominibus ſunt, finxerunt, dicti propterea Anthropomorphitæ, illi quidem craſſiores, hi vero ſubtiliores. Generatim, qui ſibi perſuadet, tale eſſe quidvis, quale phantaſia exhibet, longiſſime abeſt a veritate, & turpiſſime hallucinatur multis locis: Si ideæ effectus nomen cauſſæ tribuimus, quod fit ſæpiſſime in naturæ inveſtigatione: ſi denique quæ abſtracte concipimus, reipſa ſeparata eſſe credimus. Ex hoc genere erroris velut ex equo Troiano falſæ ideæ VV. de entitatibus, modis ſuperadditis, formis &c. proſilierunt.

III. Sæpe ideas noſtras eſſentiis rerum conformes eſſe arbitramur; ac corporum quidem ideæ, ſi iis reales eſſentias eorum exprimi, nobis perſuademus, omnes penitus falſæ ſunt (§. XXIII.) Ideæ modorum, ſi notas pugnantes non continent, realem exprimunt eſ-

ſentiam,

ſentiam, habentque veritatem internam & formalem; ut, quæ Geometria de circulo demonſtrat, vera ſunt, etſi nullus exiſtat perfectus circulus: neque neceſſe eſt, at eiusmodi notiones ad rerum exiſtentias referantur; ſi autem referuntur, iisque conformes ſunt, habent præterea veritatem externam & obiectivam. Tota Geometria pura nihil eſt, niſi ordinata ſeries internarum veritatum nulla habita ratione rerum extra nos exiſtentium.

*Ex his patet, quo modo de veritate idearum iudicandum ſit: inprimis in complexis ideis pateat, neceſſe eſt, eas pugnantes notas non continere. Siqua idea ad res exiſtentes pertinet; ut, ſiquis incrementum plantarum velit definire; quid contingat reipſa, palam fieri debet. Falſa idea ſæpe vocatur deceptrix, quatenus aliquis ſe putat habere ideam, cum nullam habeat, atque hoc modo & ſe & alios fortaſſis decipit, quod non raro ſit in loquente, ut proferat, quorum nullam habet ideam, & in audiente, ut intelligere ſe opinetur ea, quibuscum non niſi materialem ideam iungit, ut nempe vocabula verſet in animo, nihil prœterea ad rem pertinens; terminos, quibus nulla idea reſpondet, niſi materialis, vocant inanes; cavendum autem, ne, ſi vim quarundam vocum non percipiamus, eas continuo ceu caſſas & inanes faſtidiamus, quod non nulli rerum dialecticarum, & metaphyſicarum imperiti faciunt.*

## §. LXIX.

### Respondetur ad dubia.

I. *Idea imaginaria* (§. LXIII. n. III.) *rei incorporeæ ſemper aliquid adfingit; an propterea ſemper falſa eſt?* R. Iſtiusmodi ideas paſſim dicunt dimidiatam habere veritatem, ſeu & veras & falſas dici poſſe, ſed diverſo reſpectu; falſæ ſunt, quatenus per eas fingitur aliquid, quod non eſt: veræ, quatenus ſub quodam involucro deſignant id, quod reipſa eſt; idcirco vicariæ realium idearum adpellantur; ſimiliter fere de plurimis vocum tranſlationibus exiſtimandum eſt, ut, cum ingenium fæcundum nominamus, vel a poeta dicitur pontem indignatus Araxes; ſiquis enim reale quidquam, quod tali tranſlatione deſignatur, animo concipere valet, minime ideam deceptricem habet, uti per indignatio-

tionem fluvii nobis repræſentamus vim aquarum pontem deiicientium, & per ingenium fæcundum id, quod ex veritatibus cognitis alias profert incognitas, uti ex commiſſo ſemine uberes fructus præbet fœcundus ager. Atque hoc modo res incorporeas fere vocibus exprimimus a rebus ſenſibilibus deſumtis; eiusmodi ſunt voces intentio, agitatio mentis, commotio, perturbatio animi, imaginari, offendere, animo infigere &c. quæ ipſo uſu iam mitigatæ ſunt, & velut propriæ evaſerunt.

II. *Ideæ ſenſuum multis caſibus dicuntur falſæ; & univerſe ſi veritas earum ſita eſt in conformitate cum re ſenſibili exiſtente; quomodo inter ideam, quæ eſt in mente, & inter corporeas res quædam conformitas, vel ſimilitudo eſſe poteſt?* R. Ut res hæc tota explanetur, nota *primo*: Si de veritate idearum ſenſualium & de fide ſenſuum agitur, duæ quæſtiones ſunt diſtinguendæ: prima eſt, an ex ſenſuum ideis ſatis probetur, quod corpora exiſtant reipſa; quia nonnulli id modo pro certo tenebant, quod ideæ & phantaſmata corporum ſint in mente; nihil reale & corporeum extra mentem, fere ut in ſomniis ſæpe fit. Altera eſt quæſtio: Si extra mentem reipſa ſunt corpora, noſtræne ideæ iisdem, earumque qualitatibus conformes ſint. Prætermiſſa hoc loco priore quæſtione, de qua nemo ſanus ſerio dubitet, alteram examinabo; in quem finem nota *ſecundo*: Quævis ſenſatio, quæ eſt in anima, reſpondet mutationi factæ in organo; quapropter ideæ ſenſuum proxime & immediate exhibent mutationes corporis noſtri, eiusque organorum; dein mediate per has mutationes exhibent res extraneas ceu mutationum earum cauſſas, vel occaſiones reipſa præſentes; nec vero aliter quidquam percipimus ſenſibus, quam ut immediate organorum mutationes percipiamus, dein mediate res externas, aut potius certas earum vires in organa agendi, quas certis nominibus lucis, ſoni, caloris &c. deſignare a prima ætate ita adſuevimus, ut de organorum mutatione, niſi eam ſingularis dolor, aut voluptas comitetur, ne cogitare quidem ſoleamus. Si iam quæritur, an ideæ ſenſuum conformes ſint rebus ſenſibilibus, & qualitatibus earundem? R. Eſſe conformes eo ſenſu, quod ſemper reſpondeant mutationi in organo factæ, & potentiæ rei externæ eam mutationem eſ-

 ficien-

ficiendi (non enim eſſet in me talis ſenſatio, niſi fieret talis mutatio organi; nec fieret talis mutatio organi, niſi in re externa eſſet talis potentia eam mutationem efficiendi) non autem conformes eſſe hoc ſenſu, quod res extranea ſic adfecta ſit, uti ego percipio, aut mihi repræſento. Res hæc exemplo doloris perſpicua reddi poteſt; ſi manum lædo ferro candente; perceptio, & repræſentatio caloris & doloris conformis eſt rei extraneæ, quatenus huic reſpondet certa mutatio organi; certæ vero organi mutationi reſpondet certa perceptio, vel repræſentatio: res autem extranea non ita adfecta eſt, uti adfecta eſt mens mea, cum percipit calorem & dolorem, ſive ea adfectio, quæ eſt in mente, non eſt in re extranea, in qua nihil eſt, niſi potentia efficiendi certas mutationes, ex quibus dein perceptiones & ideæ in mente exiſtunt. Qualitates eæ ſenſibiles, quæ a viribus, motu, certaque textura, & figura molecularum pendent, ceu lux in ſole, calor in ferro ignito, ſapor in cibo, color in veſte, odor in flore, humiditas in ſpongia, ſonus in chorda, frigus in aqua, non magis inſunt in hiſce rebus, quam dolor in fuſte, aut ignito ferro, vel nauſea in pharmaco. Nihil ineſt in his rebus, niſi certa extenſio & figura particularum, motus, & potentia efficiendi motum in organis, ex quo ſenſationes ſequuntur. Hæc quidem, quam vera ſunt, tam captu difficilia; ſed lucem promittit Phyſica, multoque magis exercitatio ſpeculandi, avocandique mentem a ſenſibus, & imaginatione. Ut igitur concludamus: ideæ ſenſuum ſemper conformes ſunt mutationibus organorum: hæ potentiis rerum externarum; nec propterea ideæ natura mutatur, ſiquis, ut vulgo ſit, id, quod in perceptione caloris, lucis, ſoni &c. in mente eſt, ipſis rebus ineſſe putet. Philoſophi qualitatem formalem vocant illud, cuius nobis conſcii ſumus, quando ſentimus, & qualitatem obiectivam id, quod ineſt in obiecto.

III. *Sæpe ideæ ſenſuum alias qualitates exhibent, quam ſint in rebus; nam turris, quæ angulari eſt forma, eminus ſpectata adparet rotunda: & remus in aqua videtur inflexus: an igitur hæ falſæ ſunt ideæ?* R. Falſæ ſunt non in ſe ſpectatæ, ſed ſi ad rem ipſam referuntur tacito quodam iudicio: hæc turris eſt rotunda; hic remus

remus inflexus. Duo diſcerni oportet in omni ſenſatione; 1. quæ ſit perceptio in mente, ſive quid adpareat ope ſenſuum. 2. quid, & quale reipſa ſit id, quod ſenſu percipitur; prius cuivis compertum eſt reflexione; de altero ut recte iudicetur, ſpectanda eſt res ipſa, tum interpoſitum medium, & conſtitutio organi; ob has enim cauſſas variari poteſt mutatio in organo, & proin perceptio mentis huic ſemper reſpondens.

IV. *Quid igitur dicendum, ſiquis moleſte oggerat: ſenſus fallunt, & falluntur?* R. Eiusmodi expreſſiones: *ſenſus fallunt: fides & teſtimonium ſenſuum: ſenſus ſunt nuntii &c.* Metaphoricæ ſunt; nam ſenſus proprio ſignificatu ſunt organa materiata corporis; ſi vero intelligitur potentia mentis noſtræ percipiendi quidquam, cum in ſenſibus ſit impreſſio; ea poteſt eſſe occaſio erroris, quando ob præiudicia infantiæ credimus, tale eſſe quidvis, quale adparet. Ferre iudicium de rebus non ad potentiam ſentiendi, ſed ad rationem ſpectat. Præterea ea potentia admodum limitata eſt, nec res admodum exiles, aut valde diſtantes, quæ organa non ſatis commovent, diſcernit, uti ſunt minima interſtitia corporum, parvæ inæqualitates ſuperficierum. Inepta igitur ea eſt argumentatio: non experimur, hoc illud-ve eſſe: ergo experimur, non eſſe. Dein ob aſſuetudinem fit, ut ad quædam non advertamus animum, quæ corpus noſtrum identidem adficiunt, uti ſunt variæ exhalationes, vel motus ſanguinis, & lympharum, actio quoque aeris in partes externas, vel internas agentis, niſi inſolita vehementia in corpus incurrat. Ex noſtris quoque ſenſuum ideis de perceptionibus & ideis aliorum hominum tuto iudicare non poſſumus, quia non conſtat, eorum organa eodem penitus modo, ac noſtra, adfecta eſſe; idcirco vulgo aiunt, de guſtibus non eſſe diſputandum. Denique ſi ex eadem re diverſas perceptiones diverſo tempore recipimus, ſedulo quærendum eſt, num in ipſa re, vel organo mutatio facta ſit.

## §. LXX.

Siqua in propoſitione idea ſubiecti vera non eſt, eoquod notas pugnantes complectatur, vel ut exiſtens

repræſentet id, quod non exiſtit, vel quod alias notas coniungat, quæ reipſa coniunctæ non ſunt, ea propoſitio a Veteribus dicta eſt de ſubiecto non ſupponente, ac falſa eſt. In iudiciis mediatis ſeu ratiociniis, ſiqua parte idearum veritas deficiat, totum labat, ac corruit; idcirco Verulamius in diſtribut. operis de Nov. Organ. ait: *Si notiones ipſæ mentis, quæ verborum quaſi anima ſunt, & totius ſyllogiſticæ ſtructuræ ac fabricæ baſis, male, ac temere a rebus abſtractæ, & vagæ, nec ſatis definitæ & circumſcriptæ, denique multis modis vitioſæ fuerint, omnia ruunt.* Quapropter in ratiociniis duplex veritas eſt diſcernenda: veritas principiorum, & veritas conſequentiæ, ſeu illationis.

*Qui cum Carteſio ponit, omnem extenſionem eſſe materiam, legitime infert, eſſe ubique materiam, ubi extenſio eſt; & quoniam extra hunc mundum extenſio poteſt concipi, ſequitur, ut extra hunc mundum ſit materia, & univerſum limites non habeat; præterea, quia extenſio concipi poteſt, antequam mundus formaretur, iam ante formationem mundi extitit materia; cumque extenſio ante quodvis datum tempus queat concipi, pariter materia ante quodvis tempus extitit, nec plane initium exiſtendi habuit. In his non veritas conſequentiæ, ſed veritas principiorum deficit. Similia paſſim reperies hac ætate in libris cuiusdam generis Philoſophorum in Germania, qui omnia ſcientifica methodo demonſtrare ſe iactitant. Sed nempe conceſſis principiis quivis facile idoneus eſt demonſtrationibus efficiendis; quia ea vis eſt rationis humanæ, præſertim ſi cogitandi, & diſceptandi exercitatio præceſſit, ut non facile in ratiocinii forma labatur; ac credo, non modico ſtudio opus fuiſſe iis, qui ſuperiore ætate fuerunt, Dialecticis, ut ſophiſmata excogitarent, queis diſcentium ingenia vexare, ac turbare poſſent. Alia hic quæſtio locum habet, fierine poſſit in legitimo ratiocinio, ut ex falſo antecedente ſequatur rerum conſequens? R. Fieri id poteſt opinione mea; ut, ſiquis ita concludat: omne animal ratione pollet (falſo) atqui homo eſt animal: igitur ratione pollet; quæ eſt vera concluſio: nempe in propoſitione univerſali falſa: omne animal ratione pollet, contineri poteſt vera particularis; & in Geometria præſertim ſiquis novis inveniendis demonſtrationibus dat operam, tum in Iurisprudentia Nat. imo in Phyſica quoque non nunquam falſa*

*falſa adſumuntur principia, ex quibus veræ concluſiones non nullæ deducuntur. Sed nihil intereſt pluribus verbis de hac re diſceptare; modo illud teneatur, ſi conſequens falſum ſit, fieri haud poſſe, ut verum ſit antecedens; idcirco ſæpiſſime ex ſequelis, ſive falſis conſequutionibus datas theſes oppugnamus.*

# PARS II. SPECIALIS.

## *De Regulis Logicæ adplicatis ad diverſam Materiam.*

Regulæ generales, quibus conformandæ ſunt operationes mentis, ſpeciatim adplicari poſſunt ad materiam demonſtrativam, probabilem, & captioſam, ſeu fallacem; cui partitioni reſpondet Apodictice, Dialectice, & Sophiſtice. Sed primo de materia ad diſquirendum propoſita generatim differendum eſt.

## CAPUT I.

### *De Statu Quæſtionis determinando.*

*In omni diſquiſitione principio, quid ſit illud, quod quæritur, explanari oportet, ne vagari, & errare cogatur oratio, aut agitatio mentis noſtræ. Quocirca diverſæ quæſtiones, quæ re differunt, etiam verbis ſegregandæ ſunt.*

### §. LXXI.

Ex controverſia, ſeu conflictu binarum propoſitionum, quarum altera adfirmat, altera negat, naſcitur *quæſtio, vel ſtatus quæſtionis*, quæ aut *definita* eſt, id eſt, certæ rei, loco, tempori &c. adſtricta, aut *infinita*, vel ſine eiusmodi notis determinantibus propoſita. Sit controverſia: danda eſt opera Philoſophiæ: non eſt danda opera; hinc oritur quæſtio: an ſit Philoſophiæ danda opera? quæ eſt infinita relate ad hanc: an ſit Neutonianæ Philoſophiæ opera danda? Utraque vel *Theoretica* eſt, ſeu ad cognitionem pertinens, e. g. ſitne ius a natura profectum, vel hominum pacto, aut potentum voluntate; vel *Practica*, ſeu ad actionem relata.

e. g. Quæ ſint officia civis erga rempublicam: quomodo animi motus tractandi ſint; & quamvis in hoc quoque genere ſemper includatur cognitionis alicuius quæſtio; tamen altera quæſtio ab altera multum differt, propterea quod in quæſtione cognitionis ſola ſcientia quæratur: in quæſtione actionis ipſa rei, de qua agitur, cognitio ad agendum tota referatur. Tria ſunt, quæ in definita, vel infinita, in theoretica, vel practica quæſtione occurrunt; 1. *an ſit*, fuerit, vel futurum ſit, aut eſſe poſſit? 2. *quid ſit*, vel quo nomine adpelletur? 3. *quale ſit?* Eſt igitur quæſtio coniecturalis, vel definitiva, vel qualitatis; Hinc Cicero L. III. de Orat. *Cogitationis tres modi, coniectura, definitio, &, ut ita dicam, conſequutio*; nam qualis ſit res, fere ex eo intelligitur, quid quamque rem ſequatur. L. II. ait: „ Nihil eſt enim: quod inter homines ambigatur, „ ſive ex crimine cauſſa conſtet - - ſive ex diſputatio- „ ne, ut de ratione vivendi, in quo non, aut quid fa- „ ctum ſit, aut fiat, futurumve ſit, quæratur, aut qua- „ le ſit, aut quid vocetur. „

*Quævis quæſtio definita eſt quodam modo (niſi in notionibus maxime generalibus verſetur; ut, an omne ens ſit unum, aut verum) infinita dicitur relate ad aliam, quæ plures continet notas determinantes, ex quibus eius reſolutio pendet. Vulgo non modo diſciplinæ, ſed etiam propoſitiones in theoreticas, ſeu ſpeculativas dividi, & in practicas in præfatione diximus.*

## §. LXXII.

*Ad coniecturam pertinet*, I. *Sitne aliquid?* ceu honeſtum ſit aliquid reipſa, & natura rerum, hominumque, an ſola opinione hominum? an exiſtat æther Cartelianus, ſive materia ſubtilis quaquaverſus diffuſa? ſitne in hominibus aliqua ſcientia, id eſt, certa, & evidens veri cognitio? an cometa viſus anno 1661 rediturus ſit anno 1790? 2. *Unde ortum ſit?* a ſenſibus, an a natura ſint ideæ? origo vocum, an a natura, vel arbitrio mentium intellectu præditarum? an atomorum agitatione oriri potuerit hic mundus? an cometæ a vaporibus ſolis vel planetarum exiſtant, an ſint corpora mundo coæva: fontium, & fluminum origo an a pluviis, vel mari petenda eſt? 3. *Quæ cauſſa effecerit?*

an

an mens vi naturali efficiat in ſe ideas ? cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiant ? 4. *An mutari poſſit ?* e. g. an materia quædam vilior auro in aurum mutari poſſit ? an vis attrahens poſſit in minimis diſtantiis mutari in repellentem ? an pravus amoris habitus poſſit in bonum, & honeſtum verti ?

II. *Ad definitionem pertinet* 1. *Notio.* an, qui Neutonum ſequutus ultimas cauſſas non definit, Philoſophus dici queat ? an attractio Neutoniana ſit qualitas occulta ? idne ſit ius, quod maxime utile ? 2. *Proprietas.* an ratiocinatio, & ægritudo etiam in belluas cadat ? argumentari, an ſoli Dialectico proprium, & ornate dicere ſoli Rhetori ? 3. *Diviſio*, vel *Partitio.* quotuplici ſenſu dicatur bonum ? an triplex bonorum genus, utile, delectabile, honeſtum ? rectene Logica in theoreticam dividatur, & practicam, cum vi definitionis ad recte operandum tota dirigatur ? 4. *Deſcriptio. e. g.* Sophiſtæ, Pedantæ, ut vocant, glorioſi, ſeditioſi. Huc aliqui trahunt quæſtionem de eodem, & altero e. g. an ſit idem honeſtum, & utile ?

III. *Qualitatis quæſtio* ſimplex, ſi de re una quæritur e. g. an mundus in ſuo genere perfectus ſit ? & *comparata* e. g. an ſit hic mundus omnium poſſibilium perfectiſſimus ? an difficilior Logica, vel Geometria ? Alia eſt quæſtionum diviſio in *Hiſtoricas*, ſi indagatur, quid ſit; quorſum & Mathematicæ pertinent, ſi rei magnitudo inveſtigatur; & *Philoſophicas*, cur aliquid ſit. Hinc & quæſtionem facti, & quæſtionem iuris, ſeu dogmatis diſtinguunt, & libros vel hiſtoricos eſſe aiunt, vel dogmaticos. Univerſe quidquid de re quavis cogitari, aut diſſeri poteſt, vel ad eruditionem refertur, vel ad Philoſophiam, quæ rerum cauſſas, nexus, relationes &c. expendit.

*Mira in his omnibus eſt inconſtantia loquendi; nec vero Tullius, dum quæſtionum diverſa genera diverſis libris exponit, ſibi conſtat. Puto tamen, illius mentem ſatis me attigiſſe. Illud addi poteſt, triplicem quæſtionem ſupra explicatam*, an, quid, quale; *ſi de re, vel facto agitur, vocari rationalem: ſi de lege, legalem; uti eſt quæſtio ſcripti, & voluntatis, an hæc ſit mens legislatoris; quæſtio legum contrariarum, an lex una ſit contraria al-*

 *teri*

*teri; quæſtio ſyllogiſmi. an ex lege quidpiam inferatur: quæſtio ambigui, ſi de voce dubitetur. Hæc ad interpretationem quorumvis ſcriptorum adplicari poſſunt. Univerſe ſtatus deſumitur ab eo, quod probandum eſt; in coniecturali factum non ſupponitur, ſed quæritur per coniecturas: in definitivo ponitur factum ceu certum, ac de illius nomine litigatur: in ſtatu qualitatis de perfectione, utilitate, honeſtate, æquitate rei quæritur.*

## §. LXXIII.

Propoſita quæſtione, ſi ea copulata ſit, & in partes ſegregari poſſit, ſingula, quæ inter ſe differunt, diſcernenda ſunt, atque ſeorſim tractanda via quadam, & ordine; nequit enim in res plures, diverſasque ſimul intendi animus, neque iudicium ferri de toto, niſi cognitis partibus; quapropter reſecanda ſunt, quæ ad rem non faciunt, exprimendumque non modo quid ſit id, quod agatur; verum quid non agatur in præſenti. Recte autem Aristoteles initium tractationis a dubitatione fieri vult L. III.Met.C.I. Quia veritatis cognitio comparatur ſolutione eorum, quæ prius dubitata fuere; ſolvere autem vinculum nemo poteſt, qui nodum ignoret. Quemadmodum vero prænoſcendum eſt quodam modo, quorſum quis tendat cogitando; ita facta quæſtionis reſolutione ſingula velut veſtigia animo relegenda ſunt, totaque ſeries, & progreſſio, nexus item principiorum, concluſionumque examinandus.

# CAPUT II.

## *De generalibus Ratiociniis, quibus propoſita quæſtio reſolvitur.*

*Conſtituta quæſtione diſpiciendum eſt, unde eius reſolutio pendeat, an a ſenſu, ſi de re ſenſibili agitur; 2. an a ratione, ſiquid intelligibile eſt; ac ratiocinando elici debet, 3. an ab auctoritate ut in iis, quæ credibilia adpellantur, 4. an denique a ſenſu communi naturæ, ut iis in rebus, quæ neque ſenſu externo, vel reflexione, neque diſtincto ratiocinio, neque auctoritate hominibus innoteſcunt, aut firmiter perſuadentur.*

§. LXXIV.

## §. LXXIV.

*Ea, propter quæ aliquid pro vero haberi poteſt*, adpellantur *indicia*, *vel criteria veritatis*, requiſita certitudinis, rationes, media, motiva, argumenta; quia rei probandæ ſerviunt, vel rei dubiæ conciliant fidem, & ad aſſenſum movent, vel inclinant, & veluti vim quandam in intellectum exerunt. Et quoniam ſæpenumero plura deſiderantur, ut quidpiam pro vero haberi poſſit; idcirco criteria vel ſufficientia ſunt, vel inſufficientia, ſeu partialia, uti plene, vel ex parte duntaxat ex iis intelligitur, aliquid eſſe verum. Argumenti cuiusvis explicatio, ſeu forma, in quam redigi ſolet, argumentatio nuncupatur, dumque per eam manifeſtatur quidquam, quod dubium eſt, probari dicitur; nam obſcurum per aliud apertius, clariusque, incertum per certius, & probabile per probabilius manifeſtari oportet.

*Si cui rei certum nomen tribuitur e. g. auri, ſingulæ notæ, quæ in re ineſſe obſervantur, indicia eſſe poſſunt, ob quæ id nomen eidem vere competat: ut quis doctus, iuſtus, manſuetus, fortis &c. dici queat, pluribus indiciis opus eſt; quando inductione utimur, ſinguli caſus particulares indicio ſunt, concluſionem generalem eſſe veram: ſiquid pro vero habetur ob alterius teſtimonium, in teſte notitia rei, veracitas, præterea genuina dictorum eius interpretatio requiritur: ut quis homicidii &c. poſtulari queat, fere plura indicia, & ſigna colliguntur: certæ corporis mutationes, tumor, color &c. indicia ſunt hauſti veneni: ut quævis propoſitio pro vera habeatur, neceſſe eſt, ut veritas ideæ ſubiecti, dein habitudo eiusdem relate ad ideam prædicati percipiatur: ſiqua veritas ratiocinando obtinetur, tum veritas principiorum, tum nexus eorundem cum concluſione ſpectandus eſt. Patet igitur, quomodo criteria ſeorſim ſingula ſint inſufficientia, omnia collectim ſufficientia. In iudiciis quoque forenſibus probatio dicitur plena, quando eam fidem facit, ut terminari poſſit controverſia: ſemi-plena, quæ fidem quandam facit, nec tamen ad terminandam litem ſufficit. Criteria variis nominibus indicavimus: dicuntur aliquando ſigna, quatenus ſub ſenſum cadunt, & præterea ideam rei connexæ excitant; e. g. effractio ianuæ ſignum eſt furti; dein conie-*

*ſturæ a coniectu, ſeu directione quadam rationis ad veritatem, ut Quintilianus ait L. III. Inſt. c. 7. Quatenus ob indicia quædam mens in aliquam partem dirigitur, ſeu inclinatur. Dein præſumptio dicitur coniectura in rebus dubiis collecta ex indiciis in ſimilibus adiunctis frequenter evenientibus: ſuſpicio dicitur iudicium deductum ex ſignis communibus in deteriorem partem. Sed in his omnibus alii aliter, atque alii definiunt.*

## §. LXXV.

Criterium ſenſus nititur hoc generali ratiocinio: *Quidquid ſenſu, vel experientia manifeſta, & conſtante percipitur, illud eſt ( niſi alia ratio gravis obſtet ) Porro hoc, illudve ſenſu, vel experientia manifeſta, & conſtante percipitur: igitur eſt.* Quæ in uſu ſenſuum ſint obſervanda, dictum eſt §. LXVII. n. II. III. IV. Philoſophi phænomenon vocant, quidquid conſideratione dignum ſenſu externo percipiunt, vocantque *experimentum*, ſiquod phænomenon accedente hominum induſtria contingit: quæ vero veluti ſua ſponte citra humanam ſolertiam eveniunt, ceu planetarum motus, dicuntur *obſervationes.* Regulas experiundi, obſervandique Phyſica, & multo etiam magis ipſe uſus docet.

## §. LXXVI.

Criterium rationis in iudiciis, quorum veritas ſola idearum comparatione elucet, hoc modo exprimi poteſt: *Quidquid in idea rei clara, & diſtincta, cuius veritas explorata eſt, continetur, id de illa re vere enunciari poteſt: porro hoc, illudve prædicatum in idea rei clara & diſtincta, cuius veritas explorata eſt, continetur: igitur hoc, illudve prædicatum de illa re vere enunciari poteſt.* Criterium rationis in iudiciis mediatis adplicatur hoc generali ratiocinio: *quidquid ex veris principiis legitime deducitur, illud pro vero habendum eſt: porro hoc, illudve ex veris principiis legitime deducitur: ergo hoc, illudve pro vero habendum eſt.* In uſu igitur huius criterii ſpectanda eſt veritas principiorum, ſeu materia ratiocinii, & veritas conſequentiæ, ſeu legitima forma, de qua pariter ſuperiore parte egimus.

*Quod cum veritatibus vi naturali cogitandi cognitis congruit, id rationi conforme, vel ſecundum rationem dicimus:*

*cimus : quod ex illis deduci minime poteſt, ſupra rationem: quod iisdem repugnat, contra rationem; Non pauci cum contra, vel ſecundum rationem quidquam eſſe pronunciant, ſolas reſpiciunt ideas, & cognitiones, quas mente ſua ipſimet tenent, quibus, ſiquid conforme deprehendunt, vel difforme, ita id ſecundum, vel contra rationem cenſent. Verum cum ideæ noſtræ, cognitionesque & paucæ numero ſint, & valde imperfectæ, cavendum, ne, quod iisdem congruere non videtur, continuo ceu abſurdum, rationique repugnans rejiciatur. Siquis homini cæco adfirmaret, pictam tabulam, quam planam eſſe tactu deprehendit, viſui adparere introrſum vergere, aut parte quadam prominere, næ id cœcus contra rationem duceret. Sanam rationem dicimus, quando ea nulla animi perturbatione, nullis præiudiciis temere conceptis, nullis falſis principiis, nullaque ignoratione veri ad concludendum neceſſarii eſt corrupta. Diſplicet vox ſanæ rationis nonnullis Philoſophis, qui negant rationem eſſe, quæ ſana non eſt. At enim norunt iidem, quam ſæpe ex falſis principiis, quæ pro veris habentur, variæ deducantur concluſiones legitima concludendi forma; quæro, qua mentis facultate eæ conſequutiones fiant? ſenſu? phantaſia? Haud ſane, ſi generalia ſint principia; igitur ratione, quæ tum quidem falſa eſt opinione vitiata; imo in omni demonſtratione apogogica, vel deductione ad abſurdum quidpiam tale contingit. Quam ob rem, ſi ſenſus ſanos, & valentes, itemque depravatos dicimus, cur ſanam rationem, vel corruptam adpellare non ſuſtinebimus?*

## §. LXXVII.

Criterium Auctoritatis nititur hoc ratiocinio: *Quidquid teſtatur is, de quo conſtat, quod verum & poſſit, & velit dicere, id pro vero tenendum eſt: porro hanc rem teſtatur is, de quo conſtat, quod verum & poſſit, & velit dicere: igitur hæc res pro vera tenenda eſt.* Quicunque alteri quidpiam indicat velut a ſe perſpectum, *teſtis* vocatur: dictum, aut factum, quo tale indicium fit, *teſtimonium*, vel *auctoritas*, quatenus ad adſenſum nos movet; movet autem, quando non modo mens teſtantis, ſed etiam notitia, quam de re habet, & veracitas, ſeu voluntas dicendi verum, comperta eſt; his igitur rebus auctoritas conſtituitur, quæ divina eſt, vel humana,

mana, uti teſtimonium a Deo, vel homine proficiſcitur, quod *authenticum* adpellant, ſi non modo de illius exiſtentia, ſed etiam de auctoritate teſtis legitime conſtat. Qui pro vero habet quidquam propter auctoritatem alterius, eidem *credere* dicitur: & adſenſus ob alterius auctoritatem præſtitus *fides* eſt, divina, vel humana, eaque hiſtorica, quæ in factis, rebusque ſingularibus verſatur, vel dogmatica, quæ adhibetur teſtanti de dogmate, ſeu iudicio univerſali mediato, vel immediato. Porro cum infinita ſit Dei ſapientia, & veracitas, perſpicuum eſt, firmiſſimo adſenſu amplectenda eſſe, quæcunque divina auctoritate nobis innoteſcunt, etſi naturali ratione clare attingi nequeant; *demus enim*, inquit Auguſtinus, *Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur, inveſtigare non poſſe.* Nec vero, quæ rationem noſtram ſuperant, quæque arctis limitibus, & anguſtiis humanæ mentis comprehendi nequeunt, propterea ſanæ rationi repugnant. Juſtiſſime Concilium Lateranenſe Seſſ. 8. damnavit ineptam quorundam opinionem, in quibus Pomponatius erat quidam in Italia, adſerentium, humanam mentem theologice, id eſt, ſecundum revelationem eſſe immortalem, philoſophice autem, ſive ſpectata ratione mortalem. De uſu humanæ Auctoritatis vulgo aiunt, cuivis perito in ſua arte credendum eſſe. In quæſtionibus facti ſpectanda ſunt, 1. factum, ſeu res, quæ narratur. 2. Narrandi modus. 3. Perſona teſtantis, tum ratione intellectus, ſitnè ſatis prudens &c. ratione ſenſuum, num oculatus, an auritus ſit teſtis; ratione voluntatis; an partium ſtudio, ſpe, metu &c. ducatur.

*Si de naturalibus rebus diſceptatur, magnopere cavendum, ne temere abutamur ſacra auctoritate ad eiusmodi quæſtiones, quæ neque cum fidei myſteriis, neque morum diſciplina habent nexum. SS. quoque Eccleſiæ Patres ceu Magiſtros, ac Duces in negotio religionis, ſalutisque æternæ Deus hominibus dedit, non Philoſophiæ, aliarumve artium Doctores. Hinc Melchior Canus L. VII. Loc. Theol. ſapienter animadvertit: „ Sancti Patres in hiſce artibus „ humanis non Chriſtum, ſed Platonem, ſed Ariſtotelem, „ ſed Avincennam, homines videlicet impios, aut cæcos „ habuere Magiſtros, aut ſuum intellectum fallacem, aut alios homines erroribus obnoxios ſequuti ſunt.*

§. LXXVIII.

## §. LXXVIII.

Criterium ſenſus communis naturæ hoc ratiocinio continetur : *Quidquid omnes homines omnium temporum, ac nationum iudicant in re ſummi momenti, quæ ad vitam moralem, vel naturalem eſt neceſſaria, id indubitato eſt verum : omnes autem homines omnium temporum, ac nationum iudicant, hoc, illudve eſſe, idque eſt ſummi momenti, & ad vitam moralem, vel naturalem neceſſarium : ergo hoc, illudve indubitato eſt verum.* Qui in hiſtoria humani generis paulum modo verſatus eſt, manifeſte novit, apud omnes homines ratione utentes vigere perſuaſiones quasdam communes, conſtantes, uniformes quibusdam de rebus, quæ neque ſenſu externo, nec reflexione, nec inſtitutione, & auctoritate, nec adcurato ratiocinio cunctis innoteſcere, aut conſtanter, firmiterque inculcari potuerunt. Eiusmodi perſuaſiones ad vitam moralem, ſive honeſtatem morum, & naturalem religionem pertinentes, ſunt : *Non ſum a me ipſo, nec fui ab æterno : exiſtit ens quoddam ſupremum, quod res cunctas produxit, & nunc etiam adminiſtrat, atque in primis humanis rebus invigilat : ſunt actiones bonæ, quas illud Ens ſummum, ſive Deus, præcipit : ſunt malæ, quas ſevere prohibet : ſuperſtes poſt hanc vitam eſt humana mens, ſemperque erit, eademque virtutis præmium, flagitiorum pœnam recipiet : Eſt in hominibus recta quædam ratio oppoſita deliramentis, & turpitudini, ac ſceleri : in hominis arbitrio eſt bene agere, aut male &c.* Aliæ quædam perſuaſiones in hominibus ſunt, quibus vitæ naturali conſulunt, & ex præteritis uniformibus experientiis de futuris, & ſimilibus iudicant naturæ factis, atque eventibus : *Qui manum admovet igni, aut ferro candenti, læditur : qui non habet, quod bibat, vel rodat, fame, ſitique cruciatur : quidquid in natura ſit ordine quodam, certaque, & conſtanti lege, aptisque uſibus ſervit, id non temere, & caſu, nec ſine mente intellectiva conſtitutum eſt.* Quæritur hoc loco, utrum conſtans, & uniformis perſuaſio humani generis, ſive, ut aiunt, communis naturæ ſenſus pro veri criterio haberi poſſit exemplo antiquiſſimorum Philoſophorum, qui inde argumentum deduxerunt pro demonſtranda Numinis exiſtentia, immortalitate animorum, & iure naturali ſtabiliendo.

liendo. Ex Philoſophis heri natis iſtuc argumentum ceu aſylum ignorantiæ quidam explodunt, qui ſibi tanto plus ſapere videntur, quo pluribus contradicant, & protervius adſpernentur, quidquid antiquitatem ſapit. Contra hos cum in præſenti ago, inſtar axiomatis ſumo: 1. Eſt in hominibus ſana quædam, rectaque ratio, qua plurimis caſibus verum cernant, idque internoſcant a falſo; qui enim omnes, ac ſingulos mortales conſtanter delirare, omnemque mundum fatuorum eſſe domicilium volunt, ii profecto nec docendi ſunt, nec audiendi, neque verbis, ſed carcere conſtringendi. 2. Id, quod a ſana ratione provenit iudicium, indubitato eſt verum; ſecus non eſſet ſana, ſed vitiata ratio.

## §. LXXIX.

Propoſitio I. *Conſenſus omnium in formandis naturæ iudiciis manifeſto indicio eſt, ea provenire a ſana ratione.* Prob. Indubitatum eſt, generalis conſenſionis iſtiusmodi iudiciorum eſſe generalem quandam, & communem cauſam: quidquid enim in innumeris caſibus conſtanter, eodemque modo fit, non fit temere, non caſu, non errore, ſed neceſſaria quadam, conſtante, & uniformi lege. Porro generalis, communisque cauſſa eius conſenſionis alia eſſe non poteſt, niſi ipſa natura intellectiva, ſive ratio, quæ in omnibus hominibus ineſt, neque ex ſe, & natura eſt corrupta, neque in omnibus eodem errore corrupta eſſe poteſt; error enim vagum quiddam eſt, mutabile, difforme, ac contingens: ſola ratio communis eſt in humano genere, & neceſſaria, conſtans, ac uniformis omnibus ſeculis, & apud omnes nationes; quapropter fieri non poteſt, ut homines locis, ac temporibus longiſſime diſſiti, ingeniis, ſtudiis, adfectionibus, inſtitutis, educatione, aliisque præiudiciis diſſentientes, univerſe, conſtanter, atque uniformiter conſentiant in iis iudiciis, niſi ea ſana ratio ceu communis omnium magiſtra doceret, & ita doceret, ut nulli varietati ſubiaceant, ſed ab omnibus teneantur, & cogitate teneantur, ſtudioſeque, ceu ad omnes, & ſingulos pertinentia, de quibus ſæpiſſime cogitent præſertim adverſis in rebus, mortisque diſcrimine, in quo vel peſſimi quique eorum ſenſum produnt, & veritatem comprobant vel inviti, quando ſcelerum vindicem timent,

timent, & ob male facta pœnasque alterius vitæ anguntur. Quapropter naturæ rationalis hæc eſt lex quædam, ut in cognitionem iſtiusmodi veritatum quisque veniat neceſſario; neque vero ea cognitio ab humano arbitrio pendet. Hinc Tullius L. I. qq. Tuſcul. ait: *Omni in re omnium gentium conſenſio naturæ lex putanda eſt.* Et L. II. de Nat. Deor. *Opinionum commenta delet dies: naturæ iudicia confirmat.*

## §. LXXX.

Propoſitio II. *Conſenſus omnium firmiſſimum eſt argumentum eorum iudiciorum, quæ ſupra recenſuimus.* Prob. Id, quod oſtendit a ſana ratione provenire iudicium quoddam, eſt firmiſſimum veritatis argumentum: conſenſus autem omnium id ipſum oſtendit: eſt igitur is firmiſſimum veritatis argumentum; idcirco Tullius L. I. de Nat. Deor. *de quo*, inquit, *omnium natura conſentit, id verum eſſe, neceſſe eſt;* ac ſi iis quoque in rebus, quas perſpicuo ratiocinio a nobis demonſtratas iudicamus, aliorum hominum conſenſus nos plurimum confirmat; cur univerſi generis humani in his rebus tam gravibus, tantique momenti, quæ cum vita morali tam arcte connexæ ſunt, quæque ad omnes, & ſingulos maxime pertinent, conſenſio veritatis argumentum haud ſit?

## §. LXXXI.

### Refutantur Obiecta.

I. *Nequit explicari, quid ſit, & in quo conſiſtat communis naturæ ſenſus; neque enim facultas eſt a reliquis cogitandi viribus, & potentiis diſtincta, quod a nemine Philoſophorum adhuc dictum eſt; neque habitus cuiusdam potentiæ in omnibus hominibus, etiam incultis, ac rudibus eſſe poteſt. Vox: inſtinctus, terminis inanibus accenſetur a plurimis, & naturæ vox, qua Tullius utitur, metaphorica expreſſio eſt, abhorrens a ſubtilitate Philoſophiæ.* R. Senſus naturæ non eſt habitus ſingulari ſtudio acquiſitus, neque cogitandi facultas a vi ratiocinandi diſtincta, ſed eſt ipſa ratio, aut potius diſpoſitio, & inclinatio rationis, quæ in omnibus ineſſe a nobis colligitur ex eo, quod omnes homines omnium temporum,

rum, ac nationum ea iudicia forment, facilique uſu rationis in cognitionem earum veritatum veniant, & quamvis non æqualis ſit in omnibus ratiocinandi vis, ſed maior in aliis gradus, in aliis minor; tamen is certe gradus ineſt in omnibus, qui uſu rationis pollent, ut eas veritates eliciant ratiocinando, etſi diſtinctum non ſit iſtuc ratiocinium, neque ab incultis hominibus apte explicari verbis queat, qui quidem nec ſe animam habere, ſenſuque, vel ratione eſſe præditos, ſatis exponere norunt, uti & ſentiunt, & cogitant. Porro cum uniformia, conſtantiaque, & neceſſaria ſint ea iudicia, non inepte *naturæ lex* vocantur, uti idem in aliis uniformibus phænomenis fieri ſolet: adcommodatius autem ad hominem *vox* naturæ nuncupantur, quia homo, contra ac muta entia, cogitationes ſuas, iudiciaque de ſupremo Numine, de vita altera, de principiis morum ſermone, precibus, ſacrificiis, variisque ritibus palam facit. Vox *inſtinctus* latius patet, & beſtiis quoque, atque actionibus facultatis adpetitivæ tribuitur.

II. *Argumentum ab hominum ſenſu, & opinione ductum non ſatis dignum videtur Philoſopho, qui ratione, non auctoritate niti debet.* R. 1. Argumentum a generalibus naturæ legibus ductum, ſiquod aliud, certe eſt philoſophicum: tale eſt id, de quo agimus, quia generalis, & conſtans omnium conſenſio reipſa lex quædam, & neceſſaria, atque uniformis operatio mentis intellectivæ eſt. 2. Philoſophus expendens naturam, finemque humanæ mentis perſpicue intelligit, quod homo rationis, & arbitrii compos ſe ipſum regere, atque ad finem ſuum, honeſtamque vitam movere, agereque, & proin principia, ac fundamenta honeſtatis noſſe debeat: hæc theoria eundem ducit ad inveſtigandum, an mens humana ea principia, ac fundamenta reipſa norit, perſpiciatque; inventoque communi ſenſu, & conſenſu humani generis novum pro theoria confirmanda argumentum comparat, ea propemodum methodo, qua in Phyſica, & Aſtronomia analyſis naturæ ad theoriam condendam, conditaque theoria ad nova capienda experimenta veluti manu nos ducit, quæ quidem ſi penitus conſentire cum theoria deprehenduntur, novo firmamento eandem ſtabiliunt, novoque lumine perfundunt: 3. Ipſa ſimilitudo naturæ hominum, ſimileſque cogi-

tandi

tandi vires, quibus idem mundus obiectus eſt, rationem quandam velut a priori ſuppeditat, cur omnes pariter, ac univerſi homines quasdam communes, & immutabiles notiones concipiant, & communiter ferant quædam iudicia, etſi aliis in rebus penitus diſcrepent. Quare, ut concludam hunc locum, ita exiſtimo: argumentum ex generali naturæ lege deductum, genuinæ philoſophandi methodo conforme, & cuius ratio a priori reddi poteſt, certe philoſophicum eſt: tale eſt id, quod communem naturæ ſenſum nuncupamus.

III. *Quævis inclinatio rationis ad adſenſum indicium eſt veritatis; igitur fruſtra provocatur ad conſenſum, & inclinationem omnium.* *R.* d. a. Si ſatis conſtet, eam inclinationem a ſana ratione provenire, uti id ex conſenſu omnium, non ex privata quavis inclinatione conſtat; c. a. ſecus n. a. & c. Innumera ſunt afferta, præſertim in Iure naturali, ad quæ tuenda inclinari ſe a ſana ratione quidam putant: alii aliis de cauſſis in partem oppoſitam inclinantur: nihil igitur ex privatis, & diſſentientibus opinionibus confici poteſt; neque vero inde lex quædam naturæ colligitur, qualem effici ex conſenſione omnium diximus.

IV. *Finis perſuaſionis generalis de exiſtentia Dei, & immortalitate animorum eſt honeſtas vitæ: is autem finis perinde obtinetur, ſeu veræ ponantur eæ perſuaſiones, ſeu falſæ, cum non raro falſa opinio, quam e. g. miles habet de vita duis, qui reipſa iam obiit, incitamento eſſe poſſit, ut gnaviter dimicet; igitur, aiunt, nequit ita concludi: hæ perſuaſiones ſunt fundamentum honeſtatis: ergo neceſſario veræ.* R. Siqua falſa opinio honeſtæ actionis aliquando occaſio eſt, id fit per accidens, ut aiunt, in ſingulari caſu; per ſe autem, & generatim omnis recta, & honeſta actio, omniaque practica principia non niſi veritate cuiusdam theoriæ, ſeu cognitionis ſpeculativæ nituntur; illæ autem perſuaſiones de Numinis exiſtentia, & animorum immortalitate eiusmodi ſunt fundamentum honeſtatis, ut, ſi falſæ ponantur, reipſa omnis honeſtas, & tranquillitas vitæ funditus tollatur; quod hoc quidem loco pluribus verbis explicandum non eſt.

V. *Forte ex præiudiciis, atque educatione ingeruntur*

tur hæ perſuaſiones; R. Cum eæ vigeant ubique, & viguerint ſemper, dubitari nequit, quin eiusmodi ſententiæ de ſupremo Numine, & altera vita iam inde a prima ætate hominibus inſtillentur; ſed num ideo mera ſunt præiudicia infantiæ, atque educationis, cum eæ ipſo progreſſu ætatis, rationisque uſu perpetuo roborentur, & a cultis gentibus, doctisque hominibus, in quibus maior eſt rationis vis, obfirmate, atque indubitato teneantur? Nec vero hæ perſuaſiones ſenſuum fallaciis ſubiacent; ipſa vero earum uniformitas, conſtantiaque omnem ſuſpicionem præiudiciorum, quæ a ſectis, vel adfectibus naſcuntur, longiſſime ſubmovet: cumque eæ ad omnes homines, & ſingulos pertineant, maxima etiam vulgi, & multitudinis auctoritas eſt, quæ ſuis in rebus minime ſtupida eſt, aut facile, conſtanterque decipi poteſt.

VI. *Inutile eſt hoc criterium, cum ſenſus omnium, qui ubique ſunt, & omni ætate fuerunt, explorari nunquam poſſit.* R. Hæc quidem obiectio ad quæſtionem facti pertinet: an reipſa detur conſenſus omnium in quibusdam iudiciis; nec vero id ad Logicam pertinet. Generatim aio, minime requiri completam inductionem in hac re, ſatisque eſſe, ſi de innumerabilium ſenſu, & conſenſu ſua quemvis experientia convincat: de ſenſu vero aliorum, qui locis, vel temporibus a nobis abſunt, iſtiusmodi habeamus teſtimonia, quibus fides negari ab homine ſanæ mentis non poteſt; an vero, ſi opinionem omnium exquirere non poſſumus, propterea iure dubitabimus, an omnes reipſa beatitatem adpetant, miſeriam fugiant, vel alimentis egeant ad ſuſtentandam vitam?

# CAPUT III.

## *De Reſolutione Apodictica.*

*Quævis ratiocinatio reſolvi poteſt in principia formalia, examinando eius formam, de qua ſuperiore parte egimus, & in principia materialia, ſpectando materiam, quæ aut demonſtrativa eſt, ſeu Apodictica, aut probabilis, aut ſophiſtica. Hoc loco de demonſtratione agendum eſt contra Scepticos.*

§. LXXXII.

## §. LXXXII.

Si intellectus, cum de præſtando adſenſu agitur, animadvertit, ſe ob inſufficientia veritatis indicia verſari in periculo erroris, *actu formidare* dicitur: ipſa indiciorum inſufficientia, ſeu fallibilitas motivi vocatur *formido radicalis*, quia veluti radix, & fundamentum eſt formidinis actualis. Id, quod tam ſufficientia veritatis indicia habet, ut nullus de oppoſito formidandi locus relinquatur, *certum* nuncupamus, cui opponitur incertum, ſeu formidini obnoxium. *Immediate evidens* eſt, quod intellectis terminis mox habetur pro certo, ſive quando habitudo idearum ex ſola earundem comparatione elucet; quo caſu cognitio veritatis dicitur *intuitiva*. *Mediate evidens*, quod ex principiis immediate evidentibus ita deducitur, ut legitima conſequutionis forma, & connexio concluſionis cum principiis clare perſpiciatur; ac talis cognitio adpellatur *demonſtrativa*; eſt enim demonſtratio quædam probationis ſpecies, cuius principia certa & evidentia ſunt, & inter ſe, ac cum concluſione legitime connexa; ut proin & materia ſpectanda ſit, & forma. *Scientia* eſt habitus demonſtrandi: imo quævis cognitio certa, & evidens rei per cauſſam, ſive per principia probationis, ſæpe ſcientia nuncupatur: *opinio* vero eſt adſenſus propoſitioni incertæ præſtitus. Retentio adſenſus, ſive ſuſpenſio iudicii orta ex formidine, vel animadverſo periculo erroris, adpellatur *dubium*, idque *poſitivum*, quando pro utraque parte, tum adfirmante, tum negante, poſitivæ rationes ſuppetunt, ut ſi unus teſtis adfirmet, alter idem neget: dubium *negativum* eſt, ſi nulla, aut prope nulla iudicandi ratio ſuppetit; ceu, an ſtellæ ſint pares numero, vel impares: quamquam hic ſtatus mentis, in quo nulla adſenſus, vel diſſenſus ratio præſto eſt, potius ad ignorantiam referri debeat.

*Certitudo, ut ex dictis patet, firmitatem quandam adſenſus: evidentia vero perſpicuitatem cognitionis continet, & a Tullio vocatur lumen quoddam mentis, quod per ſeſe ea, quæ ſunt, ita, ut ſunt, indicat: omne igitur, quod evidens, id pariter certum eſt, non viciſſim. Myſteria religionis certitudinem habent ſummam, evidentiam relate ad nos non habent.* Metaphyſica, ſeu abſoluta certitudo *eſt,*

*quando penitus repugnat, ut errori obnoxia ſit:* certitudo Phyſica, *quando ſalvis naturæ legibus, & citra miraculum falſum ſubeſſe nequit:* Moralis *denique, quæ in legibus prudentiæ, communi hominum præcipue ſapientum conſuetudine iudicandi, in Hiſtoricorum fide, caſuum ſimilium frequentia &c. fundatur: Pariter Metaphyſica, & Phyſica evidentia diſtingui ſolet; ac Metaphyſica evidentia quidquam cognoſcere, nihil eſt aliud, niſi veritatem idearum, ac habitudinem earundem perſpicue intueri: qui quidem intuitus iudicium eſt actuale, in quo nullum dubium, vel ſuſpenſio iudicii, nulla formido locum habet; ſiquis proin quærat, an intellectus in evidentibus neceſſitetur ad adſenſum, perinde facit, ac ſiquis interrogaret, utrum homo apertis oculis, ſaniſque, & animo præſente neceſſario videat obiectum præſens. Porro etſi certitudo, & incertitudo adfectiones ſint cognitionum, non rerum; tamen expreſſiones vulgo receptæ eas referunt ad res ipſas, nempe uti res in animo præſentes ſunt: recte autem ſtatuitur certitudo quædam obiectiva, ſive infallibilitatis, quæ eſt eſſentialis determinatio cognitionis ad veritatem orta ex infallibili principio. Eiusmodi certitudo ineſt tum cognitioni Divinæ, tum noſtris actibus fidei &c. ſupernaturalis ob lumen ſupernum ad eos concurrens, quemadmodum Theologi explicant. Huic opponitur certitudo* ſubiectiva, *ſive* adhæſionis, *quam ſupra definivimus; ac ſi ea firmitas adſenſus, ſive adhæſio mentis ex criteriis veritatis oritur ſatis perſpectis*, intellectualis *dicitur, ſi autem a voluntate pendet*, adfectiva, *quæ imprudens eſt, & pertinacia dicitur, niſi ſatis explorata ſint antea indicia veritatis.*

## §. LXXXIII.

In diſciplinis demonſtrativis omnia ad notiones rerum, ac propoſitiones revocari poſſunt immediate, vel mediate evidentes, quæ a Mathematicis inſignitæ ſunt propriis nominibus; ac 1. Quævis propoſitio theoretica, vel practica (Schol. §. LXXI.) *indemonſtrabilis* dicitur, ſi eius veritas intellectis terminis, vel comparatis ideis mox patet, ſive pro certa habetur: *demonſtrabilis*, cuius veritas probatione eget, ſive ex aliis propoſitionibus colligi debet. 2. *Axioma* eſt propoſitio theoretica indemonſtrabilis: ceu, totum eſt maius ſua parte.

*Poſtu-*

*Poſtulatum* vero eſt propoſitio practica indemonſtrabilis, ceu, quævis linea recta produci poteſt. 3. *Theorema* eſt propoſitio theoretica demonſtrabilis e. g. in quovis triangulo rectilineo omnes anguli iunctim efficiunt binos rectos. *Problema* eſt propoſitio practica demonſtrabilis e. g. ducere parallelam ad datam rectam. 4. *Corollaria* vel confectaria ſunt propoſitiones ex præcedente notione, vel propoſitione per ſeſe quodammodo fluentes, facilique ratiocinio deductæ. 5. *Scholia*, ſeu notæ ſeu animadverſiones ſubnectuntur notionibus, & propoſitionibus declarationis gratia, vel eruditionis. 6. *Lemmata* ſunt propoſitiones ex alia ſcientia mutuatæ; omnes enim diſciplinæ commune quoddam vinculum, & velut cognationem habent, quæque in alia demonſtrantur, in alia citra demonſtrationem ceu vera ſumi poſſunt; quævis igitur ſcientia ius lemmatum habet. 7. *Poriſmata* ſunt propoſitiones ad eandem, in qua traduntur, ſcientiam, & materiam pertinentes, ſed quæ ad alias propoſitiones probandas præmitti ſolent; ut, ſi in Phyſica naturam luminis expoſiturus prius oſtendam, lumen propagari per lineas rectas.

*Hæc ſunt vere principia demonſtrationum, nempe notiones, axiomata, & poſtulata, quæ ex notionibus deducuntur (LXV. n. III.) dein propoſitiones antea demonſtratæ, lemmata quoque, & experientiæ certæ, atque indubitatæ. Ipſa porro demonſtratio in varia genera tribuitur, uti probatio (§. LIX.)*

## §. LXXXIV.

In ſerie plurium demonſtrationum inter ſe connexarum curandum eſt, ut notiones, ſeu definitiones præmittantur eæ, quarum definita continentur in poſterioribus notionibus: propoſitiones quoque eo ordine collocentur, ut ex præcedentibus intelligi queant, quæ ſequuntur; verbo, ut tales veritates, & tali ponantur loco, ut aliis ſequentibus certo, & evidenter percipiendis ſerviant. Finis enim eiusmodi ſeriei, qualis præcipue in Mathematicis diſciplinis reperitur, is eſt, ut cognitio ſcientifica, id eſt, certa, atque evidens facile, ac cito obtineatur; ſæpe igitur erroris, ac confuſionis periculum exiſtit; ac ſiqua parte, uti ſit præſer-

tim feſtinandi ſtudio, evidentia cognitionis deficiat, tota, quæ deinceps ſequitur, ſeriei continuatio, quæ nexum habet cum illa parte, firmitate, & perſpicuitate cognitionis caret; quemadmodum in Arithmetica operatione adfirmate dicere non poſſumus, genuinam ſummam, vel differentiam, productum, vel quotum eſſe inventum, niſi conſcii nobis ſimus, debitum certitudinis, atque evidentiæ gradum in ſingulis progreſſibus operationis conſervatum a nobis fuiſſe; quapropter expedit, longiores ſeries dividere in minores partes, ſingulasque ſeorſim, & paulatim examinare. In quem finem notandum, aliam eſſe actualem cognitionem, aliam habitualem. Actualis eſt, ſiquis habitudinem idearum vel ſola earum comparatione, uti in iudicio intuitivo, vel per intermedias ideas, ut in demonſtrativo, actu percipit, & intuetur: contra Habitualis, quando veritas penitus percepta ita infixa memoriæ eſt, ut, ſi in mentem denuo redeat, ceu explorata mox recipiatur; quod fit duplici modo; 1. Si veritate recurrente ſimul habitudo idearum, & rationes, quibus ea demonſtratur, iterum perſpiciantur. 2. Siquis meminit, ſe eius veritatis convictum aliquando fuiſſe, etſi rationes, quibus convincebatur, nunc mente exciderint. Atque hoc caſu non tam rem cognoſcimus, quam memoriæ noſtræ fidem habemus, & perſuaſio de eiusmodi veritate, etſi cognitionem ſcientificam actualem non attingat; tamen quodvis opinionis, ſeu incerti adſenſus genus ſuperat, & certitudinem parit, præſertim ſi ipſa propoſitio, cuius demonſtrationem vel ſemel recte perſpeximus, ſæpius animo repetita ſit.

*Multa paſſim a Wolfianis de demonſtratione verba fiunt; ſed res tota non tam regulis, quam ipſo demonſtrandi labore iterato ſuſcepto, atque uſu, & in primis Geometriæ ſtudio perdiſcitur.*

## §. LXXXV.

Propoſitio. *Eſt in hominibus ſcientia quædam*, ſive ea pro cognitione certa, & evidente, ſive pro habitu demonſtrandi ſumatur. Prob. 1. Senſu externo certum eſt, & omnino evidens, mundum exiſtere, ignem urere, corpus noſtrum fame, ſiti, ſciſſione, aut tenſione nervorum cruciari poſſe. Qui ea de re dubitat, experiri

riri

riri cogatur. Dein reflexione manifeſtum eſt, eſſe in mente noſtra cogitationum, atque adpetitionum, voluptatis, tædii perpetuam viciſſitudinem; Auctoritate comperimus, eſſe in mundo urbem, quæ Roma, Vienna &c. dicitur, fuiſſe alios ante nos homines, Iulium Cæſarem, Tullium, Platonem, Ariſtotelem; quis ſerio de his dubitet? vi rationis perſpicimus radios circuli eſſe æquales; imo Arithmeticam, & Geometriam quis ſcientias eſſe neget? In aliis diſciplinis quam innumera ſunt dogmata, quorum certa, atque evidens cognitio comparari a nobis poteſt? res tota clarior eſt luce meridiana. Prob. 2. Ex abſurdis. Qui nihil ſciri poſſe adfirmat, ne id quidem certo ſcit, quod nihil ſciat; idem dubitare cogitur, an ullam habeat rationem adfirmandi quidquam, vel negandi; denique qui ſenſu, & ratione certi quidquam cognoſci poſſe inficiatur, inficiari quoque debet, id fieri poſſe auctoritate divina; nam, ut pro certo haberi poſſit, quidquam a Deo revelatum eſſe, neceſſe eſt, ut pro certo habeatur, Deum exiſtere, eum poſſe hominibus loqui, reipſa loquutum eſſe, recteque intelligi a nobis, quæ loquutus eſt. Satis ex his patet, quam inſanum, & peſtiferum ſit iſtuc hominum genus, qui omnem ſcientiam tollunt, quamque exitioſum reipublicæ, ac religioni, cum fanatiſmum inducat, & fundamenta religionis convellat; idcirco Ant. Genuenſis Append. ad prior. Metaphyſ. Partem L. II. ait: *Si ſibi conſentanei eſſe volunt, conficient, nec Prophetas, nec Apoſtolos olim certos eſſe potuiſſe, Deum ſibi loqui, nec nos hodie eſſe, ſi illi non fuerunt. Nam illi nec ratione, nec ſenſu, nec auctoritate ulla humana niti poterant; quid ergo? an Deum ſibi loqui revelatione Divina cenſebant? revelationem vero auctoritate Divina, & Divinam auctoritatem revelatione? non puto ullum eſſe, qui ſic ineptiat.*

*Concluſio eſt contra Scepticos, qui ita dicti ſunt* απο τȣ σκεπτειν, *quaſi perpetuo conſiderarent, & circumſpicerent, quænam eſſet uſpiam terrarum certa veritas, eam tamen nunquam deprehenderent. Iidem & Zetetici* απο τȣ ζητειν *vocabantur, quod verum ſemper quærerent, nunquam invenirent, & Aporetici a perpetua dubitatione, Ephetici quoque* απο τȣ επεχειν, *quod adſenſum ſemper cohiberent, ſive iudicium ſuſpenderent; denique & Pyrrhonizi*

*a Pyrrho Eleæo, Ariſtoteli æquali, ad quem Scepticiſmi, ſive inſaniæ huius originem referunt; quid enim inſanius, quam ſapientis nomen adfectare, & ſapientiam, quæ nulla eſt ſine cognitione certa, & evidente, proſcribere velle? hoc videlicet eſt, oculatum velle dici propterea, quod nihil videas. Eſt autem Scepticorum genus triplex; quidam univerſales nuncupantur, ſeu effrænes, qui nihil plane certo, evidenterque cognoſci poſſe contendunt: dein alii immoderati, qui ſenſu, ratione, hominum auctoritate vix ac ne vix quidem aliquam certitudinem, & evidentiam, at ſola Dei revelatione eam, quam habemus, comparari poſſe aiunt. Denique alii moderati, qui limites ſenſuum, rationisque humanæ recte expendunt, ac prudenter de rebus dubitare didicerunt; de quo diſſeram capite ſequente; hic enim contra univerſales Scepticos, & immoderatos agitur, quibus velut e regione, aut a fronte opponuntur Stoici quidam, qui dogmata ſua immutabili, ac firmo adſenſu amplectebantur: mediam prope viam tenuerunt Academici, quorum parens Plato, avus Socrates extitit, quibus Speuſippus Platonis e ſorore nepos, dein Xenocrates, tum Polemon, Crates, & Crantor ſucceſſere; hi quidem, teſte Cicerone L. I. Acad. illam Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nulla adfirmatione adhibita conſuetudinem diſſerendi reliquerunt. Ita facta eſt, quod minime Socrates probabat, ars quædam Philoſophiæ, & rerum ordo, & deſcriptio diſciplinæ. Qui dein ſextus a Platone in ſchola Academica ſucceſſit Arceſilas, hanc diſciplinam a Socratis mente alienam denuo ſuſtulit, & ut Tullius ait L. III. de Orat. ex variis Platonis libris, ſermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil eſſe certi, quod aut ſenſibus, aut animo percipi poſſit. Atque hanc in Philoſophia rationem dubitandi de rebus omnibus, nullamque rem aperte iudicandi, quæ a Socrate profecta, & ab Arceſila poſtliminio repetita fuit, Academiam novam adpellarunt, cumque vetus Academia alia certa iudicaſſet, alia incerta; nova e contrario res alias probabiles, ſeu veriſimiles, alias improbabiles cenſuit.*

## §. LXXXVI.

### Refelluntur Sceptici, & Academici.

I. *Evidentia rerum ſæpe adparens duntaxat, & deceptrix eſt; quia multi pro evidentibus ſæpe iactitant ea, quæ pro*

*pro falſis habentur ab aliis : Ergo evidentia rerum in ſe ſpectata non eſt criterium veri , & falſi.* Hoc modo Cicerone teſte, *Academici falſa veris ita finitima eſſe cenſebant, ut minime internoſci poſſint; unde adſenſionis in omni re retentio apud eos invaluit; Sapientis enim hanc maximam vim dicebant , cavere , ne decipiatur , nihilque eſſe disiunctius ab ea cogitatione , quam de ſapientis gravitate habemus , quam errorem , levitatem , temeritatem, quæ in omni opinione, id eſt, in adſenſu rei incertæ ineſt : unde ſic concludebant : ſi ulli rei Sapiens adſentietur unquam, aliquando etiam opinabitur : nunquam autem opinabitur : nulli igitur rei adſentietur.* R. c. a, d. c. evidentia non eſt criterium, niſi medium nobis ſuppetat diſcernendi adparentem & deceptricem evidentiam a vera; c.c. ſiquod ſuppetit tale medium n. c. Eiusmodi medium ſunt & conſcientia propria , & conſenſus optimorum. Siquis conſcius ſibi eſt, ſe ab omni mentis perturbatione & conſcientia liberum conſtanter de re quadam ita iudicare , ut non poſſit omnino ullam erroris formidinem , dubiumve ſerio admittere ; ac ſi novit præterea , idem videri aliis , qui vulgo rei periti cenſentur; tum vero evidentia in ſe ſpectata ſufficit diſcernendis veris a falſis : quamquam quæ obſcuritas, vel incertitudo locum habet in iudiciis , queis ideas diſcernimus , & easdem pro iisdem , diverſas pro diverſis habemus ; A eſt A ; A non eſt B ? *Cur igitur , inquies , viri acuti ſæpe decipiuntur inani ſpecie evidentiæ ?* R. Cur in pluribus caſibus , in quibus evidentiam cernunt , non decipiuntur ? nempe evidentiam in longiore ſerie demonſtrationis ſæpe non ſatis examinant, & ingenio ſuo præfidentes primis cogitationibus aliquando adhærent , nec eas , uti par eſt , ad incudem revocant. Porro etſi examinanda ſit evidentia , tamen ipſa per ſe criterium veri, & falſi dici poteſt, ſicut ſenſus , ratio , auctoritas, etſi ſecundum regulas Logicas examinanda ſint, veritatis criteria adpellantur, propterea quod propter ipſa pro vero quidquam baberi poſſit.

II. *Siqua eſſet ſcientia in homine , ea quemvis ad adſenſum raperet ; non rapit autem ; cum haud exiguus ſit dubitantium Scepticorum numerus.* R. d. M. ad adſenſum raperet eos , qui ſatis diſpoſiti ſunt ad perſpiciendam veritatem , vel eam aperte profitendam. c. M. ſe-

cus n. M. Sceptici animum obfirmarunt ad dubitandum de omni re propoſita, cumque plurima ſint in rebus dubia, obſcuraque, vitio incompletæ inductionis capti generatim concludunt, omnia eſſe dubia, & obſcura, atque ob ea, quæ incerta videntur, & ſæpe ſunt, etiam id, quod certum eſt, vocant in dubium, & infirmare conantur, præſertim ſi lites ſerunt, atque altercationes. Adpoſite Lactantius differit L. IV. de falſa ſapientia c. 6. „ Academici contra Phyſicos ex rebus obſcuris „ argumentati ſunt, nullam eſſe ſcientiam, & exemplis „ paucarum rerum incomprehenſibilium contenti, amplexi ſunt ignorantiam: tanquam ſcientiam totam ſuſtuliſſent, quia in parte ſuſtulerant; Phyſici contra ex iis, „ quæ aperta ſunt, argumentum trahebant, omnia ſciri „ poſſe: contentique perſpicuis retinebant ſcientiam: „ tanquam totam defendiſſent, quia ex parte defenderant. Itaque neque hi clara, neque illi obſcura viderunt; ſed utrique dum ſolam ſcientiam conſertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non viderunt in medio conſtitutam fore, quæ illos ad ſapientiam transmitteret. Verum Arceſilas ignorantiæ Magiſter, cum „ Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam Philoſophiam everteret ( auctore Socrate ) ſuſcepit hanc „ ſententiam, ut adfirmaret, nihil ſciri poſſe. Alii deinceps præiudicio auctoritatis abrepti ſunt teſte Cicerone „ L. IV. Acad. Quis iſta tam aperte, perſpicueque & „ perverſa, & falſa ſequutus eſſet, niſi tanta in Arceſila, „ multo etiam maior in Carneade & copia rerum, & „ dicendi vis fuiſſet. „ Verum quantus quantus ſit Scepticorum numerus, illud recte tenendum puto, quod Auctor artis cogitandi P. IV. de Methodo C. VI. tradidit: „ Credendum non eſt propoſitionem ſua exui „ certitudine, quia a quibusdam negatur; aut pro dubia eſſe habendam, vel ſaltem argumentis eſſe ſtabiliendam, cum quiſpiam inventus ſit, qui illam in „ dubium vocarit: ſi enim ita eſſet, nihil prorſus certi, & evidentis poſſet proferri, cum Philoſophi aliqui ex profeſſo de omnibus generatim dubitarint. De „ certitudine itaque, ac claritate ſtatuendum non eſt ex „ hominum diſputationibus, & rixis; quippe de omni „ re lites præſertim verbales moveri poſſunt, quia nihil tam firmis demonſtrari rationibus poteſt, quod

„ ne-

„ negari itidem non poſſit a vehemente, & obſtinato „ opinatore, qui etiam ea ſibi verbotenus ducet op„ pugnanda, quæ interius habet perſpectiſſima. „ Si Scepticis dubia ſunt omnia, etiam dubium eſt, utrum non delirent, ut parum dicam: nihil igitur attendi merentur; ac ſane miſera eſſet diſciplinarum, artiumque ſors, ſi earundem certitudo ab effrœnato quorundam ingenio, vel potius ab impudentia quorumvis homulorum penderet.

III. *Aiunt: anguſtos eſſe ſenſus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, in profundo veritatem eſſe demerſam, ſummamque rerum obſcuritatem. Hi, qui ita diſſerunt, Acataleptici dicti ſunt, propterea quod omnia ſpectatis anguſtiis humanæ mentis incomprehenſibilia dicerent.* R. Si anguſta eſt terrena habitatio cum ampliſſimis cæli ſpatiis comparata, nullosne propterea habitatores habet? „ Mihi qui„ dem, ait Tullius, omnes iſti videntur nimis etiam „ quædam adfirmare, pluſque confiteri ſe ſcire, quam „ ſciant; quod ſi tum in novis rebus quaſi modo naſcen„ tes hæſitavere, nihilne tot ſæculis ſummis ingeniis, „ maximis ſtudiis explicatum putamus? „ Quid vero de noſtris temporibus dicemus, quibus tanti progreſſus facti ſunt in omni re philoſophica, & mathematica, & univerſo genere diſciplinarum, atque artium? Si quæras, multane, an pauca certo ſciri a nobis poſſint? R. Eſſe has voces relativas; ac multa eſſe comperta hominibus eruditis ſpectata vulgi ignorantia, infantiaque ſuperiorum temporum: eadem eſſe pauca, ſi rerum immenſitatem ſpectes.

IV. *Siqua eſſet ſcientia, ea in Matheſi quæri debet, extra quam nihil certi eſt, & indubitati: ſed neque in hac, quod ignotum eſt, reperiri poſſe, Sextus Empiricus probat hoc modo: ſi illius, quod ignotum dicitur, habetur idea quædam; ignotum non eſt: ſi nulla eius idea habetur, nec quæri, nec reperiri, nec agnoſci poteſt.* R. 1. Etſi Mathematicæ diſciplinæ ob evidentiam ac firmitatem dogmatum κατ' ἐξοχὴν dictæ ſint μαθήματα, ſeu μάθησις tamen immoderati Scepticiſmi genus eſt, certitudinis ac evidentiæ notam aliis diſciplinis generatim detrahere; certa enim, & evidens perceptio habitudinis idearum non modo circa numerorum, & extenſionis ideam,

ideam, verum alias quoque innumerabiles habet locum. Apte de morali diſciplina Lockius L. IV. C. III. de Int. Hum. ait: „Quoniam idea entis ſupremi, bonitatis, „potentiæ, & ſapientiæ infinitæ, cuius opificium nos „ſumus, & a quo perpetuo pendemus: atque noſtri „etiam ipſorum idea, mente nimirum, & ratione præ- „ditorum in nobis clara eſt; nullus dubito, quin eæ „nobis, intento animo eas intuentibus, officiorum fun- „damenta, atque regulas agendi exhiberent, quæ effi- „cerent, ut ſcientia, circa mores quæ verſatur, ex „illarum numero haberetur, quæ demonſtrationes reci- „piant; in quibus certus ſum, quod ex propoſitionibus „per ſe claris, per neceſſarias conſequentias iis non ma- „gis dubias, aut controverſas, quæ in Matheſi reperi- „untur, menſuræ iuſti, & iniuſti iis omnibus demon- „ſtrari poſſint, qui ad unam ex hisce ſcientiis æque, „ac ad alteram attenderint. „ Eodem loco deinceps oſtendit, obeſſe moralibus demonſtrationibus, primo quod earum notiones haud æque, ac geometricæ, & algebraicæ per ſenſibiles notas delineari, ac repræſentari poſſint; dein quod ipſæ notiones in ſe multo magis complicatæ ſint, & æquivocationi, diverſisque relationibus obnoxiæ; quod propterea omnem ſcientiam minime tollit. Sexto Empirico reſpondendum, plerumque ex noto quæri ignotum, ita, ut rebus cognitis earum relatio quædam, vel proprietatibus perſpectis rei natura indagetur, vel ex parte totum, ex toto partes colligantur.

*Laudavi ſupra Lockium de moralibus demonſtrationibus differentem; at quæ is eodem CXVI. §.10. de Traditione habet, ad ſcepticiſmum hiſtoricum ducunt, & probari nullo modo poſſunt. Sic autem inquit: in veritatibus, quas per traditionem accipimus, proximus quisque eas alteri referens, teſtimonii ipſius vim imminuit; & quo plures ſunt ii, per quos ad alios ſucceſſive, & per manus quaſi perferuntur, eo magis fides iſtorum labefactatur. Id quidem univerſe dictum tam falſum eſt, ut nihil magis. Concedo equidem* 1. *Opinio falſa ob id ſolum, quod ſeneſcat, lateque diffundatur, non minus propterea falſa eſt.* 2. *Narrationes ore vulgi, ſolaque fama propagatæ magnopere alterari ſolent. At enim, quod vis, ac pondus cuiusvis teſtimonii tot gradibus imminuatur, quot ſunt veluti ora, ac manus,*

*per*

*per quas transmittitur, & quibus a ſuo fonte magis identidem recedit, id vero falſiſſimum eſt poſitis his conditionibus 1. Si ſinguli teſtes, præſertim viri acuti, ſapientes, ac traditioni conſervandæ intenti æque fide digni ſint, ac priores, a quibus traditio manavit; cur enim ſi eadem manet credendi ratio, ac motivum, non eadem permaneat fidei firmitas? certe ius quoddam, aut nobilitatis titulus eo ſolum ex capite, quod ab origine ſua diſtet longius, haud minus tutus, magisve dubius ſit. 2. Si id, quod traditione propagatur, eorum, qui accepere, intelligentiam, ac memoriam effugere non potuit, neque ita vitiari, ut redintegrari non potuerit; His quidem poſitis conditionibus non modo non infirmior, ſed credibilior redditur vetus traditio, non quod teſtimonia ſolo ſenio, & annorum decurſu firmitatem acquirant, ſed quod multorum animos ſubierint, qui perſpicacitate, iudicio, ac ſollertia conſervandæ traditionis pollebant, & quorum intererat rem examinare, & traditionis primordia, & conſervationem ad veritatis characteres exigere.*

# CAPUT IV.

## *De Diſquiſitione Dialectica.*

*Dialectice paſſim eadem habetur, ac univerſa Logica. At Veteres ea voce plerumque indicabant facultatem de propoſita quæſtione probabiliter differendi, ut diſcuſſis in utramque partem rationibus veritas apertius eluceret; ad eandem referebant Topicen, ſive tractationem de locis argumentorum; ut Cicero ad Trebatium teſtatur. Ego vero Veterum veſtigiis inſiſtens, explicatis iam iis, quæ ad Apodicticen, ſive demonſtrationem pertinent, hoc loco exponam 1. Notiones de Probabilitate. 2. Materiam probabilis tractationis, ſive quibus de rebus Dialectica Diſquiſitio fieri poſſit. 3. Regulas generales Probabilitatis. 4. Denique probabilem adplicationem generalium ratiociniorum, quibus propoſita quæſtio reſolvitur, ut ſupra declaravi C. II. P. II.*

### §. LXXXVII.

*Probabile eſt, quod aliqua inſufficientia habet veritatis indicia, quæ ad adſenſum movere queant; eorum indiciorum complexio, probabilitas eſt ex - vel intrinſeca, uti indicia extrinſeca ſunt, vel intrinſeca.* Fieri poteſt, ac ſæpe fit, ut pro utraque contradictionis parte indicia

quæ-

quædam, & rationes inſufficientes adſint; quocirca pars utraque contradictionis non quidem vera eodem tempore, ſed probabilis eſſe poteſt; rationes partis unius tum poſitivæ, tum negativæ, quæ ad certitudinem deſunt, probabilitatem illius *abſolutam* efficiunt: ſi vero inter rationes utriusque partis inter ſe comparatas utrinque proportio quædam manet quoad vim movendi, habetur probabilitas *comparativa;* Hinc *vere*, *ſtricte*, *& ſolide probabile* quidquam dicitur, quando indicia veritatis tum in ſe ſpectata, tum comparata cum indiciis partis oppoſitæ vim notabilem movendi ad adſenſum, & proportionem quandam retinent; ſecus, cum alterutrum deficit, vocatur *tenuis*; uti ſi pro neutra parte ratio momenti alicuius, quæ vim movendi exerat, præſto ſit. *Improbabile* eſt, quod nulla etiam inſufficientia indicia veritatis, ſed potius falſitatis habet. Ex his colliges

I. *Probabilitas ſuos gradus habet* pro numero, & momento rationum partis unius tum in ſe ſpectatæ, tum relatæ ad rationes partis oppoſitæ: primus gradus unius partis eſt eius poſſibilitas: ſupremus eſt, ſi oppoſitum non niſi tenuiter eſt probabile: æque probabilia ſunt, quæ æquales utrinque rationes habent, quibus par vis movendi ad adſenſum ineſt, ſive quando tot rationes adfirmandi adſunt, quot negandi utrinque æque validæ: maior, & minor probabilitas non tam ex numero, quam pondere, & momento quodam rationum æſtimatur, quibus mentem noſtram inſtar bilancis huc illuc inclinari perſentiſcimus: ac in præponderantia rationum ſæpe parum pro nihilo reputatur.

II. *Quod probabile, id nec evidens eſt, nec certum;* at quando ſuper probabilitate reflectimus, fieri poteſt, ut certum ſit, ac evidens, quidpiam eſſe probabile; quemadmodum igitur datur certitudo quædam falſi, ſic probabilitatis: pariter omne probabile eſt incertum: non tamen, quod incertum, continuo probabile, uti omnis adſenſus propoſitioni probabili præſtitus, eſt opinio, non tamen omnis opinio idcirco probabilis dici poteſt; eſt enim opinio *precaria*, ſi, quod adſeritur, nullo probabili argumento, quod vim movendi ad adſenſum contineat, probari poteſt.

III.

III. *Quod improbabile, non continuo falſum*; nec quod probabilius, ſemper, aut neceſſario verum; ac vulgo dicitur, falſa veris ſæpe probabiliora eſſe.

IV. *Quodcunque probabile, etſi oppoſito probabilius, tamen cum prudenti formidine, ac dubio coniungitur*, quamdiu ad certitudinem non aſcendit, ſed intra limites probabilitatis hæret, quia ob inſufficientiam quandam rationum periculum erroris continet; neque vero, quod probabile eſt, neceſſario adſenſum extorquet, etſi inclinet ad eundem; quapropter talis adſenſus ab imperio voluntatis pendet; id quod experientia comprobat, & antiquiſſimis Philoſophis exploratum videbatur, qui adſenſionem in omni re incerta cohibendam eſſe viro ſapienti præceperunt. Sed, inquies, ſæpe in actionibus noſtris, aut vitæ negotiis probabilia, vel potius probabiliora ſequimur: igitur iis ceu veris adſentimur; R. Adſentimur iisdem, atque in primis adſentiuntur ii, qui quidvis ceu verum temere arripiunt, plurimisque opinionibus mentem ſuam opplent, neque veritatis ſtudio magnopere tenentur, neque incertum a certo, ſpurium a genuino internoſcere aut adſenſum cohibere didicerunt: at nego, probabilibus neceſſario nos adſentiri. Si, quid probabilius ſit, cerno in uſu vitæ, ſequar illud; quid adſenſu opus, ſi eodem prætermiſſo conficiam negotia mea ſecundum probabiliores rationes, atque etiam honeſte & ex virtute agam? largiar. etiam ſtipem egenti, etſi minus probabile ſit, eum vere egere, quam non egere; quid opus, ut eum egere prius iudicem poſitive, aut cur periculum erroris, falſique iudicii ad virtutem exercendam neceſſarium, & ſapientiſſimo Numini levitatem, ac temeritatem iudicandi magnopere placere arbitremur?

*Ariſtoteles probabile vocat id, quod videtur omnibus ſimpliciter, aut plurimis, aut omnibus ſapientibus, vel plurimis, vel aliquibus certe quidem: alia vocat probabilia per ſe, quæ probatione generatim non egent, ſed mox, ut propoſita ſunt, probari ſolent; ut, quod mater filios diligat; alia probabilia per aliud, quæ coniecturis, & ſignis egent, ut, quod Clodius fecerit inſidias Miloni. Hanc ex hominum ſenſu, & iudicio Sapientum pendentem probabilitatem votant Ariſtotelicam; ac fere adſpernantur plu-*

*rimi*,

*rimi, propterea quod virum prudentem potius ratione, quam auctoritate duci debere adfirment; at enim ſicut vulgò homines honeſta laudant aperte, utilia tacite ſequuntur; ita Philoſophi rationem iactitant, & praeſe ferunt, auctoritatem tamen virorum celebrium ſui aevi plerumque tacite amplectuntur, & pro regula philoſophandi habent.*

## §. LXXXVIII.

Materiam diſquiſitionis Dialecticæ Aristoteles prope totam complexus eſt L. I. Topic. C. IX. *Problema, inquiens, Dialecticum eſt quidvis diſquiſitioni propoſitum, ſpectans ad actionem, vel cognitionem aut per ſe, aut quia adiumentum adfert ad aliquid aliud, de quo aut nulla eſt opinio, aut contraria opinio vulgi, ac Sapientum; aut contrariæ opiniones vulgi, aut contrariæ opiniones Sapientum.* Ut igitur apta materia diſceptationis Dialecticæ ſeligatur, ſequentia ſunt adnotanda.

I. Ut quæſtio momentum aliquod contineat vel ad animum cognitione ornandum, vel ad bene, beateque vivendum; talis non eſt diſquiſitio, an Richardus III. Angliæ Rex fuerit gibboſus? Ad huiusmodi quæſtiones, inquit Lockius, vir cordatus haud magis attendit, quam ad atomos in radiis ſolaribus fluctuantes. Similia mihi videntur, quæ de calceis VV. Romanorum operoſe nonnulli diſputant.

II. Quæ omnibus, mox ut propoſita ſunt, vera adparent, ut, quod nix alba ſit, aut quæ a nemine pro veris haberi poſſunt, quod e. g. aſtra ſint numero paria, non ſunt materia problematis Dialectici; Hinc ut Aristoteles inquit loc. cit. text. 9. „ Id problema „ conſiderandum eſt, de quo dubitabit aliquis eorum, „ qui ratione egent, & non pœna, vel ſenſu; nam „ qui dubitant, utrum oporteat deos honorare, & pa- „ rentes diligere, pœna indigent. Qui vero, utrum „ nix ſit alba, ſenſu: neque vero, quorum propinqua „ eſt demonſtratio, neque quorum valde remota: nam „ illa quidem non habent dubitationem, hæc vero ma- „ iorem, quam ut exercitationi Dialecticæ ſerviant.

III. In quibusdam nulla eſt opinio vulgi, uti quod non modo hæc corpora, quæ præ manibus habemus, ſed etiam luna in terram gravitet.

IV.

IV. In aliis contrariæ ſunt vulgi opiniones, & dicta; ut, quæ fama circumferuntur; quæ quidem maxime ſuſpecta ſunt, quia plebs non tam ratione, quam phantaſia, & adfectibus ducitur, & quisque opiniones privatas ſuas, vel ſuſpiciones narrationi miſcet.

V. Aliquando contrariæ ſunt opiniones vulgi, ac ſapientum, ut, de motu terræ, incolis planetarum. Eſt autem & vulgus quoddam literatorum, quod opinionibus ſuis ante tenetur adſtrictum, quam quid eſſet optimum, iudicarit; hi infirmiſſimo tempore ætatis, alicuius, quem audierunt, vel legerunt, auctoris oratione capti, quæ primo hauſerunt, dogmata immutabili adſenſu amplectuntur, atque ex iis deinceps de rebus incognitis iudicant, & ad quamcunque ſunt diſciplinam, vel rationem philoſophandi quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt; atque hi quidem in rerum inveſtigatione non ut Philoſophi, id eſt, ut veritatis, & ſapientiæ amatores verſantur, ſed ut cauſſidici, „ quibus, „ ut Cicero ait L. I. de Inv. omnia torquenda ſunt ad „ commodum ſuæ cauſſæ, contraria, quæ præteriri po„ terunt, prætereundo: quæ adverſarii erunt, leviter „ attingendo: ſua diligenter, & enodate enarrando. „ Ædepol, quot habet Philoſophia iſtiusmodi leguleios, qui patrocinium opinionis, & methodi præconceptæ, non veritatis ſuſcipiunt!

V. *In aliis denique contrariæ ſunt opiniones ſapientum.* Atque hoc caſu ſtudioſe curandum eſt, ut, ſiquis opinioni alicui magis addictum ſe, aut aſſuefactum ſentit, in contrariam partem intendat animum, rationesque adverſantium benigne audiat; nam inſitus cuique eſt ſui, rerumque ſuarum amor, cuius ductu inconſulta de rebus iudicia ferimus. Quapropter præſtat nulli ſe parti, quando de rebus incertis litigatur, atque exceptioni ſapientum obnoxiis, præpropere addicere, ut integra retineatur iudicandi poteſtas; ægre enim, præſertim ſi publicata eſt, retractatur ſententia; „ Sed, ut Wolfius „ ait Phil. Rat. §. 165. vulgo nimis præcipitanter iudi„ cant homines, nec iis exceptis, qui præcipitantiam in „ iudicando vitandam eſſe ſedulo inculcant. „ Cæterum ſi vir ſapiens emigrare ex una domo in aliam poteſt; cur non poſſit ſine dedecore mutare opinionem ſuam,

rationemve philoſophandi? Plato certe beatum adpellat, cui etiam in ſenectute contigit, ut ſapientiam, veraſque opiniones adſequatur.

*Satis ex his quidem intelligitur, quanti momenti ſit ad veritatem perſpiciendam Dialectica, quæ in utramque partem veritatis ſtudio quodam, & adcuratione differere nos docet; medetur enim illa noſtræ ignorantiæ, & erroribus, atque ad ipſam demonſtrationem quodammodo viam ſternit.*

## §. LXXXIX.

In omni materia propoſita nil æque neceſſarium eſt, quam ut quæſtio ante explicetur, figaturque, quam ad eius ſolutionem quis accedat; tollenda igitur eſt omnis æquivocatio, ne in λογομαχιας deſinat diſceptatio. Porro regulæ generales ad hæc capita revocantur.

I. Res ipſa in ſe ſpectetur adcurate; tum, quid cum ea connexum ſit, quamque relationem habeat ad res alias; hoc eſt, ſecundum locos generales inventionis, de quibus proxime agemus, res examinanda, omnique ex parte pertentanda eſt, ut argumenta quam maxime propria rei, eiuſque adiunctis, non modo generalia quædam reperiantur.

II. Quamlibet quæſtionem dubiam referre ſolemus ad ideas, quibus vulgo imbuti ſunt homines; & ut aliquid illi congeriei idearum conforme reperitur, aut difforme, ita idem adfirmamus, aut negamus, probabile cenſemus, aut improbabile; Hinc Lockius L. IV. de Int. Hum. C. XVI. §. 6. ait: „ Primus, & altiſſimus „ gradus probabilitatis eſt, ubi omnium conſenſus omni „ ætate, quantum iſte ſciri poteſt, iis reſpondens, quæ „ in conſimili caſu a nobis obſervata ſunt, rei iſtius „ veritatem firmat - - Huiusmodi ſunt certæ temperationes, & proprietates corporum, atque effectus „ iſti, qui ex cauſſis naturalibus in dies producuntur. „ Hoc argumentum dicimus ſumtum ex rerum ipſarum „ natura. Quod enim ſemper eodem modo evenire „ noſtra, & aliorum conſtans obſervatio invenit, id ex „ cauſſa regulari, & conſtante manare, etiamſi nobis „ incognita, quidni ſtatuamus? cum dicimus, ignem homines calefacere, plumbum liquefacere - - has, ali-

„ as-

„ asque huiusmodi propoſitiones particulares, quoniam „ iis reſpondent, quæ ipſimet experimur, atque eodem „ modo evenire conſtanter deprehenduntur, pro veris „ ſemper amplexamur. Hæc, quæ probabilia tantum „ ſunt, ad cognitionem certam prope adeo accedunt, „ ut nos ad adſentiendum iis non minus alliciant, quam „ ſi clare demonſtrata eſſent, & quæ hinc naſcitur opi- „ nio, a ſcientia parum diſtat.

III. Quisque in primis propoſita quæſtione dubia ſuas ideas, quas experientia, ac ſtudio hauſit, conſulit, citiusque amplectitur, aut firmius ea, quæ ideis ſuis congruunt; atque ob hanc cauſſam cum admodum variæ ſint, & diſcrepantes hominum ideæ, quæ ultra naturalem ſenſuum, ac vitæ uſum præterea ſingularem experientiam, ſtudiumve poſcunt, tam varia, quoque ſunt, & diſcrepantia de eadem re hominum iudicia; ob eandem rationem, qui provectiore ſunt ætate, eiusque progreſſum, & experientiam adhibuerunt, ut par eſt, ad acuendam iudicandi prudentiam, multo adcuratius de probabilitate rerum iudicare ſolent; idcirco maxime auctoritatibus utimur virorum prudentum, ac peritorum in arte: dein inductionem caſuum ſimilium, vel contrariorum, exempla quoque, quæque alia ab experientia oriuntur, commemoramus.

IV. De contingentibus, hoc eſt, iis, in quibus nulla eſt conſtans, & neceſſaria determinatio ad certum eventum, ut in iactu alearum, hæc ſtatuitur regula: contingentia non procedunt æqualiter, neque ex præterito eventu de futuro coniectura fieri poteſt; cum aleæ ex ſe æqualiter comparatæ ſint ad hunc, illumve numerum, & reipſa modo hic, modo alius obtineatur; non valet conſequentia: hoc contigit: ergo iterum continget; vel, ergo alio tempore aliud continget; Siquid igitur æque diſpoſitum eſt ad plures eventus varios, erit probabilitas pro uno eventu obtinendo ad probabilitatem pro eo non obtinendo, uti unitas ad numerum eventuum, vel caſuum reliquorum poſſibilium; creſcit tamen pro certo eventu probabilitas, quo ſæpius diſpoſitiones ad illum potius, quam alium redeunt.

*Siquis data occaſione ad contumelias, blaſphemias, &*

*mendacia æque propenſus ſit; cum occaſio, ac diſpoſitio ad mendacia, & contumelias ſæpius redeat, quam ad blaſphemias; probabilius eſt, ſæpius illum mendacia, & contumelias dicturum, quam blaſphemias. In binis aleis omnino æqualibus maior eſt probabilitas pro numeris 6, 7, 8; quam pro numeris 4, 5, 9, 10; maior pro his, quam pro numeris 2, 3, 11, 12. quia pro primis tres ſunt poſſibiles diſpoſitiones; pro alteris duæ, pro tertiis una duntaxat. Hinc minime probabile eſt, ut omnes homines in eundem errorem caſu conſpireut (§. LXXIX.) Eorum vero, quæ conſtantia ſunt, uniformia, ac communia, conſtantem pariter, aut communem cauſſam indagamus, ut, ſi morbus ſimilis eodem tempore plures corripiat in civitate. Idem facimus in ætatum, & nationum variis adfectionibus, & propenſionibus morum. Sunt, qui menſuram probabilitatis per fractiones potiſſimum decimales exprimunt, quarum denominator iuſtum numerum caſuum aſſumtorum, numerator vero numerum certorum eventuum exprimit; ut, ſi decem aſſumtis caſibus obſervatum ſit, ſepties vim electricam tempore æſtivo ante languiſſe, quam tempeſtas oborta ſit; erit probabilitas ſequuturæ tempeſtatis in ſimili caſu languentis vis electricæ ut* $\frac{7}{10}$. *Aiunt: ſumma probabilitas eſt,* $\frac{9}{10}$: *dein per gradus* $\frac{8}{10}$, $\frac{7}{10}$, $\frac{6}{10}$, *decreſcit; fractio* $\frac{5}{10}$ *exprimit probabilitatem æqualem, vel dubium poſitivum; fractiones vero* $\frac{4}{10}$, $\frac{3}{10}$, $\frac{2}{10}$, $\frac{1}{10}$, *minorem, ac tenuem probabilitatem repræſentant. Si in ludo aleæ* 18 *ſint caſus poſſibiles, in quibus nihil accipias;* 10 *caſus, in quibus monetam argenteam, &* 8 *caſus, in quibus auream obtineas; erit numerus caſuum* $= 36$; *& metus nihili* $= \frac{18}{36}$; *ſpes argenteæ monetæ* $= \frac{10}{36}$, *denique ſpes aureæ* $= \frac{8}{36}$ *Fac ex* 40000 *militibus* 8000 *cecidiſſe in acie; quantus ergo eſt metus, Petrum, qui in numero militum erat, occubuiſſe? R. Cæteris paribus is metus eſt* $= \frac{8000}{40000} = \frac{1}{5}$. *Quid? ſi ante ſciatur, ex hominum millione, qui in civitate ſunt, unum periturum fulmine, eſſet in ſingulis metus amittendæ vitæ ad ſpem retinendæ, ut unitas ad millionem; videtur hic quidem metus imprudens; credo, multos nihilominus in magno metu futuros, non tam ob magnitudinem periculi, quam boni amittendi, nempe vitæ, quæ hominibus cariſſima eſt.*

§. XC.

## §. XC.

Ex ſenſu, ratione, auctoritate, haudquaquam certa ſemper veritas colligi poteſt; idcirco ſingilatim agendum eſt de probabilitate Phyſica, quæ maxime ex obſervatione ſenſuum pendet, ac de probabilitate hiſtorica, & hermeneutica, ſeu de probabilitate interpretationis. Utrinque ratio potiſſimum iudicem agit, disquirendo firmitatem principiorum, & evidentiam connexionis inter principia, & concluſiones; ac ſi in ratiocinio polyſyllogiſtico, aut ſerie plurium demonſtrationum vel unum principium continetur, quod mere probabile eſt, nec certitudinem attingit; pariter concluſio intra limites probabilitatis conſiſtet. Idem fit, ſiquid cum principiis quantumvis certis & evidentibus non certo, aut evidenter cohæret, vel cum iis connectitur, ut adeo quævis concluſio hoc quoque ſenſu debiliorem partem ſequatur, & mere probabilis ſit, ſi vel una præmiſſa, ex qua pendet, ultra probabilitatem non adſurgat.

*Fac, certum eſſe, Bertam eſſe matrem Caii: at generatim certum non eſt, omnem matrem vere diligere filium: igitur iſtuc nec de Berta certo adfirmari poteſt. At ſit principium certum, homicidam iniuſtum morte poſſe adfici: at ſi certum haud eſt, Caium extitiſſe homicidam, nec certo concludi poteſt, eundem morte poſſe adfici.*

## §. XCI.

*Probabilitas Phyſica eſt, quæ circa cognitionem naturæ, & cauſſas naturalium eventuum verſatur, eaque nititur Inductione, Analogia, & legibus Hypotheſium.* Ac ſi inductione utimur, ſinguli caſus particulares totidem indicia ſunt veritatis pro concluſione generali; ut ergo ſpectatis adiunctis magis, minusve completa eſt inductio (LXIV.) ita creſcet, vel decreſcet probabilitas, aut denique ad certitudinem, atque evidentiam perveniet. *Analogia, vel potius argumentum ab analogia habetur, quando a ſimilitudine rerum patente ad ſimilitudinem latentem concluditur*, ut, ſiquis ex ſimilitudine planetarum cum tellure noſtra eos habitari ab incolis perinde, ut tellurem noſtram conficeret. Porro

 quia

quia ſat aperta analogia ſæpe non deprehenditur: inductio quoque phœnomenorum non raro admodum incompleta eſt, neque ad generalem cauſſam determinandam ſufficiens; idcirco hypotheſes in ſubſidium vocantur; *Eſt autem hypotheſis ſumptio eius, quod revera eſſe demonſtrari non poteſt, tanquam eſſet, quoniam per id ratio reddi poteſt phœnomenorum, quæ revera obſervantur;* ut ii, qui motum terræ pro demonſtrato non habent, eundem tamen ſumunt, ac ſi daretur revera, ut eo ſumto phœnomena motus planetarum facilius explicent. Ex hac notione hypotheſis, eius leges colliguntur: 1. Ut libera ſit a contradictione, nec certo phænomeno repugnet. 2. Ut præcipuis, ac ſtatis, & regularibus effectis explicandis ſerviat; creſcitque probabilitas de veritate eiusdem creſcente numero caſuum, & effectuum cum ea conſentientium. 3. Ex hypotheſi legitimo ratiocinio deducatur, quidquid cum ea cohæret neceſſario; ac ſi conſequutiones deductæ cum rei veritate, & phœnomenis conſpirent, ea confirmabitur; ſecus reiicienda eſt, aut corrigenda; nam, aliquando hypotheſi adſumtæ alia nova additur, quam ſubſidiariam vocant, ut denique conſenſus eiusdem cum phœnomenis obtineatur. Atque hæc, uti obſcura ſunt in aditu ad Philoſophiam, ita plurimum clareſcent in Phyſica; ſatis eſt, datas notiones in præſenti expendiſſe.

*Carteſius pluribus locis, ac dein Boſcovichius inveſtigationem naturæ comparant cum enucleatione epiſtolæ ſecretis notis conſcriptæ, in qua coniectando primum, & plures poſitiones inter ſe conferendo, ad vocularum quarundam expoſitionem devenitur, tum illas ipſas poſitiones iam retinendo pro reliquis, iam corrigendo, paulatim poſt frequentiſſimos errores devenitur tandem ad clavim aliquam generalem, quæ idoneum aliquem ſenſum aperiat; quo ubi deventum ſit, clavis illa habetur pro vera, niſi quid in contrarium occurrat; ſic idem etiam in naturæ inveſtigatione ſit, ita, ut a probabilitate paulatim ad certitudinem veniatur, uti idem contingit in epiſtola enucleanda; nam unico invento ſenſu ſatis idoneo, potiſſimum ſi longiſſima epiſtola ſit, & ſi aliis coniecturis, ac negotiis iis, quæ pertractantur, reſpondeat, clavis inventa firmiſſimo adſenſu habetur pro vera.*

§. XCII.

## §. XCII.

Probabilitas hiſtorica late patet, & plures quæſtiones complectitur, uti 1. An extet reipſa teſtimonium Dei, vel hominum? 2. Quis ſit verus teſtimonii ſenſus? 3. An teſtimonium, quod ſit a mente limitata, & errori obnoxia, pro vero haberi poſſit, vel debeat? Maxima iudicandi difficultas eſt, quando res inſolentes, & communibus ideis repugnantes narrantur, aut cum verba teſtium inter ſe pugnant; idcirco ad probabilitatem hiſtoricam pertinet & hermeneutica, qua docemur ſenſum determinare, qui cum verbis Auctorum iungendus eſt; ac regulas quidem interpretandi ſacros Codices, quæ maximi momenti ſunt, ad ſublimius forum remitto. Hic generatim notandum;

I. Qui mentem Auctoris adſequi cupit, linguam, eiusque indolem, propenſiones, patriam, ſectam, fortunam &c. noſcere ſtudeat.

II. Ex notionibus, quas hac ætate cum verbis nectimus, de mente auctorum veterum generatim iudicium ferri nequit; ſignificatus enim plurium vocum, perinde, uti vivendi, ac veſtiendi ratio, mutationi ſubiacet; neque vero Auctor, etſi iisdem verbis utatur, quibus nos utimur, easdem etiam ideas ſemper adfixit, quod vel inconſtantia humanarum rerum, vel imperitia, non raro malitia contingit; *libertas*, *gratia*, *anima &c.* voces ſunt, quæ ex omnium auctorum ore, ac calamo profluunt; at ſæpe diſpari ſenſu; quapropter ad ea, quæ antecedunt, vel ſequuntur in hominum ſcriptis, aut ſermonibus, reſpiciendum eſt, neque extra contextum, ut vocant, truncata verba ſpectanda ſunt. Denique loca parallela diligenter conferre opus eſt; ſæpe enim, quod uno loco obſcurius, & velut incidenter, alio explicate, atque ex inſtituto, & dedita opera traditur.

# CAPUT V.

## *De Sophiſtica cavillatione, aliisque Errorum cauſſis.*

*Quæ Græci* Σοφισματα *nuncuparunt, Seneca, & Cicero cavillationes dixerant; & Boethius de Topicis ſcribens, poſt Apodicticen, ſeu demonſtrationem, quæ de neceſſariis, & Dialecticen, quæ de probabilibus agit, tertiam Logices partem eſſe cavillatoriam,*

*toriam, & ſophiſticam perhibet. Sophiſtarum nomen, quod in honore primum fuit, & a ſapientia ductum eſt, quorundam hominum vitio, qui alios irretire vitioſis captionibus ſolebant, in deteriorem partem Iam Ariſtotelis tempore detortum fuit, qui propterea binos conſcripſit de ſophiſticis elenchis, ſive redargutionibus libros, in quibus eorum fraudes, fallaciasque detexit; cum enim, inquit, ii homines ex Sapientis nomine gloriam, & lucrum aucupentur, faciliusque fit, videri, quam eſſe ſapientem; nihil non agunt, ut non modo ſapientes adpareant, ſed alios etiam vincere videantur; hinc & verum ſæpe opprimunt fallacibus conctuſiunculis, multaque falſa captioſe ſpargunt. Unde hanc de ſophiſtica doctrinam non modo utilem, ſed homini veritatis ſtudioſo neceſſariam putat; quia ad ſcientiam pertinet, nequis perturbari in propugnando vero, ac de veritatis poſſeſſione deici ſe patiatur. Porro Sophiſtarum argumentationes vel in materia peccant, quæ adparet vera eſſe, reipſa non eſt; vel in forma; itemque vel in dictione, & extra dictionem: multas alias fallacias, quæ in dictione fiunt, ipſo decurſu Logices indicavimus; quia eædem regulæ & quid rectum ſit, & quid pravum, oſtendunt; unde Veteres dicebant: rectum eſt regula ſui, & obliqui. Cætera deinceps perſequemur.*

## §. XCIII.

Ad fallacias extra dictionem refertur:

I. *Fallacia Accidentis*, quando de re enunciatur quidquam velut per ſe, & vi notionis ſubiecti eidem conveniens, quod ei non niſi per accidens, & ob certa adiuncta competit; uti, ſiquem longiori a me intervallo diſtantem ab aliis hominibus non internoſcam, nec ei honoris indicia præbeam, is concluderet, illum me noſcere, ac venerari haud velle; aut ſiquis medicus accidens quoddam, ut adpellant, ægroto ſuperveniens pro vero morbi effectu haberet. Late dominatur hoc vitium; nam artes, diſciplinas, methodum quoque interpretandi diſciplinas criminantur multi ceu vitioſam per ſeſe, cum omne vitium ex abuſu artium, ac methodi profluat. Non tantum artibus, ſed etiam divitiis, ſanitate, robore &c. bene, vel male uti poſſumus; nec, ſi male utimur, propterea res in ſe mala eſt. Plato in L. de Rep. Poetas, ut morum corruptores a civitate repellit, atque acerrime in eos invehitur; in Sympoſio eoſdem laudibus in cælum fert, & prudentiæ, ac virtutum genitores adpellat. Sed totum id ex recto uſu pendet. Quid ferro utilius? idem tamen in manu furioſi admodum timendum eſt.

II.

II. *Ignoratio Elenchi*, ſive eius, quod in adverſario reprehendendum, aut oppugnandum eſt. Neceſſe eſt, ut leges contradicendi perſpectæ ſint; qui enim defendit quid, & qui oppugnat, ſibi contradicunt. Fere antem eo delabuntur oppugnantes, ubi maiorem habent differendi copiam; qua re ſæpe inſcitiam produnt, qui nihil in promtu habent, quod ad rem magnopere pertineat. Sic audias in tota Phyſica de minimis punctulis, de elementis materiæ, de natura virium &c. altercantes. Reſpondentis eſt, ut intra limites propoſitæ quæſtionis tales adverſarios coerceat, vel evagantes retrahat, uti Ariſtotelis ævo fuit in uſu, ut reſpondens ſæpe diceret: *aliquid ad id, quod primo fuit in quæſtione*.

III. *Petitio Principii*, ſiquis redit ad id, quod probandum erit, & idem per idem, vel aliud æque ignotum confirmat, vel ſine probatione concedi ſibi petit, ex quo id, quod probandum eſt, neceſſario ſequitur, aut ſiquis particularem propoſitionem demonſtraturus univerſalem, in qua eadem continetur, ſibi concedi vult. Siqua de re multa verba profunduntur, ſæpe quod probandum erat, ceu probatum ſumitur, & concluſio infertur nullo explicato vero argumento, quocum connecteretur; teſte Ariſtotele in L. Rhet. accuſatores crimine minime probato ſæpe invehebantur in reum, quaſi liquidum eſſet crimen, ſatisque confirmatum.

IV. *Fallacia non cauſſæ pro cauſſa* frequenter in uſu vitæ contingit, dum falſæ actionum cauſſæ hominibus adfinguntur, quarum illis ne quidem in mentem venit. Nonnulli Philoſophi quoque quamvis potius phænomenorum naturæ cauſſam comminiſci malunt, quam fateri ignorantiam. In qua hæreſi non modo VV. Peripatetici fuerunt, qui occultas qualitates, ſympathias, antipathias, antiperiſtaſes nullo ſenſu, nulla notione nominabant, verum etiam contemtores Peripateticorum Carteſiani, qui diverſiſſimas materias, motusque pro libidine confictos potius intruſerunt in mundum, quam ut quidquam neſcire ſe faterentur. Ex cæteris Philoſophis nonne optimus, & graviſſimus quisque confitetur, multa ſe ignorare, & multa ſibi etiam, atque etiam eſſe diſcenda. Vitium iſtuc in hac argumentandi forma, qua multi & ſe decipiunt, & alios, continetur: *hæc res eſt poſt hoc, vel cum hoc: ergo propter hoc* e. g. quo tem-

pore cometa fulſit, peſtis ſæviit, aut vir magnus obiit: igitur cometa eſt cauſſa, vel ſignum peſtis, mortisve; eodemque vitio, teſte Ariſtotele L. II. Rhet. C. XXV. Demades quidam contra Demoſthenem agens eius adminiſtrationem reipublicæ cauſſam fuiſſe adfirmavit omnium malorum: quia *poſt illam* bellum incidit.

V. *Fallacia plurium interrogationum* fit, ſiquis propoſita quæſtione, quæ reſolutione, adcurataque diſtinctione eget, præciſe, paucisque verbis reſponderi ſibi poſtulat; ut, an patri obtemperandum, an ſapientibus? an oportet utilia agere, an iuſta? magisne eligendum pati iniuriam, an facere? Qui in errorem inducere alios conantur aut verbo capere, multa ſæpe, ac diverſa ſciſcitantur, ut diſtracta attentione proferatur quidquam, quo imprudentem teneant.

## §. XCIV.

Sunt aliæ præterea Sophiſtarum artes, queis incommodo quodam adficere ſuos adverſarios conantur.

I. Sæpe vociferantur: hoc eſt *incredibile, imperceptibile, & ab omni ſpecie veri longiſſime abhorrens.* Nulla eſt philoſophantium ſecta, quæ non adferat quædam incredibilia, & quæ vulgo ab hominibus imperitis imaginatione duntaxat, craſſisque ſenſibus utentibus non reiiciantur; in vitæ quoque uſu multa cernimus vera, quæ ante, quam evenere, non viderentur veriſimilia, recteque dixit Agatho quidam, ut eſt apud Ariſtotelem L. II. Rhet. *Credibile hoc aliquis non immerito dixerit, multa hominibus evenire non credibilia.* Mitigatur iſta incredibilitas ſimilitudine præcipue rerum aliarum, quas pro veris habemus, etſi videantur abhorrere a veri ſpecie; quemadmodum Androcles Pittheus, cum in lege quadam accuſanda dixiſſet: egent leges lege, quæ ipſas corrigat; eique populus obſtreperet: quippe, inquit, & piſces egent ſale: quod tamen veriſimile non eſt, neque credibile, cum in ſalſo alantur, ſale egere.

II. Sunt quidam argumentandi modi, quibus aliorum adſenſum extorquere, vel adverſantium ora obſtruere

ere non veritatis ſtudio, ſed odio potius, aut invidia conantur; tale eſt, ut Lockius obſervat, *argumentum ad verecundiam*, cum acervatim congeruntur opiniones aliorum, qui propter ingenium, eruditionem, dignitatem, magnam auctoritatem, atque exiſtimationem obtinent; quibus refragari inverecundum videtur; *argumentum ab ignorantia*, quando ab adverſario quis contendit, ut vel argumentis cedat, vel meliora adſerat; ſic culpanti verſus ſuos poeta dixit: Sed tu non meliora facis; quaſi quodvis opus laudare cogar propterea, quod ego quidem nec ſimile, nec melius queam efficere. *Argumentum ad hominem*, ſive κατ' ἄνθρωπον. Siquis dicta ſua ex ipſis principiis adverſarii, atque ex iis, quæ ab eodem conceſſa ſunt, probet; ex quo tamen haud legitime conficitur, eadem pro veris habenda eſſe, quia uterque fortaſſis errat.

III. Sæpe ex adverſa opinione variæ conſequutiones deduci, eæque adverſario, ceu easdem revera probaret, ac tueretur, imputari ſolent, non tam refutandi, quam calumniandi, odiumque ac invidiam concitandi cauſſa. Qui hac methodo refellendi utuntur, *Conſequentiarii* dici ſolent, inviſum hominum genus, nec ſui honoris, nec veritatis, nec caritatis, quam alter alteri debemus, ſtudioſum.

*Argumentationes ex generalibus eiusmodi fontibus, non ex propriis artium principiis derivatas vocant litigioſas: quæ duntaxat victoriæ cauſſa urgentur, contentioſas: quæ ad ſapientiæ famam conciliandam proferuntur, Sophiſticas; quæ exercitationis gratia, atque ut periculum de alterius doctrina fiat, tentativas; quæ ad probabilem veri diſquiſitionem diriguntur, Dialecticas, quæ pro fine ſcientiam habent, id eſt, cognitionem certam, atque evidentem, Apodicticas, vel demonſtrativas, quæ denique pro demonſtratione falſum obtrudunt ob fallacem adplicationem propriorum principiorum artis, de qua agitur, Pſeudographas, ſive paralogiſmos. Sapienter Ariſtoteles monet L. VIII. Topic. c. ult. non eſſe cum quovis diſputandum, quia ad altercationes neceſſario delabitur oratio cum Sophiſtis habita. Eorum potiſſimum culpa contigit, ut diſputandi exercitatio, quæ*

*ma-*

*maximi momenti eſt ad proferendam veritatem, atque acuenda diſcentium ingenia, in contemtum, atque odium adducta ſit; nemo autem vir ſapiens diſputationes culparit ſeu publicas, ſeu privatas, quæ apto fine, & ſecundum leges præſcriptas fiunt: leges autem non modo Dialectica, ſed etiam Ethica præſcribit, ut, cum ſeveritatem, gravitatemque induimus, humanitatem exuiſſe ne videamur, utque ipſam concertationem non pro exercitatione laterum, ac pulmonum, pedum quoque, ac manuum, ſed ingenii habeamus: fit autem nunc opponentis, nunc reſpondentis vitio, ut diſputandi uſus fine ſuo excidat; aliquando etiam præſidis falſa opinione, quando ſe iudicis officio fungi, qui ex cathedra, vel tripode loqui debet, mente concepit. Maxime autem æquum mihi videtur, ut iis in rebus, de quarum certa veritate nobis conſtare haud poteſt, pacem & concordiam tueamur, atque in ea, qua ſumus, ſententiarum disiunctione, animo, atque amicitia coniuncti maneamus; ſiquem errore implicatum novimus, quam maxime fieri poteſt, mollibus præceptis medeamur, nec ira ſtatim in eos excandeſcamus, aut eorum inflexibilem inſectemur obſtinationem, quod nolint ſuas repudiare, & in noſtras venire ſententias, cum fortaſſis noſtra haud minus culpanda ſit pervicacia, quod idem cum ipſis ſentire nolimus.*

## §. XCV.

*Præiudicium* Quintilianus L. V. Inſt. c. 2. vocat *antecedens iudicium*, antequam res, vel cauſſa ordine, ac ratione ſatis examinetur; uti vero ope ſenſuum, rationis, auctoritatis de rebus iudicamus; ita ſi temere, ac præcipitanter iis facultatibus, ac inſtrumentis utimur, ſæpe iudicamus prave, falſoque, ut adeo quot veritatis criteria, totidem errorum occaſiones nobis ſuppeditent. Eorum cauſſa generalis eſt præcipitantia, ex qua dein exiſtunt

I. *Præiudicia ſenſuum*, cum quidvis, ut ſenſibus adparet, ita conſtitutum opinamur, quæque ſenſibus non adparent omnino, aut ſenſibilem rationem habent ad res ſenſibus ſubiectas, ea non eſſe penitus inferimus. Senſus ad vitæ uſum, ac neceſſitatem dati ſunt nobis, non ut rerum iudices eſſent. Eodem pertinent præiudicia infantiæ; cum enim mens noſtra omnium idearum, ac cognitionum expers, rerumque ignara corpus ingrediatur,

diatur, atque in tenera illa ætate duntaxat ſenſui, atque imaginationi adhæreſcat; fit, ut infantes, quidquid ſenſu percipiunt, vel imaginantur, ceu verum iudicent, antequam ratiocinio locum dare poſſint; eiusmodi opiniones nobiſcum adoleſcunt, roborantur, ac ſæpe ſeneſcunt.

II. *Præiudicium nimiæ confidentiæ*, quando perſpicacia, & vi rationis noſtræ nixi cito, ac facile ab inquirendi labore deſiſtimus, nosque deprehendiſſe verum, & ad metam perveniſſe nobis perſuademus; ac tum quidem Herculis labore opus eſt, ut eiusmodi opinationes ex animis noſtris, ceu feræ, & immanes belluæ extrahantur; cum enim homines argumenta, ac rationes, ob quas amplexi ſunt opinionem quandam, non ſemper actu intueantur, ſimulque ſibi perſuadeant, a ſe omnia alio tempore circumſpecta, perſpectaque eſſe; ægerrime a præconcepto adſenſu dimoventur; in primis quædam principia, quæ hauſerunt, eo usque illorum iudicia regunt, ut ex iis veritatem rerum, & veriſimilitudinem metiantur, ſtatimque ceu falſum reiiciant, quod cum illis haud congruit. Cavendum igitur, ne quid temere in principiorum numerum cooptemus.

III. *Præiudicia auctoritatis*; ut ſiquis aſſertiones generales ſcientiarum non niſi ob teſtimonium aliorum, aut viri inſignis auctoritatem pro veris habet. Ad hunc locum pertinent *præiudicia nationum*, quæ tum in ſcientiis, tum in vitæ, morumque cultu late dominantur, ita, ut non modo verum, ac falſum, ſed etiam decorum, ac indecorum magnam partem ex iis pendeat; dein *præiudicia ſectarum*, ob quæ tot lites, tantaque bella inter Peripateticos, Atomiſtas, Scotiſtas, Thomiſtas, Carteſianos &c. extitiſſe comperimus. De Epicureis ait Tullius L. II. de Nat. Deor. „ Vobis Epicureis minus „ notum eſt, quemadmodum quidque dicatur: veſtra „ enim ſolum legitis: veſtra amatis: cæteros cauſſa in„ cognita condemnatis. „ Sine dubio primum in hac claſſe locum tenent, qui in verba Magiſtri iurant. *Denique præiudicia antiquitatis, ac novitatis;* ſunt enim, qui omnia nova adſpernantur, ceu fungos heri natos: ſunt etiam, qui mirifice faſtidiunt, quidquid antiquitatem olet; atque hi ob quosdam errores, quos in Veterum ſcriptis deprehendunt, vel ab aliis deprehenſos audiunt, quosque rudioribus ſeculis, ceu tributum pendere debuit humama-

mana imbecillitas, nihil ſani in iisdem reperiri poſſe arbitrantur. De præiudiciis antiquitatis eleganter diſſerit Horatius L. II. Epiſt. I.

IV. *Præiudicia rationis corruptæ a voluntate.* Peſſima iudiciorum peſtis, plurimorumque errorum ſcaturigo in animi motibus, ſeu adfectibus eſt, quos Plato *nebulas nocentiſſimas* vocat, quia rationis lumini officiunt. In eandem ſententiam Tullius L. II. de Orat. ait: „ Plu„ ra multo homines iudicant odio, aut amore, aut cu„ piditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut „ ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione „ mentis, quam veritate, aut præſcripto, aut iuris nor„ ma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus. „

*Qui veritati ſtudioſe inhiat, ipſo progreſſu ſtudiorum, vitæque, errorum cauſſas perſpiciet, quos hoc loco breviter indicavimus.*

## §. XCVI.

### SCHOLION GENERALE.

Quod iter longum, atque arduum facientibus ſollemne eſt, ut confecta maiori parte quadam aliquanto tempore conſiſtant, & remiſſa contentione velut per otium de ſitu, & indole regionis, quam adhuc peragrarunt, de conditione viarum, de rebus a ſe viſis, ac notatu dignis diſſerant, factaque veſtigia relegant animo, & memoria repetant; idem in tractatione ſcientiarum, progreſſuque ad doctrinam comparandam faciendum arbitror, ut confecta parte quadam res ſingulæ & univerſæ, quæ pertractatæ ſunt, animo recolantur, factaque comparatione earundem, cognito obiecto, perſpecto fine, rerumque ſerie examinata, magis diſtincta totius tractationis idea animo informetur. Eſt hæc naturalis, atque unica via, qua veras rerum cognitiones adipiſcimur, ut a ſingularibus ducto initio, factoque partium examine, *totum* id, quod propoſitum nobis eſt, pervideamus, ac iudicio ferendo pares ſimus; Enimvero nova cognitio, non tam in eo ſita eſt, ut Cel. Mac-Laurinus obſervat, quod mens ad rem antehac ignoratam inveſtigando perveniat, quam quod eam cum aliis probe ante perſpectis contendendo, pervideat, quæ mutua earum ſit ratio, quis nexus, quid cum aliis commu-

mune, quid diverſum ab iis habeat. Quapropter maxime optandum eſt, ut Scientiarum Tirones, poſteaquam progreſſi aliquantum ſunt in pulcherrimis artibus perdiſcendis, diligenter in memoriam ante revocent, quid perceptum a ſe, animoque infixum ſit, quam ad res novas identidem hauriendas, novosque pervolvendos libros celeriter proruant; Ac de lectione quidem multorum librorum, quando prima diſciplinarum principia arripienda ſunt, vere non minus, quam acute Seneca ait: *Lectio multorum voluminum, & omnis generis Auctorum habet aliquid vagum, & inſtabile: certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat; nusquam eſt, qui ubique eſt; faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ, ubi varia ſunt, inquinant, non alunt.* De Logica cum agatur in præſenti, in ea ſemper opinione fui, multo plus commodi ex mediocri quoque Scriptore diſcentes habituros, ſi eundem recte adſequuti ſint, eiusque præcepta animo imbiberint penitus, quam ſi longas variasque tractationes percurrant; cum in maximis temporum anguſtiis ipſa multitudo, & varietas rerum potius turbet animos, quam acuat, aut iuvet. Non adeo hebes eſt aut infœcunda mens Adoleſcentum, ut ex principiis ſcientiarum clare expoſitis, etſi pauca ſint numero, nullas ipſi conſequutiones deducant, nihilque ex præclaro ſemine fructus referant, quemadmodum opinari videntur, qui minutatim quidvis, multisque verbis diducunt, & repetunt, & inculcant. Præcipuum illud eſt, ut iam inde a primo aditu ad graviores diſciplinas vim, & facultatem cogitandi, iudicandique exerere, non ſolam exercere memoriam iubeantur; cui quidem rei nil conducibilius excogitari poſſe arbitror, quam adcuratum Elementorum Matheſeos, ac Geometriæ in primis ſtudium, non quod in ea hæreſi ſim, regulas Logicas a Geometria abſtrahendas eſſe ( cuius opinionis falſitas luculente patet ex iis, quæ de diſcrimine ſubſtantiarum, modorumque abſtractorum expoſuimus locis pluribus ) ſed quod ea res vagam attentionem figat, certitudinis atque evidentiæ ſenſum quendam ingerat, recti ordinis regulas patefaciat, animumque addat ad inveſtigationem naturæ, & Philoſophiam Naturalem adgrediendam; cuius diſciplinæ in excolenda mente, atque ad

alias

alias ſcientias, aut negotia vitæ præparanda multo maius momentum eſt, ac vulgo perſuaderi hominibus poteſt. De qua re etſi diſputari permulta poſſint; tamen quia non eſt iſte adcommodatus locus, id modo addam. Expendenti ea, quæ de ortu, progreſſuque cognitionis humanæ dicta a nobis ſunt in Logica, veriſſima videantur, & ſapientiæ plena verba neceſſe eſt Baconi de Verulamio in Nov. Org. Aphoriſmo LXXX. *Nemo expectet magnum progreſſum in ſcientiis - - niſi Philoſophia Naturalis ad ſcientias particulares producta fuerit, & ſcientiæ particulares rurſus ad Naturalem Philoſophiam reductæ. Hinc enim fit, ut Aſtronomia, Optica, Muſica, plurimæ artes Mechanicæ, atque ipſa Medicina, atque (quod quis magis miretur) Philoſophia Moralis, & Civilis, & ſcientiæ Logicæ nil fere habeant altitudinis in profundo; ſed per ſuperficiem, & varietatem rerum tantum labantur: quia poſtquam particulares iſtæ ſcientiæ diſpertitæ, & conſtitutæ fuerint, a Philoſophia Naturali non amplius alantur; quæ ex fontibus, & veris contemplationibus motuum, radiorum, ſonorum, texturæ, & Schematiſmi corporum, adfectuum, & prehenſionum intellectualium, novas vires & augmenta illis impertiri potuerit. Itaque minime mirum eſt, ſi ſcientiæ non creſcant, cum a radicibus ſuis ſint ſeparatæ.* Hæc vir ſapientiſſimus, & magnus ſcientiarum naturalium Inſtaurator. Siquis, uti paulo ante dicebam, idearum originem, progreſſumque in cognitionibus rerum comparandis adcurate inveſtiget, haud difficulter, ut opinor, eam ſententiam ſuſcipiet, genuinam recte cogitandi artem, viamque tutam nec ſine Matheſeos, nec ſine Philoſophiæ Naturalis diligente ſtudio comprehendi, aut verbis exponi poſſe. Nobis ſat eſt, fundamenta ieciſſe, quæ ipſa tractatione earum rerum paulatim augeri, atque ad faſtigium veræ doctrinæ, eruditioniſque quodam modo perduci queant.

LIBER

# LIBER II.

# PHILOSOPHIA PRIMA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# DISSERTATIO DE METAPHYSICA.

Scientiam rerum a materia ſeiunctarum natura, vel cogitandi modo, Metaphyſicam hac ætate paſſim nuncupant, eoque nomine res quatuor maxime diſcrepantes complectuntur, contemplationem generalem & de Ente, & de Mundo; tum tractationem de Humana Mente, denique & de Deo. Ac de anima quidem, & de Spiritu illo infinito, rerumque Conditore cum diſſerimus, perſpicuum eſt ſane, quale ſit eius diſſertationis argumentum, quod obiectum, quis finis; De ente autem generatim, ſive de Ontologia, ac de mundo, ſeu Coſmologia, uti eandem a Phyſica ſegregarunt, cum tractandum eſt, arduum mihi ſemper videbatur, explicate oſtendere, quid ſit id, quod a nobis quæritur, quodve obiectum illa tractatio habeat præfixum, aut quale ex illa commodum magnopere ſperandum ſit nobis. Qua quidem de re cogitata mea libere, aperteque proferam, non ut de laudibus ſummorum virorum, qui in eo genere diu, multumque verſati ſunt, quidquam decerpam omnino, ſed ut planiorem diſcentibus viam aperiam, & in re obſcuriſſima, ſi fieri queat, aliquid luminis impertiar.

## §. I.

### Origo Ontologiæ.

Compertum eſt, libros Aristotelis, cum belli metu defoſſi, poſtliminio ex pulvere, ac tenebris in lucem eſſent protracti, ab Andronico Rhodio in ordi-

nem fuiſſe digeſtos; qui, cum alia ad Organum retuliſſet, alia ad Phyſicam, ad Moralem diſciplinam alia; reliqua fragmenta, quæ in nullam ex iis claſſibus conjici poſſe videbantur, τα μετα τα φυσικα inſcripſit; inde Metaphyſicæ nomen habuit originem, quo Ariſtoteles uſus non eſt, etſi rem ipſam, quæ nunc Ontologiæ nomine comprehenditur, non penitus ignorarit; ait enim in iis fragmentis L. IV. Text. 1. *Eſt ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens, prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt.* Alii hanc diſciplinam iam inde a Pythagoricis derivatam, ad Platonicos manaſſe putant. At enim, ſi Veterum ſcientias, artesque cum iis conferimus, quæ Ontologia nunc cenſentur, exiſtimo ego, iisdem ex rebus, quas & Rhetores antiqui, & Philoſophi de Topica, ac generalibus inventionis locis tradiderunt, hanc denique diſciplinam paulatim coaluiſſe, eo fere diſcrimine, quod, quæ Rhetores ad uſum forenſem, & dicendi artem, eadem Philoſophi ad diſputandi ſubtilitatem maxime adcommodarint. Tullius L. III. de Orat. de divortio queritur, quod inter utrosque factum eſt; *hanc cogitandi, pronunciandique rationem, vimque dicendi*, ait, *Græci Veteres Sapientiam nominabant - - - ſed inventi ſunt, qui, cum ipſi doctrina, & ingeniis abundarent, a re autem civili, & negotiis, animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi rationem exagitarent, atque contemnerent; quorum princeps Socrates fuit; hic iis, qui hæc, quæ nos nunc quærimus, tractarent, agerent, docerent; cum nomine adpellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio, atque in iis exercitatio Philoſophia nominaretur, hoc commune nomen eripuit, ſapienterque ſentiendi, & ornate dicendi ſcientiam re cohærentes diſputationibus ſuis ſeparavit. - - Hinc diſſidium illud extitit quaſi linguæ, atque cordis, abſurdum ſane, & inutile, & reprehendendum, ut alii nos ſapere, alii dicere docerent. - - Deinceps Philoſophi eloquentiam deſpexerunt: Oratores ſapientiam; neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, niſi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur, ex quo promiſcue haurirent, ſi manere in priſtina communione voluiſſent.* Hoc igitur diſſidium, etſi rem quoque dialecticam, & moralem non parum attingat, tamen ad rationem diſſerendi de unaquaque re propoſita maxime pertinere, perſpicuum eſt conſideranti, & quid Rhetores de inventionis locis generatim,

&

& quid Metaphyſici de Ente proferant in medium; Illi definitiones ſæpiſſime nominant, iſti eſſentias, illi enumerationem partium, iſti totum, compoſitum, quodque ei opponitur, ſimplex, & indiviſibile: utrique de cauſſis differunt multis verbis, de poſſibili, de bono, de ſimili, ac diſſimili, de connexis, & oppoſitis, de eodem & altero, ſive de identitate, & diſtinctione, de vario genere relationum; illi de maiore, & minore, deque comparationis ſtatu; iſti de magnitudine, eiusque gradibus, de finito, & infinito; cumque Rhetores per inventionis locos ſe demonſtrare duntaxat, & velut intento digito indicare profiteantur, ubi quærendum ſit, & ubi ſit illud, quod quis ſtudeat invenire, ut, quæcunque res ſit propoſita, eam ex omni parte pertentare, apteque, & copioſe illuſtrare queas; contra Philoſophi, quo a communi ſe ratione, tritaque via magis removerent, ENS conſtituerunt ceu idolum quoddam, idque præfixerunt tractationibus ſuis, ad quod reliqua deinceps referrent, quæ vi ſpeculandi eſſent enixi; cumque Rhetores maximam adiunctorum, & circumſtantiarum rationem eſſe habendam doceant, Metaphyſici non niſi modos, & determinationes variabiles, atque accidentia in ore habent. Nil de orationis cultu dicam, quo maxime alteri ab alteris ſe ſegregarunt; illud addam, quod Tullius eodem libro obſervat: *Omnes artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad uſum transferunt: aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati nihil in vita aliud ſunt acturi - - tum quidem ipſa tractatio, & quæſtio quotidie ex ſe gignit aliquid, quod cum deſidioſa delectatione veſtiges.* Sane mens noſtra naturali quadam incitatione ad rerum cognitionem fertur; & quoniam videt, ſe, ſi particularibus rebus, quarum innumerabilis eſt multitudo, inhæreret, tardiſſimos progreſſus facturam; ob hanc cauſſam quam maxime univerſalia conſectatur, ut eorum ope ad finem inveſtigandi veniſſe ſe, omniaque comprehendiſſe ſibi perſuadeat, eaque ratione a ſe tædium removeat, quod conſcientia ignorantiæ, ceu imperfectionis gigni in nobis ſolet. Cæterum qui generalibus iis contemplationibus identidem inſiſtunt neglecta ſingularium rerum cognitione; ſimiliter faciunt opinione mea, ac ſiquis, cum ingentes arcas, & ampla ſcrinia ſibi comparaſſet, in quibus vel nummos condat, vel libros reponat, magnopere iisdem, etſi prope

vacua eſſent, delectaretur; Ac dudum obſervatum eſt ab Ariſtotele, fieri poſſe, ut, cum generalia didicerimus, res ſingulares ignoremus. In naturæ quidem inveſtigatione Ontologicis illis notionibus, atque principiis perpaululum locus relinquitur, neque ullum progreſſum faciet, qui ſine intermiſſione volvat in animo: idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe; nihil eſt ſine ſufficiente ratione. Quapropter veriſſima mihi ſemper viſa eſt ſententia Lockii de Intellectu Hum. L. I. C. II. §. 27. *Hæ ſententiarum formulæ ſcholarum ſunt propriæ; atque ſermo iſte Academiis tantum, atque togatæ genti notus eſt, inter quos Dialecticorum artes, & de quolibet ente diſputandi conſuetudo viget, & in honore eſt: hæc enim axiomata ad artificiales argumentationes, & adverſarios refutandos inſerviunt; ad veritatem autem explorandam, aut ſcientias promovendas haud multum conducunt.*

## §. II.

### Incrementum.

Poſteaquam hæc de Ente diſciplina eſt conſtituta, ea variis laciniis ex variis Philoſophiæ partibus decerptis fuit aucta. Quæ de corporum compoſitione, eorumque elementis, & natura virium, etſi hæc a materiæ commercio haud ſegregata ſint; quæ de extenſo, & continuo, de ſpatio quoque, loco, ac tempore in Phyſica diſputabantur, quæ de contingente, & neceſſario, de Ente a ſe, eiusque infinita eſſentia in Theologia Naturali; ea hinc detracta in Ontologiam, aut Coſmologiam coniecta ſunt; rectene, an ſecus, non diſputo; illud veriſſimum duco, facta hac rerum translatione facile fuiſſe oſtendere, Metaphyſicam ad reliquas Philoſophiæ partes recte percipiendas ſummopere neceſſariam eſſe. Aliud Ontologiæ incrementum acceſſit a moleſta quorundam ſedulitate definitiones condendi, atque emendandi; cum enim quivis pari ſe iure gaudere animadverteret, verba verbis explicandi; definitionum numerus, atque varietas incredibiliter aucta eſt; ut non penitus iniuſta fuerit non nullorum querela, Ontologiam a lexico philoſophico nihil magnopere differre, præſertim cum quibusdam nihil recte dictum, vel confirmatum videretur, quod propriam ipſorum phraſeologiam, qua innutriti ſunt longo tempore, haud oleret; quæ quidem cer-

certe eſt ſervitus quædam, ut Quintilianus inquit, ad certa ſe verba adſtringere. Methodus, quam vocant, Mathematica res Ontologicas plurimum noſtra ætate dilatavit, qua quidvis in minutas partes diſcerpitur, & quævis diductio ab ovo texitur. Hanc rationem qui præſcribere nobis vellet, ſimilis cenſeretur ei, qui viæ ducem præbere ſe eo pacto ſponderet, ut ſingula eius veſtigia adcurate premamus; nullum faceremus maiorem paſſum, nullum minorem: nihil unquam ad latus deflecteremus; quæ eſſet moleſtiſſima peregrinandi ratio. Sed quidam ita præ ſe ferunt Mathematicam definiendi, ac demonſtrandi rationem, ordinemque, ut notiones ſuas, ac propoſitiones cum aliis controverſiis, quæ ſummi ſæpe momenti ſunt, connexas ad præconceptam opinionem adcommodent, lectorem ignarum præoccupent, & non advertentem ſuas in partes trahant, qui, cum eiusmodi notiones, atque principia, quæ mente penitus imbibit, ad diſquiſitionem controverſiarum poſtmodum adfert, iudicandi libertate caret, captusque eſt ante, quam inſidias ſibi ſtrui animadverteret, cum præſertim error, qui in ideas, & principia ſubrepit, omnium ægerrime deprehendatur.

## §. III.

### Argumentum, Ac Scopus.

Equidem facile prævideo, haud omnes adprobaturos dicta mea, atque ii fortaſſis omnium minime, qui plurimum in iſta re laboris, ſtudiique conſumſerunt; ſed hos rogo, ut mihi ignoſcant libere dicenti ſententiam, ut in republica literaria, in qua nemini, niſi veritati, mancipati ſumus. Non ego, quæ ſcripta ſunt de rebus Ontologicis a viris doctis, laborisque amantibus, adſpernor; neque ei tractationi nomen ſcientiæ, ac dignitatem invideo; habet enim ea quasdam diductiones Geometricis non multum abſimiles; ſed ſi naturam interpretari, cognitionesque reales, ut vocant, aucupari velimus, nihil eſſe aliud, rem totam exiſtimo, *quam locos quosdam ſcientificos, niſi Rhetoricos Philoſophice tractatos* adpellare malis; quorum expoſitio cum in gravioribus diſciplinis haud exigui momenti ſit, Philosophia Prima nuncupata eſt, cuius is eſt ſcopus, ut, quid ge-

neratim inveſtigari, ac diſſeri de quavis re propoſita queat, intelligatur, utque communes notiones, & generalia noſtrorum ratiociniorum principia perſpicuis verbis evolvantur, & in conſectaria quædam ( niſi ipſa per ſe pateant manifeſte ) ceu rivos deducantur, ac denique ab obiectis, dubiisve dictis vindicentur. Omnes homines inchoatas rerum, atque imperfectas in animo notiones habent, ex quibus ſolo rationis ductu ſine informatione artis, quæ ſint in ipſis etiam artibus, recta, aut prava diiudicent; ut, cum plurimum in faciendo interſit inter doctum, & rudem, non multum differat in iudicando, quemadmodum acute obſervat Tullius L. III. de Orat. Has igitur generales notiones, ſi adcurate explicemus, & redigamus in propoſitiones, illud conſequemur profecto, ut res ſingulares, ac propoſitas ad diſceptandum quæſtiones multo acutius pervideamus, & ad ſingulas rei partes, tum ad ea, quæ connexa cum re, vel eidem oppoſita ſunt, citius advertamus animum, quin neceſſe ſit nobis, hosce ſcientificos locos dedita opera in memoriam ſemper revocare; quemadmodum enim, cum verbum aliquod ſcribendum eſt, eius verbi literæ ſponte ſe offerunt, neque moleſta cogitatione conquirendæ ſunt; ita, ſiqua eſt diſcutienda quæſtio ſingularis, ad generales hosce locos opus non erit cogitando nos devolvi, modo in iis *recte, diligenterque verſati aliquando ſimus.*

## §. IV.

### Partitio.

Tria ſunt, quæ inveſtigari de re quavis, ac diſſeri poſſunt; 1. Quid ſit in ſe. 2. Quid connexum cum ea ſit. 3. Quomodo relate ad res alias ſe habeat, quibuscum conferri poteſt. De hac triplici notionum, ac propoſitionum claſſe generatim dicenda ſunt quædam, atque in primis ontologicarum notionum origo aperienda eſt, ut a vocibus diſcernere ideas diſcamus, neque vocabulorum farragine, aut differentibus aliorum definitionibus turbemur.

I. *In prima claſſe notiones tranſcendentales, quæ latiſſime patent, omniaque genera ſubalterna tranſcendunt, ſe efferunt, ceu Ens, vel Res, Unum, Verum, Bonum.* Ens, vel

vel res dicitur, quidquid eſt conceptibile, ſive quidquid exiſtit, vel aptum eſt ad exiſtendum. Hæc duo : *eſſe conceptibile*; &, *eſſe aptum ad exiſtendum*, etſi videantur admodum diverſa; tamen nihil differunt, niſi ſono vocum. Nam, quod diligenter animadvertendum puto, quædam vocabula, aut vocabulorum complexiones, etiam eæ, quæ rem, ut in ſe eſt, reſpiciunt, ſimul denotant, vel, ut Veteres aiebant, connotant actum, vel potentiam mentis cuiusdam intellectivæ ſaltem infinitæ, a qua, quidquid eſt aptum ad exiſtendum, concipi poſſe intelligitur, & quod concipi poteſt, eſſe in ſe aptum ad exiſtendum. Conceptibilitas igitur, & aptitudo ad exiſtendum reipſa penitus idem ſunt, ſed illa connotat ſtatum rei intentionalem, ut aiunt, hæc realem, uti hæ voces, adpetibilitas, & bonitas; adfirmabilitas, & identitas; negabilitas, & diſtinctio; nota vel prædicatum, & proprietas rei &c. Porro quia cuivis reflexione perſpicuum eſt, ab ſe concipi res varias, ſeque exiſtere: minime obſcurum eſſe poteſt, quid ſit, poſſe concipi, vel eſſe conceptibile; & quid, poſſe exiſtere, vel aptum eſſe ad exiſtendum. Omnes voces, quibus exiſtentiam definire adlaborant, magis complicatas ideas continent, pluſque obſcuritatis habent, quam ſimpliciſſima idea, quæ vi huius vocabuli, *exiſtere* exprimitur, & cuivis luce meridiana clarior eſt. Pariter reflexione conſtat, id, quod eſt conceptibile, ſive aptum ad exiſtendum, eſſe poſitivum quid; cui in ſe ſpectato idea quædam reſpondeat : nihilum enim, & negatio neque proprie exiſtit, neque in ſe ipſa concipi poteſt (Log. §. LXIV. n. V.) igitur ens, ſive id, quod eſt conceptibile, non eſt nihilum; & quia poſita quadam idea, vel re, eademque iterum ſublata, ſive poſita adfirmatione, & negatione eiusdem, nihil relinquitur; ſequitur, ut ens, ſive id, quod eſt conceptibile, non contineat adfirmationem, & negationem, ſive contradictionem, atque ob hanc cauſſam dicitur in ſe, ſive intrinſecus poſſibile. *Unitatis* idea pariter ſimpliciſſima eſt, nihilque compoſitionis, aut varietatis in ſe complectitur: ea intime coniuncta eſt cum quavis cogitatione, ipſique menti ineſt; quivis enim noſcit, ſe eſſe unum, & ſemet eſſe ipſum duntaxat, non vero duo, nec aliud quidquam a ſe ipſo; & viciſſim nihil tam compoſitum, vel complicatum, vel adgregatum eſſe po-

 teſt,

teſt, cui non ſimplex unitatis idea, ſive idea unius compoſiti, unius adgregati, unius exercitus, unius mundi &c. imponi poteſt. Veteres unum dicebant, quod dividi nequit in plura eiusdem rationis, vel conceptibilitatis, aut quod eſt indiviſum in ſe, & diviſum ab omni alio. Repetendo, atque iterando ideam unitatis eiusdem oritur idea numeri; neque enim dicimus plura, quæ numerum faciant, niſi ſaltem in ratione generica entis, ſive eiusdem unitatis conveniant; quia vero plures unitates ſimiles diſtincte ſimul intueri haud poſſumus ob vim limitatam mentis noſtræ; idcirco numerorum ideæ fere ſymbolicæ ſunt, neque citra ſignorum, & inprimis vocabulorum uſum concipi a nobis, vel tractari poſſunt. *Metaphyſice verum* dicitur quodcunque ens, vel quod eſt conceptibile, quatenus eſt conforme eſſentiæ ſuæ archetypæ, & intelligibili, ut aiunt, ſive cognitioni intellectus ſaltem infiniti, aut quatenus habet omnia, per quæ eſt id, quod eſt; hæc poſterior expreſſio ſtatum realem, altera intentionalem indicat, utraque in idem cadit; Eodemque modo *metaphyſice bonum, vel perfectum* dicitur quidvis conceptibile, quod eatenus adpetibile eſt, eo diſcrimine, niſi fallor, ut perfectum connotet actum intellectus, bonum vero actum quendam voluntatis; res tamen, & rei idea eadem eſt.

II. *In altera notionum generalium, ac propoſitionum claſſe eminet idea nexus*, quam ego in ſe ſpectatam non minus ſimplicem puto, quam ideam unitatis; neque quid nexus ſit, aliter declarari poteſt, niſi eam vocem, quæ ſtatum realem indicat, explicando per alias voces, quæ ad cognitiones noſtras reflectere nos cogunt. Concipimus ſæpe, uno poſito aliud ponendum eſſe, vel tollendum, uti poſito effectu quodam ponendam eſſe aliquam cauſſam, vel poſito ente finito tollendam eſſe ideam maximi, ut infra oſtendemus. Quoniam iſta concipimus, clarum eſt, quod detur conceptibilitas talis, ut uno poſito ponendum ſit aliud; qui eſt rerum nexus: vel ut uno poſito aliud ſit tollendum, quæ eſt oppoſitio rerum. Porro nexum, & oppoſitionem rerum, vel idearum percipimus vi rationis ex comparatione earundem. ( Log. §. XXVII. n. III. & §. LXV. n. III. ) Sæpe alterutrum concludimus ex eo, quia quædam ut coexiſtentia, vel ſeparata, ope ſenſuum perpetuo obſervamus ( §. XXVII. n. II.

II. ) Huc igitur ea quoque connexio pertinet, quæ inter ſigna naturalia, imo & arbitraria, & res ſignificatas a nobis concipitur.

III. *Ad tertiam claſſem notionum, ac propoſitionum generalium pertinet relatio, eiusque diverſæ ſpecies.* De relationis idea ſimiliter fere, ac de nexu differendum eſt. Si enim plura ſimul conſideramus, A, & B; ſæpe ex iis, quæ in uno eorum, e. g. in B inſunt, concipi quidquam poteſt de altero, ſive de A, quod non poſito B, concipi haud poteſt. Hæc conceptibilitas, quæ ex plurium cognitione oritur, vocatur Relatio; in qua proin duæ ideæ ponendæ ſunt; ac ſiquid ſecum ipſo comparatur, uti cum Geometræ dicunt : A = A; eadem idea bis ponenda eſt, & bis in eandem figenda eſt attentio, ut concipi poſſit æqualitas. Confer Log. §. VIII. Id, quod ad alterum refertur, *ſubiectum* relationis; alterum, ad quod refertur, *terminus* dicitur; ratio, cur unum referri ad alterum queat, ſive id, ex quo nova illa conceptibilitas oritur, vocatur fundamentum relationis, ſive *ratio fundandi*; & quoniam quævis idea referri ad quamvis aliam, ſive prope eam quodam modo collocari poteſt; idcirco in quavis idea fundamentum aliquod reperiri poteſt, ut dicatur eadem, vel diverſa, quod per vim diſcernendi ideas innoteſcit; latiſſime igitur patet relatio identitatis ac diverſitatis. Quæ de generalibus ideis adhuc diximus, etſi obſcura, ac difficilia primo videantur, tamen uſu ſpeculandi paulatim mitigantur, modo ne extra ſe aliquis quærat, quod non niſi reflexione, & animadverſione ad ea, quæ intus in animo contingunt, reperiri poteſt.

PHI-

# PHILOSOPHIÆ PRIMÆ

## SECTIO I.

### *Notiones, & Propoſitiones, quæ ad rem in ſe ſpectatam generatim pertinent.*

*Res in ſe ſpectatur ſecundum eſſentiam, naturam, ut eſt ſubiectum per ſe ſubſiſtens, vel uti alteri inhæret: eſſentia notas genericas, & ſpecificas, vel partes phyſicas continet, ex quibus idea totius, compoſiti; itemque ordinis pendet: iis ſpectatis de poſſibilitate, tum de perfectione, ad quam finiti, & infiniti notio pertinet, indicari poteſt. Hæc igitur exponenda nunc ſunt.*

## §. V.

*Eſſentia rei* cuiusvis e. g. virtutis, circuli, furti, morbi, hominis, lapidis &c. *ea nota eſt, vel notarum complexio, quæ primo ponenda eſt, ut intelligatur, quod ſit hæc res, non alia, hocque nomen & has proprietates conſtantes habeat, aut variabiles habere poſſit, alias non poſſit.* Quæ igitur notæ ad rem neceſſario pertinent, & ex aliis non deducuntur, eſſentiales: quæ ex his derivantur, attributa ſunt. Ad eorum complexionem aliæ notæ, atque aliæ adiungi poſſunt manente priore re, ac nomine; ſi enim quævis idearum, cui tanquam eſſentiæ certum nomen imponitur, ob quasvis adiunctas notas aliud, atque aliud nomen ſortiretur; in infinitum creſceret multitudo vocum; quapropter poſteaquam fixa eſt certa notarum complexio, certoque nomine ſignata; aliæ deinceps adiunctæ notæ, vel circumſtantiæ, in quibus res exiſtit, adpellantur modi, vel accidentia, quæ adeſſe, vel abeſſe poſſunt ſalva eſſentia rei; ob eaque dicitur res in certo ſtatu poſita.

## §. VI.

*Natura eſt principium internum actionum & paſſionum rei*; de quibus cum plurimæ, & maxime diſcrepantes definitiones extent in Metaphyſicorum libris, iis prætermiſſis ad originem idearum noſtrarum redeundum

undum puto. Mens noſtra agit ; cum cogitat, vel ſpeculatur, cum vult, cum membra movet corporis, ut quidem plerique exiſtimant : corpora dicuntur agere, cum motum producunt in alio, & ſi vis, quando motum extinguunt : vel ſi unum corpus ſtatum ſenſibilem mutat alterius, uti ignis in ligno ; quod pariter fit per motum partium minorum ; dein Deus, dum aliquid creat, dicitur agere ad extra. Ultra haſce actionis ſpecies, quæ potiſſimum cogitatione, motu, creatione continentur, etſi minime dixerim, aliam non dari, vel poſſibilem eſſe ; tamen aliam in hoc mortali ſtatu non facile quiſquam mente concipiet ; neque vero, ſi cognitio noſtra, propterea etiam cognoſcibilitas, vel poſſibilitas deficit ; nec cæcus, ſi lucis, & coloris ideas efformare non poteſt, continuo res iſtas cognoſcibilitate, & poſſibilitate carere merito dixerit. Porro cum mens noſtra & ipſa agat, & actiones, motus, mutationes in aliis rebus obſervet ; facile intelligit, quod *poſſit* dari actio, & motus & mutatio ; quodque ſit aliquod principium actionis ; cumque & in ſe obſervet mutationes a re externa factas, & in aliis rebus alteram mutari ab altera videat ; omnem mutationem a re externa inductam vocat *paſſionem* ; facileque animadvertit, in eo, quod patitur, capacitatem patiendi, ſive recipiendæ mutationis ineſſe debere ; atque hinc alia eſt *potentia activa*, alia *paſſiva*. Hoc modo in igne concipimus ineſſe potentiam activam comburendi lignum ; in ligno potentiam paſſivam, ut comburatur, & in cineres abeat, qualis non ineſt in lapide vel metallis.

*Inter potentiam, & vim e. g. cogitandi, ſi mentem humanam ſpecto, nihil intereſſe puto ; niſi per vim concipias quandam intentionem mentis in agendo. Vires corporum motrices adpellant, a quarum actione motus proxime pendet : potentias motrices, a quarum actione pendet exiſtentia virium, vel directio & celeritas. Siquis præter ideam motus, & ideam, vel potius nomen eius ( quale quale ſit ) a quo motus pendet, aliam præterea intermediam ideam concipere valet, modo ultra vocabula quidquam ſibi repræſentet, eam diſtinguendi inter potentias, & vires motrices formulam per me retineat : ego haſce voces aliorum exemplo, ſine diſcrimine uſurpabo. Dicimus quidem ſæpe, a potentiis vim corporibus imprimi, vel in*

*iis*

*iis gigni ; id vero nihil denotat aliud , niſi potentias illas, vel vires , ſiquæ ſunt in materia , aliunde determinari debere , ut certo ſe modo exerant. Profecto de natura rerum non ex vocabulis iudicandum eſt , quorum repertores haud ſane Philoſophi extitere , multo etiam minus ii , quos recta methodo philoſophatos fuiſſe conſtat.*

## §. VII.

Vox *ſubiectum* , quod in definitione ſubſtantiæ ( Log. §. IX. ) ponitur, dein Grammaticorum phraſes , ob quas potentias activas, & paſſivas in ipſis rebus ineſſe dicimus , denique abſtractæ Philoſophorum formulæ eo nos deducunt ( niſi caveamus ) ut in idea ſubſtantiæ nihil , niſi nomen ſuſtentaculi , vel receptaculi remaneat ; alia enim ceu ab hoc ſubiecto diverſa , eidem tamen inexiſtentia fingimus. Definitio vv. Peripateticorum ab hoc errore longius nos removere videtur ; dicunt enim *ſubſtantia eſt ens per ſe* , velut quod per ſe ſtat , aut ſtare poteſt , neque alteri tanquam fini inhæret ; utcunque eſt, potentiæ , & facultates animæ ab ipſa ſubſtantia non diſtinguuntur , neque perfectiones divinæ abſolutæ , ut vocant , ceu ſapientia , iuſtitia , bonitas &c. a ſubſtantia , vel eſſentia , aut natura divina diſtinguuntur. *Subſtantia* , *vel natura completa eſt* , quæ per naturam ſuam non ordinatur tanquam pars eſſentialis ad conſtituendum aliquod totum ; ſi ordinatur , eſt *incompleta* , ceu anima hominis , quæ ſaltem pro aliquo tempore ceu pars eſſentialis ordinatur ad compoſitum ſubſtantiale , nempe totum hominem conſtituendum. *Subſtantia ſingularis* , *completa & incommunicabilis alteri* , vocatur *Suppoſitum* , ac ſi ratione pollet, *Perſona.* Dicitur ſubſtantia *incommunicabilis* , quæ neque per identitatem , neque per unionem phyſicam pluribus ineſt, vel communicatur. Sic una natura divina, cum ſit in tribus perſonis per identitatem , non eſt ſuppoſitum : & natura humana in Chriſto, cum per unionem communicetur perſonæ divinæ , pariter non eſt perſona , & Chriſtus adſumſit naturam humanam , non perſonam humanam. In creatis rebus ſubſiſtentia , ſive modus per ſe ſubſiſtendi , a plerisque conſtituitur in negatione unionis cum alio digniore.

§. VIII.

## §. VIII.

Si in complexione notarum, quæ rei eſſentiam efficiunt, aliæ ſunt genericæ, ſeu communes rebus diverſis, aliæ ſpecificæ, ſive propriæ huic rei, de qua agitur, ea dicitur *eſſentia metaphyſica*, ut homo eſt animal ratione præditum; ſi vero notæ omnes ſpectantur ceu rei propriæ, quarum collectio unam efficit rem, ea complexio dicitur *eſſentia phyſica*, uti corpus, & anima inter ſe unita ſunt eſſentia phyſica hominis, & cumulus divinarum perfectionum eſſentia phyſica Dei a plurimis dicitur. Hoc igitur caſu plura, quæ rei propria ſunt, efficiunt unum, eaque vocantur *partes;* id, quod ex pluribus fit, *totum*; ac ſi partes ſola ratione, & cogitandi modo diſtinguuntur, *totum metaphyſicum*; ſi reipſa diſtinctæ ſint, *totum phyſicum;* ſi partes non modo diſtinctæ, verum etiam connexæ ſint modo quodam naturæ totius adcommodato, id totum vocatur *compoſitum*: ſi partes diſtinctæ quidem, ſed adgregatæ duntaxat, non connexæ ſint, fit totum *logicum*, uti eſt exercitus, vel cumulus arenarum. Igitur idea totius ſita eſt in identitate plurium cum uno, ſive plura ſint diſtincta reipſa, ſive cogitandi modo, ſive connexa ſint, ſive non connexa; idea autem compoſiti præter realem diſtinctionem partium continet nexum earundem. Id, quod ex pluribus reipſa diſtinctis non conſtat, vocatur *ſimplex*, uti eſt mens noſtra. Ad eſſentiam totius, & compoſiti non omnes promiſcue partes ita neceſſariæ cenſentur, ut una ſublata illud continuo interiiſſe cenſeatur, nomenque amittat; hinc ſi nulla compoſiti pars deſit, omnesque eo, quo debent, modo cohæreant, vocatur *integrum*: ſiqua pars requiſita deſit, ceu digitus in corpore humano, compoſitum dicitur *mutilum*. Dein uti plura, quæ unum conficiunt, aut ſimul, eodemque tempore coexiſtunt, aut ſeſe conſequuntur, ita totum erit *ſimultaneum*, ceu ædificium; aut *ſucceſſivum* ceu negotium, & actio, in qua tum quæ antecedunt, tum quæ in ipſa actione vel negotio inſunt, tum quæ conſequuntur, ſpectari ſolent. Denique ſi partes totius ſunt ſimilares, id eſt, eiusdem rationis, ſeu quæ eadem idea continentur, totum adpellatur *homogeneum*; ſecus *heterogeneum*; in toto homogeneo

*pars aliquota* eſt, quæ aliquoties repetita totum adæquat: *pars aliquanta*, quæ aliquoties repetita totum excedit, vel ab eo deficit.

## §. IX.

In toto ſimultaneo partes quoad locum, in ſucceſſivo quoad tempus certa ratione diſponuntur, vel determinantur; in hac partium diſpoſitione vel determinatione aliquis finis ſpectatur, vel communis terminus, ex quo intelligitur, cur hæc pars hoc loco, vel tempore, alia alio diſponatur. *Plurium, quæ unum efficiunt, determinatio quoad certum locum, vel tempus facta ſecundum aptitudinem cuiusque ad communem finem, vel effectum obtinendum*, adpellatur *ordo*; igitur in ordine ſpectatur 1. unum, ſive ordo ineſt in uno ſeu logico, ut in exercitu, bibliotheca; ſeu phyſico, ut in ædificio, horologio, quavis machina; ſive ſimultaneo, ut in mundo relate ad corpora coexiſtentia, ſive denique ſucceſſivo, ut in planetarum motu, in actionibus noſtris diurnis. 2. Communis partium finis, ſive effectus, vel terminus. E. g. finis, qui in ordine aciei ſpectatur, eſt is, ut ea hoſtibus repellendis par ſit, in bibliotheca, ut libri cito, & facile inveniantur, in horologio, ut horæ indicentur. Si plures ſpectantur fines, qui fere ad unum generalem diriguntur, ordo compoſitus eſt; ſi unus, ſimplex 3. Aptitudo eorum, quæ unum efficiunt, ad communem finem obtinendum; Ac ſi ſingulæ partes ſecundum propriam, & nulli alteri parti communem aptitudinem determinantur, ita ut ſalvo communi fine aliter diſponi haud poſſent, ordo erit *completus*: ſi quædam partes æqualem habent aptitudinem, ut ſalvo communi fine aliter diſponi poſſent, ordo eſt *incompletus*, uti ſi in librorum ordine ratio ſolius argumenti habetur, perinde erit, quo loco plures libri eiusdem argumenti collocentur. Porro quia ex fine intelligitur, cur hæc pars hoc loco vel tempore, alia alio diſponatur, idcirco ex cognitione ſpeculativa ſive ex theoria finis deducuntur propoſitiones practicæ, ſive *regulæ*, aut propoſitiones enunciantes, quomodo ſingulæ partes determinandæ ſint habita ratione aptitudinis earundem, & communis finis.

*Ordi-*

*Ordinis exempla præterea peti poſſunt* 1. *A tractatione ſcientiarum, in qua communis notionum, & definitionum finis eſt, ut cognitio certa, & evidens quam fieri poteſt, facillime obtineatur.* 2. *A ſeriebus, ſive progreſſione terminorum certa lege continuo creſcentium, vel decreſcentium, ut ſi ſcribam* $\frac{1}{1}$, $\frac{2}{1.3}$, $\frac{4}{1.3.5}$, $\frac{8}{1.3.5.7}$, *&c. cuius ſeriei numeratores ſunt progreſſio geometrica in ratione dupla: denominatores vero ſunt facta ex terminis ſeriei numerorum imparium, nempe ex primo: ex primo, & ſecundo; ex primo, ſecundo, tertio, ex primo, ſecundo, tertio, & quarto &c. in his ordo omnino completus eſt, imo in ſerie quoque numerorum ordine naturali aſcendentium* 1. 2. 3. 4. *&c.* 3. *Ab oratione, vel poemate, in quibus de diſpoſitione multa præcipi ſolent. Ordini opponitur confuſio, quando plura, quæ unum efficiunt, ſecundum aptitudinem ſingulorum ad communem finem non determinantur. Defectus in ordine adpellatur determinatio regulæ contraria, isque verus, ſi evitari potuit; ſecus adparens. Patet denique, quid ordinem inveſtiganti ſpectandum ſit, nempe ipſæ partes, aptitudo ſingularum, & communis finis, quem etiam ſpectaſſe videntur veteres Stoici, ordinem adpellantes compoſitionem rerum aptis, & adcommodatis locis.*

## §. X.

Quotiescunque plures partes in toto metaphyſico, vel phyſico, vel plures notæ conſtantes aut variabiles in re quadam, aut plures potentiæ in natura ita iunguntur, ut, cum uni earum adhæreat negatio alterius, idem ſimul eſſet, & non eſſet, id dicitur *repugnare*, contradictionem, ſive pugnantia involvere, *intrinſece*, *abſolute*, *ſeu metaphyſice impoſſibile*, quia eo poſito ſequitur, idem ſimul eſſe & non eſſe: contra quo poſito id non ſequitur, eſt abſolute, & intrinſece poſſibile: *extrinſece impoſſibile* eſt, cui efficiendo ſufficiens potentia non datur: ſecus poſſibile extrinſece. *Phyſice impoſſibile*, quod, etſi non repugnet in ſe, tamen per leges & vires naturæ fieri nequit: *moraliter impoſſibile*, quod ſine maxima difficultate fieri non poſſe cenſetur, ſive quod legibus morum, & honeſtatis repugnat; quo ſenſu dicimus: non poſſum mentiri. Poſſibilitas igitur, & impoſſibilitas intrinſeca in convenientia, vel repugnantia notarum

tarum ſimul iunctarum ſita eſt: extrinſeca petitur a potentia & cauſſa effectrice. Quid per naturæ vires ac leges fieri poſſit, ſive quid phyſice poſſibile ſit, philoſophi eſt examinare. Moralem poſſibilitatem, ſeu facilitatem, aut difficultatem ſpectant Rhetores in deliberando; præterea Ethici quoque. Siquid non niſi propter adiunctas notas, vel ob circumſtantias ut impoſſibile intrinſece, vel extrinſece ſpectatur, id *hypothetice impoſſibile* vocant; cui opponitur impoſſibilitas abſoluta. Id, cuius oppoſitum eſt impoſſibile, dicitur *neceſſarium*, cuius oppoſitum eſt poſſibile, *contingens*. Igitur aliud abſolute, & hypothetice, aliud metaphyſice, & phyſice, aliud intrinſece, & extrinſece neceſſarium eſt, aut contingens; & quemadmodum impoſſibile, ac poſſibile; ita neceſſarium, & contingens oppoſitionem habent contradictoriam. Denique quod de re quadam adfirmari poteſt ſpectata eius eſſentia, vel ſtatu, in quo eſſe concipitur, id adpellatur *determinatum*: quod rei ſpectata eſſentia, vel ſtatu neque convenit, neque repugnat, eſt *indeterminatum*. E. g. eſſentia animalis rationalis eſt determinata quoad vim percipiendi, & ratiocinandi: item admirandi, capacitatem doctrinæ &c, hæc enim ſpectata eſſentia de homine adfirmari poſſunt; ſed indeterminata eſt doctrina, probitas &c. Quidquid reipſa exiſtit, id eſt, vel non eſt, nec medium habet locum: conſequenter indeterminatum non a parte rei, ſed duntaxat in generali quodam conceptu habet locum. Neceſſarium eſt ita determinatum, ut ſit unicum ſui generis poſſibile: contingens vero ita determinatum, ut ſit unicum nunc exiſtens, ſed aliter atque aliter determinabile, ſeu mutabile, quia aliter, ac eſt, eſſe poteſt; contra immutabile dicitur, quod aliter, ac eſt, eſſe non poteſt.

*Mutatio entis eſt tranſitus ab uno ſtatu ad alium; mutabilitas indicat, quod poſſit fieri eiusmodi tranſitus. In ente perfectiſſimo, & infinito cognitiones, & decreta Dei de rebus creatis contingentibus ab æterno exiſtunt ſine ulla mutatione; abſolute tamen ab æterno variabilia, & contingentia ſunt, atque analoga modorum dicuntur. Neceſſitatis hypotheticæ ſubdiviſionem in antecedentem, & conſequentem dabimus, cum de libertate arbitrii agendum erit.*

## §. XI.

*Quæcunque nota poſitiva, quæ fini aut naturæ rei conveniens eſt, perfectio eiusdem, vel qualitas dicitur*, eaque *eſſentialis* ſeu *ſubſtantialis*, ſi ad eſſentiam rei pertinet, vel *accidentalis*, ſi contingenter ineſt. Quatenus res vel perfectio rei vi notionis ſuæ augeri, & minui poteſt, eatenus ſuos gradus habet vel extenſionis, ſi habet partes reales, uti numerus & dimenſio; vel intenſionis, ſi partes habet duntaxat formales, ſive cogitandi modo diſtinctas, ut calor, celeritas, potentia, ingenium, ratio, robur, virtus &c. quæ quidem perfectiones omnes augmenti, & decrementi capaces ſunt. Quapropter in perfectione, ſive in qualitate ineſt *quantitas*; & ſi qualitas vel perfectio eadem e. g. calor, & calor concipitur; nullum diſcrimen concipi poteſt, niſi in gradibus perfectionis, ſive in quantitate; idcirco aiunt: *quantitas eſt diſcrimen internum qualitatum earundem.* Quantitates, quæ eiusdem generis, ac nominis ſunt, *homogeneæ* vocantur. Ad determinandas homogeneas quantitates unitas pro arbitrio adſumitur ceu menſura, cuius dein ratio, ſive relatio ad datam quantitatem nobis ideam de iſtius magnitudine ingerit. Ineſt igitur quantitas in reipſa: ſed ſine alia ceu menſura extrinſecus adſumta determinari nequit; qualitas vero eſt nota rei interna, quæ ſine alia adſumta intelligi poteſt. Porro cuiusvis quantitatis, adeoque perfectionis quoque, & qualitatis, quæ augeri, & minui poſſe concipiuntur, modi quidam ſunt 1. *Finitum*, ſive id, in quo defectus ulterioris perfectionis, ſive ulterioris gradus in perfectione concipi poteſt; qui quidem defectus vocatur *Limes.* Quod igitur finitum, ſeu limitatum eſt, id augeri poteſt, nec habet omnia, quæ concipi in eo poſſunt, eodemque aliud maius, ac perfectius poteſt dari. 2. *Indefinitum*, de quo, cum augeri & minui, extendi, vel reſtringi poſſit, non determinatur, quo usque auctum, vel extenſum, imminutum, vel reſtrictum ponatur; ut, cum Geometræ lineam indefinite produci poſtulant. 3. *Infinitum actu*, vel categorematicum, cuius omnes gradus ſive partes reales, aut formales ſimul actu ſunt, vel ſibi ita ſucceſſerunt, ut vere dici queat: actu præterlapſæ ſunt partes infinitæ, ſive tot, ut numerus

earundem porro augeri, aut maior concipi nequeat. Hæc igitur interna idea huius infiniti eſt, ut in eo genere, in quo infinitum ponitur, augeri, vel creſcere nequeat, ſive ut omnes habeat poſſibiles gradus eius perfectionis, vel qualitatis, quæ infinita dicitur. Eſt aliud *infinitum potentia*, ſive ſyncategorematicum, quod in ſe finitum eſt, ſed ſine fine augeri poſſe concipitur; ut apte dicatur finitum in infinitum, & cum indefinito habeat affinitatem.

## §. XII.

Quævis res dicitur eſſentialiter perfecta, quia per notas, & perfectiones ſeu finitas, ſeu infinitas ſit, ut ſit hæc res, non alia, & in hac claſſe generis, vel ſpeciei, non in alia conſtituta, ſive hoc individuum, non aliud. Omnia igitur, quæ in re inſunt, conſentiunt in eo, ut efficiant hanc rem, non aliam; Hinc *Perfectio* dicitur *conſenſus variorum ad unum, quod naturæ rei conſentaneum eſt, obtinendum, ita, ut nihil rei deſit in eo genere.* Hæc notio maxime elucet in compoſito, ceu in ædificio, horologio, quavis machina, in corpore organico, in civitate, harmonia muſica, poemate, oratione, tractatione ſcientifica &c. In his, ut perfectio inſit, opus eſt 1. ut dentur varia, imo, ut nihil deſit eorum, quæ ad communem finem, vel terminum obtinendum neceſſaria ſunt. 2. Spectandus eſt hic ipſe communis finis, ſeu terminus, qui dicitur principium, & ratio determinans partes, earumque conſtitutionem; nam ex cognitione finis ceu ex theoria deducuntur propoſitiones practicæ & regulæ determinantes, quæ, & qualia eſſe debeant, quæ ad perfectionem totius concurrunt; ut vero unus, vel plures fines ſpectantur; ita perfectio ſimplex, vel compoſita dicitur. 3. Denique variorum in uno conſenſus requiritur. Siquid ex variis deſit, vel ad communem finem non tendat, dabitur *imperfectio remotiva*, ut aiunt: ut, ſi quod inſtrumentum, quod ad perfectam harmoniam concurrere debet, deſideretur: ſi quid vero omnino diſſentiat, ſive ad communem finem non obtinendum tendat, habetur *imperfectio contraria*, ut, ſi quod inſtrumentum male inſonet, & contra muſicæ, vel harmoniæ leges. Fieri poteſt, ut ex principiis perfectionis compoſitæ deducantur regulæ contrariæ, quæ ſimul obſer-

obſervari nequeunt; Hæc repugnantia regularum vocatur *colliſio perfectionum*, & *exceptionem* parit, id eſt, alterius regulæ neglectum: ſive determinationem uni regulæ contrariam; ut, ſi in ædificio commoditas habitationis poſcat feneſtram ex certa parte: ſymmetria, & ordo eam excludat. Cum in omni compoſito perfectio totius primario ſpectetur, ea præferenda eſt perfectioni partium; Hinc perfectio partis vera eſt, quæ perfectioni totius, ſive alteri perfectioni maiori, cuius res capax eſt in ſuo genere, non repugnat; ex quo intelligitur, quid ſit perfectio partis duntaxat adparens. Contra *vera imperfectio* eſt, quæ perfectioni totius, vel alteri maiori obeſt: *imperfectio adparens*, qua poſita maior alia perfectio obtinetur. Quamobrem imperfectio adparens non tollit perfectionem rei in ſuo genere, uti nec ea imperfectio, quæ evitari non potuit ſalva maiore, vel totius perfectione.

*De rerum igitur perfectione iudicantibus nobis cavendum eſt, ne perfectiones, vel imperfectiones adparentes pro veris habeamus; dictio figurata in ſe perfectior eſt quavis nuda expreſſione; ſed fieri poteſt, ut certo loco, vel tempori minime adcommodata ſit, dicique debeat:* nunc non erat his locus.

## §. XIII.

### Propositiones De Essentia Rei.

I. *Eſſentiæ rerum a priori demonſtrari nequeunt;* nam ſitæ ſunt in complexione notarum primitivarum, quæ ex aliis non deducuntur. Circulus eſt ſpatium terminatum linea curva in ſe redeunte, cuius ſingula puncta a centro æquidiſtant; ſi quæras, cur hæc ſit eſſentia circuli? ſenſus quæſtionis eſſe non poteſt, cur talis figura habeat nomen circuli; iſtuc enim minime neceſſarium eſt, cum voces ſint ſigna ad placitum, & de vocum explicatione regulæ dentur in Logica; igitur iam ſumitur, voce circuli ſignificari ſpatium tali curva linea terminatum; atque ita, ſi illæ notæ ſunt primæ, quæſtio fit nugatoria: cur talis figura eſt talis figura? quemadmodum igitur, ſi quæritur, cur hæc idea eſt hæc idea, nil reſponderi poteſt, niſi quia eſt hæc, & non alia; ita quidvis per *ſe* ipſum, ſive per ſuam eſſentiam eſt id, quod eſt.

II. *Rerum eſſentias cognoſcere, non tam ad ſenſus, quam rationem pertinet;* nam notæ, quæ in ſenſus incurrunt, ſæpe ex aliis, quæ in re inſunt, derivantur; per rationem autem tum notarum nexum, tum quæ primo ponendæ ſint, ex quibus reliquæ pendent, perſpicimus.

III. *Conſtitutio claſſium ſecundum eſſentias, ſive ſpecificatio rerum pendet* 1. ex proprietatibus & operationibus; ex his enim colligitur, an natura ſit eadem vel diverſa, & ad quam claſſem, vel ſpeciem referri debeat. 2. Poſita naturarum, & principiorum diverſitate, reliqua, quæ iis accidunt, diverſæ ſpeciei cenſentur, uti cognitio hominis, & ſpiritus ſeparati. 3. In cognitionibus, & adpetitionibus diverſitas obiectorum, & modi tendendi ſpectatur. 4. Sæpe res tota pendet ab inſtitutione Dei, vel hominum, unde deſumendum eſt, quid eſſentiale, vel ſubſtantiale ſit, & quæ mutatio, ſalva eſſentia fieri poſſit. (Log. §. XXV. n. II.) Non raro ex uſu nominum res deducitur; nam ſiqua mutatione facta novum rei nomen imponitur, cenſetur ea interiiſſe quoad priorem eſſentiam; ut, ſi aqua abit in glaciem, lapis in calcem &c. præſertim ſi ſtatus ſenſibilis rei penitus mutatur.

## §. XIV.

### Propositiones De Natura, Et Substantia.

I. *Etſi omnes notas rei, & quasvis potentias in natura, & ſubſtantia ceu in ſubiecto ineſſe concipiamus; tamen adcurate diſtinguendæ ſunt voces concretæ, ſeu denominationes,* quarum aliæ ſunt ſubſtantiales, quarum forma eſt ipſa ſubſtantia, vel natura rei; ut Deus, homo; unde fit Deitas, humanitas, ab animali animalitas, a rationali rationalitas; aliæque voces, de quibus ſuo loco; non tamen dicimus metalleitas a metallo, vel ſaxeitas a ſaxo. Aliæ ſunt accidentales, quarum forma eſt accidens, ut ſapiens relate ad ſpiritum finitum; nam relate ad Deum forma, *ſapientia* eſt ſubſtantialis.

II. *In concretis ſubſtantialibus, quibus aut natura, aut perſonalitas explicite ſignificari poteſt, illud in recto, ut aiunt, importatur, quod cum altero propoſitionis membro*

*bro immediate connectitur.* e. g. Deus unus eſt trinus: prædicatum *trinus* ſubiecto tribui non poteſt ratione naturæ, quæ una eſt, non trina; ſed ratione perſonæ; idcirco perſona in recto, natura in obliquo venit, hoc modo: perſonalitates terminantes unam naturam divinam ſunt tres. Contra in hac propoſitione: Deus trinus eſt unus, prædicatum *unus* convenit ſubiecto ratione naturæ, non trium perſonalitatum; ſenſus proin eſt, natura divina terminata a tribus perſonalitatibus eſt una.

III. *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, hoc eſt, ſubſtantiis completis imputandæ ſunt, quia illæ ut integrum agendi principium ſpectantur; ſic actio humana non ſoli animæ, multo minus ſoli corpori, ſed homini, & uni perſonæ tribuitur.

## §. XV.

### Propositiones De Toto, Et Composito.

I. *Totum, & omnes partes ſimul ſumtæ ſunt idem*; patet ex notione totius; hinc totum exiſtit poſitis omnibus partibus, eo nimirum modo, quo natura totius vel ſimultanei, vel ſucceſſivi poſtulat.

II. *Quod eſt pars partis, eſt etiam pars totius*; ſi enim digitus pars eſt manus: hæc corporis; digitus & corporis pars eſt.

III. *Toti, & parti ſæpe tribuuntur notiones relativæ maioris, minoris, æqualis.* Maius eſt, inquit Aristoteles, quod eſt tantundem, & aliquid aliud, ſive cuius pars alteri toti æqualis eſt: contra minus, quod non niſi partem alterius coæquat (quivis videt, has relationes nonniſi inter homogenea habere locum) Igitur *totum eſt maius quavis parte: pars minor toto.*

IV. *Ut intelligatur ratio eorum, quæ enti compoſito inſunt, inveſtiganda eſt natura partium, & compoſitionis modus*; nam in compoſito aliud nihil continetur, niſi id, ex quo ceu materia aliquid componitur, & modus compoſitionis, ceu forma; ac ſi præciſe idea compoſitionis ſpectatur, eſſentia compoſiti ſita eſt in forma, ſive in modo compoſitionis, aut partium textura; & quia hæc mutari nequit, niſi per motum partium, idcirco

 omnis

omnis mutatio compoſiti fit per motum, addendo, auferendo, transponendo partes.

V. *Idea Entis Simplicis omnia excludit, quæ compoſito, quatenus ex pluribus coaleſcit, competunt;* igitur quod ſimplex eſt, dividi nequit: caret motu interno partium: Si vero de novo oritur, ex nihilo oritur, nempe per creationem; ſi enim ex compoſito ſimplicem particulam decerpi ponas, non oritur ſimplex ex compoſito, cum in eodem ex Hyp. ante extiterit: nec ex ſimplici, cum ab hoc ſeparari nil poſſit, oritur ſimplex; pariter ſi interit, in nihilum abit: ortus vero, & interitus fit temporis momento, contra ac in compoſito, cuius partes paulatim contexi, vel diſſolvi ſolent.

*Ad perfectam rerum cognitionem maximi momenti eſt reſolutio totius & compoſiti, quæ vel manu fit, & reipſa, ut in Anatomia, Chymia &c, vel mente, ut ſi analyſis orationis, poematis &c. fiat, modo ordo quidam teneatur in reſolutione, partiumque nexus, & mutua habitudo ſpectetur. In ſcientiis res tractandæ ſunt inſtar materiæ, ordo, ac diſpoſitio earum ceu forma compoſiti; hinc nihil mirandum, ſi tot novos libros de re eadem in dies proferantur, in quibus nihil novi reperimus, præter alium compoſitionis modum. Partium enumeratione, cum maxime illuſtret mentem, perpetuo utuntur Rhetores; ac Cicero cum Philipp.* I. *ait: vos acta Cæſaris defenditis, qui leges eius evertitis? revera ita concludit: cum pars actorum Cæſaris fuerint leges ab eo latæ: ſiqui leges non defenderent, nec acta defendebant, quia ſublata vel una parte tollitur totum. Contra cum multis verbis oſtendit, Milonem Senatui eſſe carum, equeſtri ordini, plebi; recte conficit, eſſe carum univerſo populo, quia poſitis omnibus partibus ponitur totum. Phyſici ut partes corporum valde remotarum, vel exilium diſtinguant, teleſcopia adhibent, & microſcopia.*

## §. XVI.

### Propositiones De Possibili, Et Impossibili.

I. *Præter externam, vel, ut aiunt, cauſſalem, & activam poſſibilitatem, quæ ſita eſt in potentia cauſſæ effectricis, & ultimo in Dei omnipotentia, recte ſtatuitur alia poſſibilitas interna, ſive formalis, aut paſſiva, quæ conſiſtit in ipſa*

*con-*

*convenientia , ſeu non repugnantia notarum alicuius rei.* Nam cognita hac ſola convenientia , vel non repugnantia notarum intrinſecarum alicuius rei, etſi nihil concipiatur de ulla cauſſa effectrice , vere intelligitur rem in ſe eſſe poſſibilem , & aptam ad exiſtendum ; ergo idea internæ poſſibilitatis , & idea notarum rei inter ſe non pugnantium eadem eſt , & diverſa ab idea cauſſæ effectricis ; quia univerſe alius eſt conceptus rei, & alius conceptus cauſſæ, a qua res efficitur ( Log. Schol. §. XXII. n. 4. ) Dein ſiquid Deus produci a ſe poſſe cognoſcit, terminus , ſive obiectum divinæ cognitionis non eſt ſola eius omnipotentia, quæ, cum ſit neceſſaria , profecto non cognoſcitur ut producibilis, ſi ita loqui fas eſt ; igitur obiectum divinæ cognitionis ipſa quoque res eſt, ſive complexio notarum illius inter ſe non pugnantium , quæ eſt poſſibilitas interna eiusdem. Denique ſicut impoſſibilitas quædam interna ſtatuitur , ne tota ratio , cur ea , quæ impoſſibilia dicimus, effici nequeant , ab impotentia quadam , & defectu divinæ potentiæ petenda ſit ; ſic & poſſibilitas interna ſtatuenda eſt , cum præſertim idea noſtra *omnipotentiæ* ipſam rerum poſſibilitatem internam includat , & a nobis concipiatur , ut potentia, quæ efficere poteſt , quidquid intrinſece non repugnat.

II. *Poſſibilitas interna eadem eſt, ac eſſentia , ſeu complexio notarum rei inter ſe non pugnantium*, ut patet ; *neutra vero ab exiſtentia rei diſtinguitur.* Nam ente creato , & exiſtente , reipſa eſſentia entis creatur, & exiſtit ; quod nemo negat. At putant exiſtentiam eſſe quidpiam ſuperadditum eſſentiæ productæ ; At enim hoc ſuperadditum , quale quale eſt , reipſa eſt aliquid , & eſſentiam habet ; an ergo hæc eſſentia per aliam exiſtentiam ſuperadditam denominatur exiſtens , & hæc iterum per aliam , quod eſt abſurdum ; ſi vero id ſuperadditum per ſeipſum exiſtit, id pari ratione de quavis eſſentia, ſive de quovis ente dicendum eſt.

III. *Qui impoſſibile quidquam aſſerit , onus probandi habet*, ſive oſtendere debet, eo poſito ſimul poſitivum & negativum , ſive realitatem , & defectum eiusdem notæ in eodem ente coniungi ; quæ quidem contradictio nonniſi ratiocinio ſæpe eruitur. Sic pugnant ſpiritus & materia , numerus finitus, isque maximus, perfectio finita,

eaque optima abſolute ; item opinione quidem mea ens ab alio, quod exiſtat iam inde ab æterno : libertas indifferentiæ, & determinatio agendi ſecundum principium rationis ſufficientis in ſenſu Leibnitianorum. Siqua res ſupra hominum captum ſit, & anguſta mente noſtra ſatis comprehendi nequeat, eandem tamen ita habere ſe, aliunde innoteſcat, ceu ex teſtimonio divino, neceſſe non eſt, ut pro ea tuenda ceu vera, poſſibilitas intrinſeca a nobis directe demonſtretur, cum id ſine diſtincta eius rei notione fieri haud poſſit ; ſatis igitur eſt, eam vindicare ab adverſantium argumentis, & confutare, ac diſſolvere ea, quibus ei contradictionem adfingere adlaborant.

IV. *Quod Deus ſalva perfectione quadam eſſentiali, & neceſſaria efficere extra ſe nequit, id conſequenter cenſendum eſt ceu abſolute, & intrinſece impoſſibile ;* Nam potentia Dei illimitata efficere poteſt, quidquid intrinſece non repugnat : ſiquid igitur eiusmodi eſſe ponitur, ut potentia illimitata effici nequeat, conſequitur, ut id intrinſece repugnet. Porro quod Deus ſalva perfectione eſſentiali, & neceſſaria quacunque efficere extra ſe nequit, id etiam potentia illimitata effici nequit ; quia perfectiones inter ſe minime pugnant, & potentia nulla eſt efficiendi id, quod obeſt alteri perfectioni.

## §. XVII.

### Explicantur Dicta Ambigua, Quæ Obiici Hoc Loco Solent.

I. Contra propoſitionem I. aiunt 1. *Sublata Dei potentia omnis rerum poſſibilitas tollitur, quia exiſtere nil poteſt, niſi a Deo producatur; igitur in Dei potentia omnis poſſibilitas ſita eſt.* R. d. a. Sublata Dei potentia tollitur poſſibilitas formaliter, ſive ſecundum conceptum, & ideam, n. a. tollitur conſequenter, ut in Prop. IV. dictum eſt, c. a. & n. (Log. §. LII. ) Si ex conceptu noſtro ſive idea hominis tollitur & corpus & anima, ipſa idea hominis tollitur, quæ illa includit : non autem idea eſſentiæ vel poſſibilitatis internæ ideam cauſſæ effectricis neceſſario continet. 2. *Sublata reipſa Dei potentia nulla res poteſt exiſtere ; ergo dici nequit, ſublata Dei potentia manere poſſibilitatem internam, ſive aptitudinem exiſtendi.*

R.

R. d. a. nulla res poteſt exiſtere in ea hypotheſi ex defectu cauſſæ effectricis c. a. ex defectu internæ habilitatis exiſtendi n. a. ( ſi nullus præſto ſit artifex, qui opus quoddam efficiat; id propterea non ſit intrinſecus impoſſibile ) & d. c. ergo ſublata Dei potentia dici nequit, quod maneat aptitudo exiſtendi ſine cauſſa efficiente, c. c. quod maneat aptitudo interna, quæ tamen, ut actu res exiſtat, eget cauſſa efficiente, n. c. 3. *Rem eſſe poſſibilem idem eſt, ac eam a Deo effici poſſe : ergo poſſibilitas in potentia effectrice ſita eſt.* R. d. a. rem eſſe poſſibilem tam-in, quam externe, idem eſt, ac eam effici a Deo poſſe, c. a. rem eſſe ſolum intrinſece poſſibilem, eſt idem, ac eam a Deo effici poſſe, n. a & c. In hunc conceptum : *notæ rei inter ſe non pugnant*, non ingreditur idea cauſſæ effectricis, ſive omnipotentiæ. Inter ideas poſſibilitatis internæ, & externæ, ſeu omnipotentiæ divinæ ſine dubio nexus intercedit, quatenus altera ex altera infertur ; ſed ob hanc cauſſam non eædem ſunt hæ ideæ; uti ſi res eſt cognoſcibilis, infertur, eam reipſa a Deo cognoſci: & ſiquid a Deo reipſa cognoſci ponitur, ſequitur, ut illud cognoſcibile ſit; nec tamen cognoſcibilitas rei in ipſa divina cognitione ſita eſt. 4. *Siqua eſſet interna poſſibilitas rerum, ea dici debet æterna, neceſſaria, & immutabilis: hæc autem prædicata, cum ſoli Deo competant, rerum aliarum eſſentiis tribui non poſſunt.* R. d. M. ea poſſibilitas eſt æterna, neceſſaria &c. Logice, ſive in ſtatu obiectivo, & intentionali. c. M. Phyſice, & in ſtatu reali n. M. Quia impoſſibile eſt, ut notæ rei, quæ inter ſe non pugnant, ſimul inter ſe pugnent; hinc, quod poſſibile eſt, id eſt neceſſario poſſibile, & omnis poſſibilitas dicitur neceſſaria ; & quia fieri non poteſt, ut eædem notæ, quæ poſſibilitatem internam rei efficiunt, nulla addita vel demta aliquando pugnent inter ſe, aliquando non pugnent: idcirco, quod poſſibile eſt, id eſt ſemper poſſibile, & poſſibilitas dicitur æterna, atque immutabilis ; quod enim eſt, id eſt, nec aliter eodem tempore eſſe poteſt; & quoniam per easdem notas, per quas intelligitur poſſibilitas interna, ſimul intelligitur res eſſe id, quod eſt, ſive quoniam eadem eſſentia eſt & poſſibilitas interna, ſequitur, ut eſſentiæ rerum ſint neceſſariæ, æternæ, immutabiles, ſicut poſſibilitas earundem ; recteque dicitur : eſſentiæ rerum ſunt ut numeri; nam neceſſarium eſt, ut poſi-

poſito e. g. ternario, cuius eſſentia ſita eſt in complexo trium unitatum, ponatur reipſa complexum trium unitatum, idque ab æterno, ac ſemper verum fuit, eſtque immutabile; quia fieri non poteſt, ut ternarius, manens ternarius, contineat plures unitates, vel pauciores. Hæc igitur prædicata duntaxat explicato ſenſu, & logice rerum poſſibilitati vel eſſentiis conveniunt. 5. *Si, ut effici quidquam a Deo poſſit, neceſſaria eſt poſſibilitas rei interna, limitatur Dei potentia, quaſi alio indigeret ad operandum, ſicut artifex ſubiecto eget; hoc dici nequit.* R. n. M. Deus alio indiget nempe termino, & obiecto operationis; quo modo etiam intellectus requirit obiectum cognitionis; minime autem Deus alia eget cauſſa adiuvante, & determinante, neque ſubiecto præexiſtente operationis eget, uti cauſſæ finitæ, ſed ex nihilo creat. 6. *Poſſibilitas interna rerum nihil eſt ab æterno: ergo nullam habet cognoſcibilitatem.* R, d. a. Nihil eſt phyſice, ſive quoad ſtatum, realem c. a. nihil eſt logice, n. a. &c. Adpoſite diſtinguunt inter nihilum *negativum*, quale eſt quodvis impoſſibile, quando idem ſimul ponitur, ſimul tollitur, ut adeo nihil reliquum ſit; & inter nihilum *privativum*, vel, ut alii aiunt, poſitivum, quod nunc pro ſtatu reali nihil eſt, at cognoſcibilitatem habet, & aliquid eſſe poteſt.

II. Contra Propoſitionem II. inquiunt 1. *Si exiſtentia eſt ipſa eſſentia, quidvis exiſtit per ſeipſum, ſive per ſuam eſſentiam: id dici nequit, cum ſolus Deus per eſſentiam exiſtat.* R. d. M. quidvis exiſtit per ſeipſum, & per ſuam eſſentiam *formaliter*, quatenus dum concipitur ens exiſtens, concipitur eſſentia exiſtens, c. M. quidvis exiſtit per ſuam eſſentiam *cauſſaliter*, quaſi cauſſa, cur aliquid actu ſit, cum ante nihil fuerit, eſſet ipſa eſſentia rei, n. M. id prius, non poſterius hoc dicimus; An vero illud ſuperadditum, a quo res denominatur exiſtens, per ſuam eſſentiam exiſtit? cur non ipſa eſſentia rei? 2. *Eſſentia eſt æterna, neceſſaria, & immutabilis, non item exiſtentia: igitur diſtinguuntur hæc in tertio, conſequenter inter ſe,* R. d. a. Eſſentia eſt æterna &c. in ſtatu poſſibilitatis, ſive conditionate c, a. in ſtatu actualitatis, & abſolute, n. a. & c. dicitur res concipi, vel eſſe *in ſtatu poſſibilitatis*, quando eius idea duntaxat notas internas exhibet, non item exiſtentiam realem & phyſicam a

cauſſa

cauſſa effectrice pendentem ; quo modo quivis artifex opus ſuum in ſtatu poſſibilitatis prius concipit, quam id ut reipſa iam effectum intueri poteſt ; hic ſtatus poſſibilitatis conditionate exprimitur : ſi exiſteret alter mundus , haberet has , vel illas notas ; at *ſtatus actualitatis*, quo res ut exiſtens , aut effecta concipitur, exprimi ſolet abſolute e. g. mundus exiſtens has notas continet. In ſtatu poſſibilitatis rei tribuitur exiſtentia obiectiva , quatenus res poſſibilis in ſe poteſt concipi , & exiſtentia Logica , vel intentionalis , quando reipſa concipitur , atque obiectum eſt cuiusdam cognitionis. Hic autem agitur de exiſtentia reali , & phyſica. Porro ſi & eſſentia , & exiſtentia eodem ſtatu concipitur, eodemque modo , nihil differunt, & communia prædicata habent. 3. *Eſſentia , & poſſibilitas alterius mundi non eſt ipſa exiſtentia eiusdem : Ergo differunt.* R. d. a. poſſibilitas in ſenſu conditionato , ſive ſecundùm notas internas non eſt exiſtentia abſoluta, c. a. poſſibilitas conditionate ſpectata non eſt ipſa exiſtentia eodem modo ſpectata, n. a. & c. Sed opus non eſt plura iſtiusmodi ſophiſmata attexere ; modo id notetur : Ens , & eſſentia entis , poſſibile , & poſſibilitas , ens exiſtens , & exiſtentia entis non differunt , niſi ſono vocum , quarum altera utrinque concreta eſt, altera abſtracta , ſed ita , ut hæ formæ abſtractæ , ſint metaphyſicæ , nec a ſubiecto denominationis differant ; ſi enim ens eſt idem , ac entis eſſentia , erit etiam ens exiſtens idem , ac eſſentia exiſtens , ſive exiſtentia eſſentiæ. Qui exiſtentiam realem complementum poſſibilitatis vocant, neque exiſtentiæ ideam, quæ ſimpliciſſima eſt , clariorem reddunt, & ad concipiendas formas eſſentiæ exiſtenti ſuperadditas eo vocabulo facile imperitos inducunt.

## §. XVIII.

### Propositiones De Finito.

I. *Quod eſt finitum , non poteſt eſſe maximum , optimum , vel perfectiſſimum* ; nam in idea finiti continetur defectus alicuius perfectionis , vel gradus in perfectione, ut proin quovis finito aliud maius , melius , perfectius concipi poſſit ; ergo quod finitum eſt , nequit eſſe maximum , optimum , perfectiſſimum. Hinc intrinſece repugnat

gnat numerus finitus maximus, extenſio finita maxima, perfectio finita maxima.

II. *Quærere, an poſſibile ſit infinitum potentia, quod Syncategorematicum vocarunt Veteres, eſt idem, ac quærere, utrum numerus, extenſio, vel perfectio finita quævis ſemper augeri poſſit; perſpicuum eſt autem id, quod finitum eſt, ſemper augeri poſſe;* cum in idea ſua defectum contineat, & quovis finito aliud maius poſſit, ac debeat concipi. Dein idea *quanti*, ſive eius, quod augeri, vel minui poteſt, vera eſt, & nihil repugnantiæ continet, nec quantum eſſe non quantum, ſeu tale fieri poteſt, ut porro augeri, vel minui nequeat, cum eſſentiæ immutabiles ſint. Ea autem eſt mentis noſtræ vis, ut ideam cuiuſcunque quanti, quod vel in ſenſus incurrit, vel quod cogitando ipſi efformamus nobis, ita ampliare, atque extendere poſſimus, ut facta quacunque illius ideæ extenſione, ſeu quocunque rei ipſius incremento poſito idea quanti maneat, hoc eſt, rei talis, quæ porro augeri poſſit (de decremento indefinito ſimiliter differendum eſt) Concipiatur idea determinatæ extenſionis, ceu pedis unius Pariſienſis; hanc iterando, & aliquoties velut multiplicando ideas hexapedæ, decempedæ, milliaris, ſemidiametri terreſtris &c. nanciſcimur, illudque una videmus, quamcunque datam dimenſionem ultra augeri poſſe, atque ita augeri, ut nullus augmenti neceſſarius limes omnino concipi poſſit. Idem in numeris fit; ultra quemvis enim datum numerum unitas concipi poteſt, qua prior unitatum collectio augeatur. Et quamvis mens humana haud ſingula incrementa rei, ac ne quidem ſingulas unitates paulo maioris numeri diſtincte ſibi repræſentare poſſit; tamen & idea noſtra quantitatis, & inexhauſta Conditoris potentia, quam poſſibilitatem externam rerum omnium dicimus, eo nos deducunt, ut incrementorum poſſibilitatem omnino interminatam iudicemus; Nec vero attributa ſupremæ illius, atque æternæ mentis aliter in hoc mortali ſtatu ceu infinita attingimus, quam ut remoto in primis omnis imperfectionis genere ad numerum reſpiciamus, extenſionemque actuum, & obiectorum divinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, quæ quidem obiecta nunquam tot, ac tanta a nobis concipi, ac determinate poni poſſunt, quin plura ſemper, & maiora ab inexhauſta, & incomprehenſibili poten-

tentia poni poſſe intelligamus. Quam ob rem ſive ideas noſtras, ex quibus denique unis de rebus iudicare poſſumus, ſive Conditoris* potentiam ſpectemus, ex idea quanti idea augmenti nunquam eripi poteſt, eſtque noſtra cogitandi vis hac parte velut indomabilis, qua ultra omnes limites determinate adſignabiles excurrimus, quia illud, quod actu concipimus ceu finitum, potentiam idem iterato concipiendi, ac veluti addendi minime tollit, neque per ipſam cognitam quantitatem quantitatis idea poteſt deſtrui.

*Quæ obiici hoc loco poſſunt, vix momenti alicuius ſunt; dicunt enim* 1, *Infinitum potentia inſtar unius collectionis ſumi poteſt, uti cum dicimus, mentem noſtram duraturam tota æternitate; ergo nequit ultra augeri. R. N. a. Non ex voce, ſed ex idea æternitatis iudicandum eſt; de qua ſi cogitamus, minime concipimus, durationes aliquando actu fore infinitas, vel ad finem perventuras, ſed præter partes quasdam determinatas alias atque alias excluſo omni fine ſemper ſucceſſuras concipimus. Idea igitur infiniti potentia includit, poſſibilem eſſe progreſſionem mentis ultra omnes limites adſignabiles; & quam parum idea motus, & quietis in eodem coniungi poſſunt, tam parum omnes eius infiniti partes re, vel cogitatione pertranſiri, & inſtar completæ collectionis ſumi poſſunt; partes igitur, quas involvit, ſunt* 1. *determinatæ & finitæ, quæ concipi poſſunt actu poſitæ.* 2, *aliæ, quæ determinate poſſibiles concipiuntur.* 3. *aliæ indeterminatæ, quæ nunquam determinate poſitæ concipiuntur. Sed quale, inquies, eſt hoc totum, cuius omnes partes actu exiſtere non poſſunt? R. eſt totum in potentia, non actu; eſtque ea illius eſſentia, ut nunquam penitus compleatur, aut compleri omnino poſſit. Id quoque notandum, unum infinitum potentia cum alio generis eiusdem ſecundum omnes partes tam determinatas quam indeterminatas comparari non poſſe, quia comparatio fieri non poteſt, niſi in iis, quæ determinata ſunt. Siquis interrogaret, an infinitum ſyncategorematicum oculorum ſit maius infinito ſyncategorematico hominum, perinde faceret, ac ſi quærerem, an ducenta & plura numero ſuperent centum, & plura? ſi autem comparatio ſit ſecundum determinatas partes, erit ea comparatio finitorum, quæ ſine dubio fieri poteſt.*

## §. XIX.

### Propositiones De Infinito Actu.

I. *Numerus actu infinitus repugnat.* Numerorum enim idea fit potentia ampliandi, atque iterandi ideam unitatis; poſita autem quavis collectione unitatum, etſi actu infinitam ponas, non tollitur potentia eandem ideam iterandi, & concipiendi novam unitatem, qua prior collectio augeretur; atque ita idea numeri abſtracte ſumti, quem vocant numerum numerantem, pugnat cum idea infiniti; is enim involvit poſſibilitatem augmenti; iſtuc eandem excludit; ſed, quod forte clarius percipietur, ponatur numerus numeratus, ſive ponantur res e. g. homines, vel globi infiniti numero: igitur ultra hunc numerum hominum, vel globorum non eſt alius poſſibilis numerus maior; ſit ita ſane. At ultra infinitos homines poſſibilis eſt quædam beſtia, & ultra infinitos globos aliquis cubus: nunc vero cum iſta ideam quandam e. g. animalis, corporis, vel ſubſtantiæ habeant communem, concipi iam debebit maior numerus animalium, corporum, vel ſubſtantiarum, quam antea; nunquam igitur concipi poteſt, ullum numerum eſſe infinitum, quia quivis poſitus augeri poteſt, quod repugnat ideæ infiniti actu. Fæcundiſſima hæc eſt propoſitio, quia magnitudo extenſionis, ſucceſſionis, & generatim rerum quarumvis ex partibus compoſitarum, numerorum ope a nobis exprimi poteſt, cum datam magnitudinem bis, ter, quater, centies, ac toties denique ſumi poſſe perſpicimus, quoties libuerit, ita, ut nullum neceſſarium limitem, ſed nonniſi pro arbitrio deſignandum in tali magnitudine locum habere intelligamus. Hinc II. Repugnat extenſum reale actu infinitum; adſumta enim quavis arbitraria menſura e. g. unius pedis, infinitus numerus pedum in eo daretur. III. Tempus reale, quod per ſucceſſiones rerum habetur, actu infinitum eſſe non poteſt; ſi enim quævis duratio e. g. menſis unius, adſumitur, numerus menſium in eo tempore foret infinitus, quod repugnat. Univerſe igitur, ut ſupra innui, idea quanti, quod natura ſua poſſibilitatem augmenti continet, & idea infiniti, quod omne augmentum vi notionis excludit, inter ſe pugnant.

*Nihili eſt diſtinctio inter formaliter, & materialiter maius; nam numerus quicunque in ſe & formaliter ſpectatus poteſt augeri: numerus infinitus in ratione numeri, & formaliter non poteſt augeri; igitur eodem ſenſu infinitum poteſt, & non poteſt augeri. Si dicant: infinitum habet proprietates incognitas, ob quas ceu repugnans a nobis reiici non poteſt. R. Quaſcunque proprietates incognitas fingas, per eas non tollitur idea numeri, & idea infiniti, ac proinde neque contradictio tollitur.*

# SECTIO II.

## *Notiones, ac Propoſitiones pertinentes Ad nexum rerum.*

## CAPUT I.

### *De vario Principiorum, & Cauſſarum genere.*

*Si rerum nexum perſpicere, Philoſophiæ quoddam genus eſt, omnes homines circa res ſuas, vitæque negotia perpetuo philoſophantur, atque ita latiſſime patet hic locus, in primisque cauſſas varii ordinis continet, quemadmodum in præſenti exponemus.*

### §. XX.

*Nihil eſt ſine ratione ſufficiente;* effatum eſt hoc, quod plurimi Philoſophi in Germania poſt Leibnitium & Wolfium perpetuo in ore habent; *Nihil eſt ſine cauſſa*, aiebant vv. Utriusque expreſſionis, etſi non ſit eadem vis; tamen eadem erat adplicatio, & idem uſus, niſi quod Leibnitiani ad Dei quoque, hominumque libertatem principium ſuum pertinere voluerint. Hoc loco quærendum in primis, unde nobis iſtiusmodi generalis veritas innoteſcat; cum omnis noſtra cognitio a ſingularibus ducat originem? Reſpondeo: hæc generalis veritas cuivis homini, qui ſenſuum & rationis uſu pollet, innoteſcit; I. *Ex obſervatione* innumerabilium caſuum ſingularium, in quibus dum aliquid eſt, aut ſit, quidpiam ante poni fere videmus, quo poſito illud

 alte-

alterum eſt, aut ſit. II. *Ex idea contingentis*; nam obſervamus, plurima eſſe, aut fieri, quæ poſſint non eſſe, aut non fieri, quæque ut ſint, vel fiant, nihil in ſe neceſſitatis habent: quia penitus mutabilia ſunt; hinc, cum nemo cogitare queat, nihilum eſſe cauſſam rei poſitivæ, ut, e. g. lapis nunc calidus ſit; alio tempore non ſit; quæque ſunt generis iſtius infinita; concludimus, aliam veram cauſſam, rationemque ſubeſſe, ob quam aliquid, quod ex ſe poteſt æque eſſe, ac non eſſe, potius nunc ſit, quam non ſit. Imo eo progredimur, ut, ſi nulla a nobis cauſſa perſpicitur, cur aliquid ſit, id eſſe ſtatim negemus; in qua re non modo rudes homines, ſed etiam Philoſophi ſæpe hallucinantur, quaſi vero, ſi nulla cauſſa vel ratio a nobis deprehenditur, nulla revera dari, ac ſubeſſe poſſit. III. *Ex animadverſione ad hominum actiones*; quotiescunque enim operamur, cauſſam quandam, vel motivum, aut finem operandi arripimus; uti & interrogati, cur hoc illudve a nobis fiat, ſemper rationem quandam reddere poſſumus, ſi velimus verum fateri. Pariter & alios homines non niſi ob ſtimulos quosdam, aut certos fines propoſitos agere animadvertimus. In his vulgo adhibetur vox, *cauſſa*, vel *ratio*, quamquam longe diſpari ſenſu, uti ſuo loco diſquiram, cum de humana libertate differendum erit,

*Triplex hic modus, quo ad cognitionem generalem eius principii pervenimus, illuſtratione eget; ac I. quotiescunque nobis iam inde a prima ætate ſenſatio grata, vel moleſta accidit, ſemper deprehendimus quidpiam, quo poſito ea excitatur, idque in viſu, auditu, tactu, omnique uſu ſenſuum conſtanter experimur: ſi calore vel frigore adficimur, eius adfectionis rationem extra mentem quærimus: ut famis, ac ſitis moleſtia pellatur, quidpiam requiri a teneris annis diſcimus: ut commodo utamur ſitu, ut aeris intemperiem ne ſentiamus, ut effugiamus varia incommodorum, aut vitæ pericula, utque comparemus ea, quæ ad vitæ uſum aut commoditatem neceſſaria putamus., ſemper requiri aliquid videmus, quo poſito alterum quoque ponatur, vel tollatur. II. Nunc moleſta in nobis, nunc iucunda exiſtit ſenſatio: terra nunc madeſit, nunc arida eſt: aer alio tempore tranquillus eſt, alio agitatus; nunc tenebris obruimur, nunc fruimur luce, ac cælum modo ſerenum eſt,*

*modo*

*modo nubilum: corpora variis directionibus moventur, & diverſis celeritatibus, hoc illove loco collocari poſſunt &c. hæc cum mutabilia videamus, & contingentia, nihilque habentia neceſſitatis ex ſe, ut potius hoc modo, quam alio ſint, faciliime intelligimus, requiri quidquam, cur hoc potius, quam alio modo ſint; ac ex animadverſa rerum conſtante viciſſitudine, quæ ſenſibus noſtris obverſatur, non poſſumus non intelligere, varias res particulares exiſtendi initium recipere ab adplicatione alterius cuiusdam rei, ut, ſi ceram calore liquefieri, aut lignum igne comburi conſpicimus; Ex hac obſervatione ideas noſtras cauſſæ & effectus nanciſcimur, remque aliam cum alia connecti videmus. III. Siquem hominem commotum ira, ac vociferari, ſiquem eiulare, ac flere, ſiquem ad frugem repente rediiſſe conſpicimus, quin aliqua ratio, vel cauſſa ſubſit, nihil dubitamus; ac ſi quid penitus inopinato accidit, uti cum amicum videmus, quem peregre degere, vel plane defunctum iam credebamus, vix ſenſibus noſtris fidem habemus, dicimusque aliquando: vigilone, an ſomnio? propterea quod rationem, cur præſens ſit modo, haud perſpiciamus, & in ſtatu reali nihil ſine cauſſa, & ratione ſufficiente fieri poſſe (uti in ſomnio fit obiective ſpectato) perſuaſiſſimum habeamus. Hisce igitur modis cognitio generalis illius principii nobis ingeritur: ſiquid eſt, aut fit, ſemper requiritur aliquid, cur potius ſit, vel fiat, quam non; & hoc potius, quam alio modo; atque id, quod requiritur ad aliud, huius ratio adpellatur, eritque ſufficiens, ſi nihil præterea requiratur, ſive ſi ex eo plene intelligi queat, cur potius ſit, quam non ſit. Id, quod requiritur ad aliud ponendum, & id, ex quo aliud intelligitur, ſunt binæ expreſſiones, quarum altera ſtatum realem, altera intentionalem, ſive cognitionem mentis plerumque denotat. Illud quoque animadverſione dignum. Sicut in prima infantia obſervatur aviditas videndi, tangendi, atque arripiendi quidvis; ſic in puerili, & in provectiore etiam ætate eam conſtanter conſuetudinem videmus, ut, cum quidquam præter communem uſum evenire videant homines, cuius cauſſam ignorant; cur ita evenerit, ſciſcitentur: qua quidem aviditate ſapientiſſimus Creator providit, ut mens noſtra ideas, & cognitiones rerum, quarum expertes in mundum nos induxit, ſat celeriter acquirat, quantum ad vitæ uſum neceſſe eſt. Id Ariſtotelici trito verbo expreſſerunt: omnis homo ſcire deſiderat*

*derat; cumque progreſſio cognitionis humanæ paulatim, & velut per gradus fiat, ex obviis rerum eventibus primo admiratio, ex admiratione indagatio rerum, cauſſarumque oritur, cum quidvis ſuam rationem, cauſſamque habere minime dubitemus; atque ita philoſophandi ſtudium inter homines invaluiſſe, Ariſtoteles obſervat, qui quidem eam promptitudinem humanæ mentis, quæ non eadem in omnibus eſt, perſpiciendi cauſſas, rationesque, Solertiam vocavit, ab aliis dictam ſæpe Sagacitatem.*

## §. XXI.

*Principium dicitur, unde aliquid eſt, aut fit, aut cognoſcitur;* hinc *Principia eſſendi* ſunt, quæ rem intrinſecus conſtituunt, ceu notæ partiales eſſentiam, & materia ac forma quodvis compoſitum, uti mox dicemus: *Principia fiendi*, per quæ contingens aliquid, & mutabile habet exiſtentiam: *Principia cognoſcendi*, propter quæ aliqua propoſitio habetur pro vera. Quodvis principium tum vi vocis, tum vi definitionis quandam prioritatem habet relate ad illud, cuius principium eſt; alia prioritas eſt rationis, quatenus unum præ alio concipi debet: ceu eſſentia ante attributa: alia originis, quando unum procedit ab alio: alia dependentiæ, & naturæ, quatenus aliquid contingens ac mutabile ad exiſtendum determinatur: alia intentionis, quando unum præ alio intenditur. Præterea quodvis principium habet nexum cum eo, cuius principium eſt; & quidem nexum a priore habet id, quod eſt ratio, vel cauſſa alterius: nexum a poſteriore illud, quod per rationem vel cauſſam eſt, aut fit; nexum a concomitante vocant, quando plura ab eodem principio ſunt, aut fiunt; ſic motus rotæ unius a concomitanti connectitur cum motu alterius.

*Leibnitiani principium vocant, quod rationem alterius in ſe continet: rationem triplicem eſſe aiunt, poſſibilitatis, ex qua intelligitur aliquid eſſe poſſibile; actualitatis, quando quidpiam determinatur ad exiſtendum; & cognitionis, ex qua intelligitur, quidpiam eſſe verum; nam aiunt, quæri poteſt, an aliquid ſit poſſibile, vel cur exiſtat, aut habeatur pro vero: ſed quæſtio, an aliquid ſit poſſibile, niſi dubium ſit, an notæ*

*notæ inter ſe non pugnent, facit hunc ſenſum, an hoc ens ſit hoc ens, vel cur A eſt A, quod eſt nugatorium* (§XI. n.I.) *Poſſibilitas interna, & eſſentia rei, ſiquo principio nititur, ad principium contradictionis pertinet, vi cuius quidvis eſt id, quod eſt. Ipſe Leibnitius, qui maxime uſurpavit hoc principium rationis ſufficientis, illud a principio contradictionis ſegregavit, & ad facta, hoc eſt, ad ea, quæ aliter ſe habere poſſunt, adſtrinxit. Alii vero eius Sectatores, cum pro duplici veritatum genere, quarum aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ contingentes, duplex ſtatui debere principium adſerant, pro illis quidem principium contradictionis, pro iſtis principium rationis ſufficientis; poſtmodum eiusmodi notiones cum vocabulis: ratio ſufficiens, alligant, ut cum principio contradictionis confundatur; quaſi vero, ſi novas cum vocibus ideas pro arbitrio nectant, propterea novas in re literaria inventiones proferrent; magis proprie fortaſſis adhibetur ad explicandum nexum attributorum cum eſſentia; quamvis attributa quoque ſint eius generis, ut non foret hæc eſſentia, niſi eſſent talia attributa; conſequenter hæc quoque ad principium contradictionis pertinent, quo tota nititur Matheſis pura,*

## §. XXII.

*Cauſſa eſt principium rei contingentis & mutabilis:* omne vero contingens, & mutabile, quod exiſtentiam accipit ab alio, nempe a cauſſa, dicitur ab ea *dependens*, vel *cauſſatum*, plerumque *effectus;* cauſſa igitur a priore connectitur cum effectu, effectus cum cauſſa a poſteriore. *Cauſſa Phyſica* eſt, cuius exiſtentia realis a priore connectitur cum effectu: *cauſſa intentionalis*, cuius exiſtentia ſolum intentionalis, ſive quatenus cognita eſt, cum effectu a priore connectitur. Utrumque cauſſæ genus varias ſpecies, ſeu formas habet.

*Notio principii latior eſt, quam cauſſæ; non enim omne principium eſt cauſſa, etſi omnis cauſſa ſit principium; Filius divinus, cum a Patre ſit genitus neceſſitate æterna, atque abſoluta, ſitque eiusdem cum Patre naturæ, minime contingens, aut factus, ſeu effectus, neque inſufficiens ad exiſtendum, vel dependens dici poteſt; & Pater divinus non illius cauſſa, ſed principium eſt, quamquam*

*Græci vocem* αιτια *, quam cauſſam nos interpretamur, latius ſumunt: pariter actus Dei liberi, etſi contingentes ſint, cum mutabiles non ſint, in Deo principium, non cauſſam habere dicuntur.*

## §. XXIII.

Cauſſa Phyſica alia eſt *intrinſeca*, nempe materia & forma, quæ inſunt in compoſito; illa concipitur ut pars determinabilis, hæc ut determinans, quia per formam, ſive compoſitionis modum fit, ut ſit hoc compoſitum, non aliud, & ad hanc ſpeciem, non ad aliam pertineat; idcirco aiunt: *forma dat eſſe* rei. Alia eſt cauſſa Phyſica *extrinſeca*, nempe vel *efficiens*, quæ vi quadam & actione effectum ad exiſtendum determinat; vel *materialis extrinſeca*, ſive ſubiectum præexiſtens, quod dein, ſi formam recipit, vocatur materia, ſive cauſſa materialis intrinſeca. Cauſſa efficiens vel eſt *ſolitaria*, aut *totalis*, quæ nullius alterius cauſſæ efficientis adminiculo eget, vel *ſocia* aut *partialis*: alia *principalis*, quæ vi propria agit, ut gladiator: alia *inſtrumentalis*, quæ agit vi aliena, ut gladius: iterum alia eſt *cauſſa per ſe*, quæ effectum edit, ad quem a natura quodam modo deſtinatur: alia *cauſſa per accidens*, quæ præter deſignationem animi vel naturæ edit effectum: denique alia cauſſa efficiens *libera*, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere, vel non agere; & rurſus alia *neceſſaria*, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis agit neceſſario.

*Cauſſa materialis ſeu materia in catena eſt ferrum vel aurum, in pane farina, in corpore humano pulvis & cinis: in quovis naturali corpore principia chymica, denique & prima elementa, ſeu Monades, puncta, vel moleculæ, ex quarum vario compoſitionis modo, ceu forma fit corpus naturale, quod reſolvi dicitur in ſua principia. Nomen rei tribuit forma, qua amiſſa res interit, nomenque amittit; dicitur hæc materia, ex qua aliquid fit: alia eſt materia, in qua recipitur quidquam, ceu characteres in charta, vel marmore, aut ære: quæ ſunt ſubiectum inhæſionis: itidem alia eſt materia, circa quam actus vel habitus mentis noſtræ verſatur, quod etiam obiectum materiale vocatur, vel ſubiectum, aut ſubiecta materies, uti ſunt operationes mentis relate ad Logicam: per obiectum formale denotant modum,*

*vel*

*vel rationem, qua circa materiale obiectum verſamur; uti ſiquis animum eſſe immortalem iudicet ob vim demonſtrationis ſcientificæ, alius ob revelationem Dei; eiusmodi iudicia, vel actus idem habent obiectum materiale, non item formale.*

## §. XXIV.

Cauſſa efficiens vel ſpectatur in *actu primo*, id eſt, ut poteſtate agendi prædita: vel in *actu ſecundo*, ſive reipſa iam agens. *Actus primus remotus* dicitur ſola potentia cauſſæ effectricis in ſe ſpectatæ: *actus primus proximus* eſt complexum tum ex cauſſa effectrice, tum ex aliis requiſitis: ac quodvis eiusmodi requiſitum, quod vi activa caret, ad actionem tamen neceſſarium eſt, nuncupatur *conditio, ſine qua non* ponitur effectus. Igitur ad actum primum proximum pertinet, 1. exiſtentia ſubiecti, circa quod actio verſatur. 2. Eiusdem diſpoſitiones tum poſitivæ, quæ in aptitudine quadam illius ad recipiendum effectum conſiſtunt; tum negativæ ſitæ in remotione impedimentorum. 3. Debita cauſſæ agentis ad ſubiectum adplicatio. 4. Univerſe ad agendum requiritur adplicatio divinæ Omnipotentiæ, quæ tria involvit, *primo*, conſervationem cauſſæ effectricis; *ſecundo*, conſervationem ſubiecti; *tertio* negationem decreti divini actionem impediendi, ſive ad actionem non concurrendi. Omnia hæc requiſita a priori connexa ſunt cum effectu, atque idcirco ſunt natura priora, ſive in ſigno priori naturæ, effectus vero in ſigno naturæ poſteriori. Quapropter natura prius, & poſterius non tempore, ſed ordine quodam & relatione diſcrepant, quæ inter effectum, & cauſſam, aliasque diſpoſitiones a priori requiſitas intercedit; nam potentia & actus eodem momento reipſa coexiſtunt, quia actio ſine poſſibilitate agendi nulla eſt. Denique id, ob quod cauſſa a priori connexa cum effectu denominatur, eſt *Cauſſalitas*.

## §. XXV.

Cauſſarum intentionalium alia vocatur *moralis*, quæ ut cognita, & independenter ab actione exiſtens movet ad agendum; ut, ſi cognita miſeria ad ferendam opem nos movet; alio ſenſu dicitur moralis ea, quæ ſecundum mores & iudicia hominum æquipollet efficienti, dum

quis exemplo, iuſſu, conſilio, ope & quidem ad effectum prævifum concurrit; cenſetur enim aliquis facere per ſe, quod facit per alium. Alia eſt *cauſſa finalis*, *ſeu finis*, nempe id, cuius obtinendi gratia aliquid fit, ſive quod per ipſam actionem cupimus obtinere; ſic belli gerendi finis eſt victoria; cauſſa moralis fortaſſis illata iniuria; non igitur nihil intereſt inter moralem cauſſam, & finalem; nam moralis ad agendum movet ob bonitatem, vel malitiam rei exiſtentis independenter ab actione: finis movet, ut ſit, ſive obtineatur per actionem. *Medium* dicitur, quod rationem continet, cur finis obtineatur: impedimentum, quod rationem continet, cur non obtineatur, vel tardius certe quidem, aut difficilius. Fieri poteſt, ut una eademque actio reſpiciat plures fines A & B; ac tum, ſi quis non ageret ob finem A, niſi obtineret B; hic finis B dicitur *principalis*: alter A, *Secundarius*: ſiquis utrumque ita reſpiciat, ut ob quemvis ſeorſim, & ab altero ſeiunctum ageret, uterque erit æque principalis. Cauſſa *idealis* eſt exemplar illud, ad quod cauſſa effectrix in agendo reſpicit; ut ſunt regulæ artium, vel prævia delineatio operis; Sic Poetæ quique, & Oratores optimi ſunt cauſſæ ideales imitationum, quas conamur effingere. Additur a quibusdam cauſſa occaſionalis, cuius cognitio ſine boni, vel mali repræſentatione cauſſam effectricem ad agendum determinat; ut, ſi quis plures homines in certum locum concurrentes videns ſe determinat ad greſſus ſuos eodem flectendos. Aliter de cauſſa occaſionali loquuntur Carteſiani.

*Id, quod voluntatem determinat, ut quis finem cupiat obtinere, a nonnullis vocatur cauſſa impulſiva, quæ cum morali, quam primo loco expoſui, videtur congruere; cupit quis obtinere dignitatem per actionem ſuam: dignitas ergo finis eſt. Cauſſa impulſiva, cur obtinere cupiat, poteſt eſſe promiſſio ipſi facta. Ant. Genuenſis ait: finis eſt ratio ad agendum potius, quam non agendum inflectens animum; eamque fere amorem eſſe, vel deſiderium alicuius rei inquit. Alii reſpondent: amor & odium ad cauſſas impulſivas potius pertinent, quia finis per actionem quæritur: amor & deſiderium, vel odium iam præſto ſunt; at enim recte meo iudicio ſentit Genuenſis, etſi non ſatis explicet men-*

*mentem ſuam ; quia bonum , & malum , ſeu finis non habet vim movendi , niſi amoris , vel deſiderii ſtimulos excitet , & animo moleſtiam quandam , vel anxietatem inferat. Ex his notionibus , quas adhuc recenſuimus , varius rerum nexus perſpicitur ; quævis eſſentia cum ſuis eſſentialibus notis , attributa cum eſſentia , totum cum partibus , compoſitum cum materia & forma , quodvis principium & quævis ratio ſufficiens connectitur cum eo , quod principiatum , vel rationatum dicitur ; inprimis vero principia cognitionis cum eo , quod ex iis infertur , connexa ſint , oportet ; quia nulla eſt ratiocinatio , ſi inter antecedens ſeu principia , & inter conſequens nullus eſt nexus. Quævis res contingens cum cauſſa efficiente , variisque requiſitis nexum habet ; & , ſi cauſſa effectrix pollet intelligentia , cum cauſſa quoque finali , & ideali , quæ ad formalem nonnunquam revocatur.*

## §. XXVI.

Fieri poteſt , ut illud , quod alterius ratio , vel cauſſa eſt , aliam habeat rationem vel cauſſam eiusdem generis , & hæc itidem aliam generis eiusdem , atque ita porro , ut ſemper quæſtio redeat , unde hæc poſterior cauſſa ſit , niſi veniatur ad aliquam , de qua idem quæri non poteſt ; Sic oritur ſeries rationum & cauſſarum A, B, C, D, &c. quæ ſecundum ideam cauſſæ & effectus a ſe pendent. In tali ſerie ratio , vel cauſſa proxima eſt , inter quam , & effectum nulla alia intercedit ; ſi vero inter effectum , & datam cauſſam alia cauſſa , vel plures aliæ ſunt intermediæ , data cauſſa vocatur remota ; vel remotior ; *Eiusmodi cauſſæ , quarum aliæ relate ad quendam effectum ſunt propinquiores , aliæ remotiores* , dicuntur *ſubordinatæ* , quia ordinem quendam ſecundum prius & poſterius continent ; ac

I. In ſerie cauſſarum efficientium , ſi una ab altera pendeat in ratione cauſſalitatis , ita , ut actio unius ſit cauſſa actionis alterius , eæ cauſſæ ſunt *eſſentialiter ſubordinatæ* ; hoc modo e. g. mors pendet a vulnere , vulnus ab actione ſagittæ , huius actio ab actione arcus tenſi , & remiſſi : actio vero arcus ab hominis cuiusdam actione. At vero ſi actio entis A eſt cauſſa exiſtentiæ , non autem cauſſa actionis entis B, ſunt eæ *cauſſæ accidentaliter ſub-*

*ordinatæ*; etſi eius hominis, a quo arcus eſt tenſus, ac remiſſus, pater ſit Caius; non continuo Caius eſt cauſſa vulneris, ac mortis; quia ab eo duntaxat exiſtentia interfectoris, non ipſa actio pendet. Quapropter, ut vera cauſſarum ſubordinatio habeatur, dependentia earundem non modo quoad exiſtentiam, verum etiam cauſſalitatem & actionem, ſeu influxum, ut aiunt, neceſſaria eſt.

II. Cauſſæ finales ſubordinantur, ſi finis, quem quis agendo proxime obtinere cupit, intenditur ut medium alterius finis conſequendi, qui pariter inſtar medii ad finem alium eſſe poteſt; Finis quicunque, qui eſt medium alterius, vocatur *intermedius*. *Finis ultimus eſt*, ad quem referuntur alii intermedii fines, quique non refertur ad alium; neque hoc loco quæritur, quis finis ab agente ſpectari poſſit, vel debeat, ſed quis ab eodem reipſa ſpectetur. Subordinatio finium poteſt eſſe hæc: pecuniam petis, ut librum emas: emis, ut legas; legis, ut erudiaris; erudiri vis, ut deinceps in aliis ſcientiis aut vitæ negotiis doctrina utaris: uteris, ut beatus ſis, ac Dei gloriam illuſtres.

III. Cauſſarum materialium ſeries concipi poteſt in transmutationibus, id eſt, corruptionibus, & generationibus corporum, quorum plurima, præſertim vegetabilia circulationem quandam in natura habent; ex ſemine, & nutrimento fit planta, ex planta cibus, ex cibo chylus, ex chylo ſanguis, atque ita porro. Hæc quidem ſeries potius ad cauſſam formalem videtur pertinere, ſed quia loquendi modus non eſt momenti alicuius, malui retinere ſimilem declarationem, quam Aristoteles L. II. Met. text. 5. adfert. Aliud exemplum ſeriei in cauſſa materiali habetur, ſi ſpectatur diviſibilitas corporum in partes, & harum in alias minores, atque ita deinceps.

V, Series cauſſarum formalium fit in analyſi definitionum, atque in reſolutione demonſtrationum usque ad primitiva principia, & notiones ſimplices, vel ſi in linea prædicamentali e. g. ab individuo hominis ad ſimpliciſſimam Entis ideam aſcenditur.

§. XXVII.

## §. XXVII.

Propoſitio I. *Ex nihilo nihil fit.* Senſus eſt I. Nihilum non poteſt eſſe cauſſa vel ratio ſufficiens alicuius rei ; quod probatione non eget. II. Nihilum non poteſt eſſe ſubiectum vel materia, quæ a forma determinari, ac perfici poteſt; nam in ente compoſito materia eſt ipſum ſubiectum reale, cuius partes vario modo combinantur; ens ſimplex, ceu anima, ſubiectum non habet ab ipſa forma diſtinctum.

## §. XXVIII.

Propoſitio II. *Effectus ſunt proportionales ſuis cauſſis, & cauſſæ effectibus.* Id ad cauſſas neceſſarias in primis pertinet: nam cauſſa libera, etſi nunquam maiorem effectum ſua virtute, vel potentia agendi producat; tamen aliquando minus agit, quam poſſet agere, ut, ſi non omnem vim cogitandi, attendendi, movendi &c. adplicamus, quæ in nobis ineſt. Ut igitur ſenſus propoſitionis pateat, nota: *effectus plenus eſt* omne id, quod per hanc actionem huius cauſſæ obtinetur, & *vis integra cauſſæ* eſt, quæ ad hanc actionem nunc adhibetur; ſi iam effectus foret maior ſua cauſſa, exceſſus eſſet ſine omni cauſſa, quod repugnat: ſi autem vis integra cauſſæ maior effectu ponitur; eſſet cauſſa neceſſaria proxime expedita ad agendum ſine actione, & effectu; quod eſt contra notionem cauſſæ neceſſariæ; nam cauſſa neceſſaria agit, quantum poteſt, & quamprimum poteſt, & quamdiu poteſt agere, neque fieri poteſt, ut ullus gradus virium otioſus conſiſtat; quod eſt palmare diſcrimen inter cauſſam liberam, quæ pro arbitrio ſe movet, & cauſſam neceſſariam; Ex his ſequentia fluunt: 1. Cauſſa neceſſaria manens eadem ſemper agit idem: 2. Cauſſæ neceſſariæ æquales æqualibus temporibus æquales producunt effectus, inæqualibus inæquales. 3. Cauſſæ eædem eosdem, ſimiles pariter effectus ſimiles gignunt.

*In idem recidit hæc propoſitio: nemo dat, quod non habet, vel plus, quam habet: &, potentia perfectionem, & magnitudinem effectus adæquate in ſe continet; dicitur autem potentia, vel cauſſa, in qua ineſſe concipimus potentiam*

*tiam, præcontinere effectum* 1, *Formaliter*, *ſi & in cauſſa & in effectu eadem, vel ſimilis perfectio eſt, uti in generationibus plantarum, & animalium.* 2. *Eminenter*, *ſi cauſſa perfectionem longe maiorem habet, quam effectus, uti artifex relate ad opus, & Deus comparate ad perfectiones omnium rerum creatarum;* 3. *Virtualiter vel æquivalenter; quomodo cauſſæ intentionales vim quandam movendi, & determinandi in ſe continent; Haſce cauſſas inprimis ſpectant Oratores in coniecturis de facto; uti Cicero ait L. II. de Inv. „ Caput illud erit accuſatoris, ſi demonſtrare poterit, alii „ nemini cauſſam fuiſſe faciendi; ſecundarium, ſi tantam, „ & tam idoneam nemini; „ cumque eadem cauſſa non eandem apud omnes vim movendi habeat, addit: „Magnopere conſiderare oportebit, non quid in veritate modo, „ verum etiam, quid in opinione eius, quem arguet, fuerit; nihil enim refert, non fuiſſe, aut non eſſe aliquid „ commodi, vel incommodi, ſi oſtendi poteſt, ei viſum eſſe, „ qui arguatur. Univerſe iſta axiomata referenda ſunt ad cauſſam adæquatam, & ſolitariam; ſi plures fuerint cauſſæ ſociæ, ſingulæ partim, omnes coniunctim perfectionem effectus continent, atque idcirco in naturæ inveſtigatione & quantitas effectus, & magnitudo virium cauſſæ ad calculum revocanda eſt, ut de proportione & veritate iudicium fieri poſſit; ſimiliter ex artefacto, ſeu opere de perfectione artificis iudicamus, negamusque eum auctorem fuiſſe e. g. poematis, cuius ingenium eidem conficiendo par non eſſe novimus.*

## §. XXIX.

Propoſitio III. *Nullum Ens contingens poteſt eſſe cauſſa ſuiipſius*, ſive nihil poteſt ſeipſum primo producere; nam cauſſa efficiens agit; & actio involvit exiſtentiam: effectus vero tum demum exiſtere intelligitur, cum cauſſa agit; igitur idem omnino ens exiſteret, utpote cauſſa agens: non exiſteret, cum ponatur eſſe effectus: id vero repugnat. Dein cauſſa a priore connexa eſt cum effectu; hic a poſteriore cum cauſſa: ergo idem relate ad idem & prius eſſet, & poſterius ſeu non prius. Denique tale ens per ipſam actionem acquireret potentiam ponendi eam actionem; quæ quidem omnia manifeſte abſurda ſunt, ſi de eodem genere cauſſalitatis ſermo eſt.

§. XXX.

## §. XXX.

Propoſitio IV. *Quod eſt cauſſa cauſſæ, eſt etiam cauſſa cauſſati*, pertinet ad ſeriem cauſſarum, quæ eſſentialiter ſubordinantur (§ XXVI) Si enim E habet cauſſam D, & D cauſſam C; effectus E remote etiam habebit cauſſam C; quia non exiſteret, niſi poſito C. Hinc duo non poſſunt ſe mutuo primo producere, ita, ut A producat B, & B producat A; nam quodvis eorum eſſet cauſſa ſui ipſius, quod repugnat per Prop. præc.

## §. XXXI.

Propoſitio V. *In nullo genere cauſſarum in infinitum procedi poteſt*, maximum uſum habet in cauſſis efficientibus; verum de aliis quoque generibus breviter declaranda eſt. ac

I. *De cauſſa materiali.* Mutationes, ac transformationes non poſſunt eſſe infinitæ, quia aliæ præterea plures adiici poſſunt. Dein ſi in diviſione totius procedi in infinitum poteſt, *actu* continet partes, & ſubſtantias infinitas; nam diviſibilitas & diviſio non facit partes in iis, quæ reipſa ſunt aliquid, ſed ſupponit. Utrumque videtur repugnare §. XIX.

II. *De cauſſa formali.* Perſpicuum eſt attendenti ad ideas ſuas, quod in earum reſolutione denique ad ſimplices veniatur; idemque in analyſi cuiusvis demonſtrationis fit; ſi enim nulla eſſet propoſitio indemonſtrabilis, analyſis nullum finem, ſyntheſis nullum initium haberet, ut nec, ubi inchoandum eſſet, nec ubi ſiſtendum, ſciremus. Idcirco Leibnitius Princip. §. 35. ait: *Dicuntur axiomata, & poſtulata, aut verbo principia primitiva, quæ probari nequeunt, nec probatione indigent: atque iſtæ ſunt propoſitiones identicæ.*

III. *De cauſſa finali.* Infiniti fines non ſunt cognoſcibiles; & idcirco operamur omnes, ut quidpiam obtineamus, ſive ut perveniamus ad aliquem terminum, in quo ſiſtere cogitamus; quapropter eſt finis quidam ultimus; ac ſi is ſpectata ſua notione referri ad alium finem poſſit, vocatur ultimus ſecundum quid, nempe relate ad eas actiones, per quas tum intenditur; finis ſimpli-

pliciter ultimus eſt, qui ultra referri, & ordinari ad alium finem nequit; ſæpe contingit, ut bonum, quod mens intendit ceu finem, poſſit ad alium finem referri, etſi illud non referat, neque etiam eundem excludat; ac tum id bonum finis negative ultimus nuncupatur. Porro, ut æquivocationes vitentur; bonum, cuius gratia mens agit, ſi in ſe præciſe ſpectetur, eſt *finis*, *qui* intenditur: ſi vero idea boni iungitur cum poſſeſſione & fruitione illius, id adpellatur *finis*, *quo* id reipſa obtinetur; ſi denique ſpectatur ens, in cuius gratiam bonum quæritur, erit illud ipſum *finis*, *cui* intenditur; in nullo horum finium genere procedi in infinitum poſſe, ex dictis liquet.

IV. *De efficientibus cauſſis* ſi quæritur, an procedi in infinitum poſſit, duplex videtur quæſtionis ſenſus eſſe, *primo*, an poſſibilis ſit cauſſarum, & effectuum ſeries infinita; de quo iudicari poteſt ex §.XIX. *ſecundo*, an permiſſa tali ſerie etiam infinita, effectus cuiusdam vera, & abſoluta ſufficientia intelligi, vel haberi poſſit; atque iſtuc in præſenti evolvendum eſt; in quem finem nota: Ratio vel Cauſſa *Prima* dicitur, quæ ex ſe habet vim movendi, producendi, vel agendi quomodocunque: Ratio vel Cauſſa *Media*, quæ movetur, ſeu producitur ab alia velut priore, & movet, vel producit aliam poſteriorem in eodem genere cauſſalitatis: ratio vel cauſſa *ultima*, quæ movetur vel producitur, ſed non movet, vel producit, quo ſenſu potius effectus ultimus ſeriei adpellanda eſt. Per motum intelligo quamcunque productionem, vel actionem: igitur primum ens ſeriei movet, ſed non movetur: medium & movet & movetur: ultimum movetur, ſed non movet. His poſitis dico:

*Poſita vel permiſſa quacunque ſerie etiam infinita, nec ultimum ens, nec quodcunque medium abſolute exiſtere intelligitur, niſi ponatur cauſſa prima*, atque hoc ſenſu in genere cauſſarum efficientium in infinitum procedi nequit. Sint tria entia e. g: baculus, manus, anima. Ultimum nempe baculus non eſt cauſſa motus omnium; quia nullius eſt cauſſa; movetur enim, ſed non movet, ex hyp. Alioquin non intelligitur eſſe ultimum; nec medium eſt cauſſa omnium, quia non niſi ultimi eſt cauſſa: ergo primum, nempe anima erit cauſſa motus reliquorum, quæ ſi vim moven-

movendi ex ſe habeat, quin ab alio moveatur, erit cauſſa prima: ſi aliunde movetur, eſt inſtar medii, uti manus, adeoque non erit prima cauſſa. Quotcunque vero ponantur media, omnia inſtar unius ſunt, quia in hac idea conveniunt: *ſunt media, ſive moventur, & movent*; nec ſi ponantur infinita media, motus abſolute exiſtet, niſi detur *prima* cauſſa movens: omnes enim excepta ultima, habent rationem medii; & quemadmodum ſi tria ponantur, ante ſecundam cauſſam moventem requiritur prima movens; ſic ante omnem mediam requiritur alia, quæ nec ſit ultima, nec media, ut adeo quacunque ſerie cauſſarum poſita tres duntaxat ideæ habeantur, entis ultimi, medii, & primi. Idem patet in numero e. g. 100, a quo ſubtrahendus ſit numerus quivis minor. Ultimus zerus accipit valorem ab alio, ſed non dat alteri: medius zerus & accipit valorem & dat: unitas, ſeu primus numerus ſiniſtimus dat, ſed non accipit. In catena ſuſpenſa ultimus annulus ſuſtentatur, ſed non ſuſtentat; quivis alius & ſuſtentatur, & ſuſtentat, denique ſiſtitur in fulcro, quod ſuſtentat, ſed non concipitur ſuſtentari; tres igitur in his quoque ideæ occurrunt, ultimi, medii & primi; nec ultimum vel quodvis medium abſolute poni poteſt, niſi poſito primo. Ex his conſequitur 1. Cauſſa, quæ ordine ſynthetico a nobis prima dicta eſt, ordine analytico vocatur ultima. 2. Deus dicitur cauſſa prima, primum movens, & primum determinans, quia a ſe, & in ſe vim movendi, & agendi habet: cauſſæ creatæ vocantur *ſecundæ*, quia ſunt mediæ, & movent, ac moventur. 3. Si ponuntur cauſſæ infinitæ moventes, omnes ſunt mediæ; imo cuiuslibet infiniti diviſibilis, ſive in genere cauſſæ, ſive in genere magnitudinis omnes partes ſunt mediæ; ſiqua enim pars media non eſſet, foret prima vel ultima in ratione ſucceſſionis vel coexiſtentiæ: idea autem infiniti in ea ratione ideam primi, & ultimi excludit: cumque in infinito nulla ſit cauſſa prima, tolluntur omnes mediæ; in finito & primum eſt, & ultimum: nec omnia ſimiliter media ſunt; alia enim magis adpropinquant primo, alia magis ultimo; quod locum non habet in infinito.

*Juvat aliorum quoque Philoſophorum demonſtrationem, quæ re, & ſententia cum noſtra convenit, adnectere,* tum

*cum res iſta ſummi momenti ſit, nosque de noſtra ipſorum exiſtentia cogitantes per unicum gradum intermedium ad Creatorem, ſeu cauſſam primam deducat; quia omnes cauſſæ mediæ inter nos, & Creatorem in ratione medii conveniunt, itaque unica idea comprehenduntur. Sic igitur aiunt : Si quodcunque ens, vel ſeries entium etiam in infinitum producta concipiatur, ut abſolute exiſtens, ponenda eſt cauſſa prima, quæ exiſtit a ſe, ſive quæ rationem exiſtendi in ſua eſſentia contineat; nam ens quodcunque A ſeriei abſolute poni non poteſt, niſi ponatur eius cauſſa proxima, & quia hæc ex hypotheſi non eſt prima, ipſa abſolute poni non poteſt, niſi ponatur alia reſpectu A remota, & quia ex hyp. neque iſta eſt prima, etiam ipſa poni non poteſt, niſi ponatur remotior, atque hoc totum valet, quantumcunque producas ſeriem cauſſarum aliarum ex aliis etiam in infinitum, tota non ponetur abſolute, niſi ponatur cauſſa prima, quæ exiſtentiæ ſuæ rationem non contineat in alia, & de qua eadem quæſtio, unde exiſtat ipſa, minime redeat, ſive quæ non comprehendatur ſub notione entis ab alio. Ex his pariter deduces 1. Poſito ente unico, vel pluribus quotcunque velis, ponenda eſt cauſſa prima. 2. Si non exiſtit cauſſa prima, quæ a ſe, & vi ſuæ eſſentiæ exiſtit, nihil exiſtit abſolute, imo nihil exiſtere abſolute poteſt: ea cognita & deprehenſa in cauſſarum, & effectuum analyſi omnibus quæſtionibus ſatisfieri poteſt; nec iam alia ratio a principio contradictionis diſtincta de exiſtentia cauſſæ primæ reddi poteſt: eadem cauſſa deprehenſa omnium aliarum cauſſarum & effectuum ratio adæquata habetur, quia analyſis finem habet, & in eo genere nihil ſupereſt cognoſcendum: præterea cauſſa prima ratiocinando inventa habetur ratio abſoluta omnium, cum omnes intermediæ cauſſæ non niſi conditionate ſufficiant, ſi nempe moventur a cauſſa prima, quæ non movetur ab alia; atque hoc denique modo ex ente producto, & contingente evidentiſſime demonſtratur exiſtentia entis neceſſarii & improducti, quia, ut ens productum & contingens abſolute exiſtat, neceſſaria eſt cauſſa prima, ſive ſufficientia abſoluta, adæquata, & ultima, quæ non niſi in cauſſa prima continetur, quam idcirco ſufficientiſſimam adpellant. Id alii conficiunt hoc argumento: in ſingulis contingentibus vi eſſentiæ & notionis non datur ea ſufficientia: ergo nec in tota collectione contingentium; quia prædicatum, quod ſingulis vi eſſentiæ competit, additione*

*pluri-*

*plurium tolli, ſive everti nequit: porro enti contingenti vi eſſentiæ convenit, ut abſolutam, ultimam & adæquatam ſufficientiam non habeat; igitur idem de tota ſerie etiam infinita concludendum eſt: inde infertur, & totam eam ſeriem eſſe contingentem, neque eam ab ente neceſſario, ad quod veniendum denique eſt, vi eſſentiæ & neceſſario productam eſſe; ſecus ipſa ſeries non eſſet contingens. Hinc Leibnitius Princip, Phil.* §, 37, & 38. *de ſerie infinita contingentium ait:* „ *Quemadmodum tota hæc ſeries non niſi* „ *alia contingentia anteriora involvit, quorum unumquodque ſimili analyſi opus habet; ubi rationem reddere voluerimus, progreſſus nil iuvat: neceſſe eſt rationem ſufficientem, ſeu ultimam extra ſeriem contingentium reperiri, quantumvis infinita ponatur. Propterea quoque ratio ultima rerum in ſubſtantia quadam neceſſaria contineri debet, in qua ſeries mutationum non niſi eminenter exiſtat, tanquam in fonte ſuo.*

## §. XXXII.

Propoſitio VI. *Omni fini ineſt bonitas ſaltem adparens*; nam quod quis intendit, id adpetit; quod adpetit, ut bonum ſibi repræſentat; fini ergo ineſſe bonitas debet, quæ eſt ratio, ob quam finis denominatur cauſſa, ſive determinans ad exiſtendum; in ea bonitate proinde cauſſalitas finis ſita eſt. Sufficere bonitatem adparentem, experientia in dies comprobat, ut, cum homines, quemadmodum Tullius inquit L. II. de Inv. *Aut id, quod bonum eſt, malum putant, aut contra, quod malum eſt, bonum: aut quod nec malum eſt, nec bonum, malum aut bonum; aut quod malum, aut bonum eſt, nec malum, nec bonum.* Præterea id bonum pro poſſibili eſt habendum: quæ enim fieri aut obtineri non poſſe opinamur, vim movendi non habent. Intelligitur plerumque, quod & *moraliter* poſſibile eſt; idque maxime in deliberando ſpectatur, poſſitne effici, nec ne; & quam facile poſſit; in quo non ſolum de bono propoſito, ſed maxime etiam de facultate id conſequendi diſſeritur. Denique, ut coniungamus, quæ ad hoc cauſſæ genus referuntur, illud perſpicuum eſt: qui ſerio vult finem, velle debet media, cum in his ratio obtinendi finis conſiſtat.

# CAPUT II.

## *De Nexu rerum mundanarum inter ſe quoad cauſſas Efficientes.*

*Per Mundum intelligo ſeriem omnium rerum ſimultanearum, & ſucceſſivarum, mutabilium, atque inter ſe connexarum; proin Deus extra hanc ſeriem ſive collectionem ponitur, ita, ut ſemper ex una parte res productas, contingentes, & mutabiles; ex altera ens improductum, neceſſarium, atque æternum & immutabile ſpectare debeamus, quemadmodum ſequentes diſquiſitiones facient palam. Nihil autem adferemus, quod ex ideis, quas ſolo uſu ſenſuum & naturalis facultatis cogitandi vulgo colligunt homines, non intelligatur, aut certe quidem ex notionibus & propoſitionibus adhuc ſtabilitis deduci non queat.*

### §. XXXIII.

Mutationes, quæ obſervantur in mundo, non contingunt, niſi poſitis quibusdam, a quibus determinari videntur. Plerumque corpora aut non incipiunt exiſtere, aut non pergunt, aut non deſinunt, niſi ob alia prius poſita; atque id eſt, quod per nexum rerum inter ſe, quoad cauſſas efficientes intelligo; idque perſpicuum eſt ex inductione, quæ non longe petenda eſt; perceptiones enim mentis noſtræ tum gratæ, tum moleſtæ nonniſi poſitis aliis rebus contingunt: ſtatus ipſe corporis noſtri aut ſanus, aut adflictus a plurimis rebus pendet: generatio & nutritio animalium, ortus & incrementum plantarum, ſtatus atmoſphæræ &c. quot cauſſas habent, a quibus determinantur, ut hoc potuis, quam alio modo ſint, vel fiant?

### §. XXXIV.

Vis effectrix nonniſi in ſubſtantia ineſſe poteſt, ac proprius ſubſtantiæ character videtur eſſe. Si omnem mundum circumſpicimus, aliam reperimus ſubſtantiam cogitantem, aliam cogitationis expertem, ac penitus incapacem, nempe materiam, quæ eſt in mundo, at ſe eſſe nihil percipit. Inter materiam & mentem noſtram, quæ eſt ſubſtantia cogitans, beſtiarum

rum animas natura poſuit, quæ quidem minime materiatæ ſunt, ſed cognoſcendi, & adpetendi vi quam longiſſime a natura materiæ recedunt; eæ tamen perpetuo & neceſſario nexu ad materiam adſtringuntur, longeque infra mentem humanam ſunt. Dein vero, quia beſtiæ ex omni parte mortales ſunt, & caducæ, ne ad immortale fieret repentinus ſaltus, poſita eſt humana ſubſtantia partim mortalis, partim immortalis; a qua dein ad ſpiritus ſeparatos veluti per gradus tranſitur. Quæſtio igitur, an detur cauſſa vere efficiens in mundo, devolvitur ad duplicem hanc ſubſtantiarum claſſem; Veteres enim quidam Philoſophi, ac poſtea Carteſiani cauſſas omnes, quæ pro efficientibus vulgo habentur, nonniſi occaſionales eſſe volunt, quatenus poſitis certis adiunctis, vel adplicationibus earundem occaſionem præbent Deo, ut ipſe agat, effectusque edat ſecundum leges ſibi præfixas. At enim de mente noſtra, de qua facillime videmur loqui poſſe, plane certum eſt, eam vere agere, nec paſſive ſe habere, dum pro arbitrio vult, aut non vult, ſeſeque determinat; & quia vis cognoſcendi maxime ad ſui regimen, atque determinationem pertinet, minime dubium mihi videtur eſſe, quin mens etiam cogitando vere agat; quodſi vero haſce habet vires activas; cur ei vis movendi corpus, quæ multo inferioris ordinis eſt, negetur? Ex vi activa mentis noſtræ coniectura quædam fieri poteſt, quam vim agendi beſtiæ habeant. De ſpiritibus ſeparatis & geniis bonis vel malis paulo poſt diſſerendi locus erit. Reliqua eſt de materia quæſtio, an vim activam habeat; ac in primis inductione, omniumque fere Philoſophorum, qui hodie ſunt, conſenſu, tota ea activitas, ſiqua in materia ineſt, nonniſi in potentia producendi, & extinguendi motum, ſeu reſiſtendi conſiſtit; & quamvis, cum ſtatus ſenſibilis corporum mutatur, uti cum fruges paulatim colorem mutant, & arborum folia in autumno flaveſcunt, motus partium non incurrat in ſenſus; tamen Phyſica explicate oſtendit, nihil mutationis, niſi per motum contingere. Porro ſi ad ideas reſpicimus, quæ ipſæ ſe nobis non advertentibus ingerunt, ægre ſibi quisquam perſuadebit, nullam vim ineſſe vel igni, qui duriſſima corpora dilatat, metalla liquefacit, lapides in calcem, ligna in cineres redigit; vel aquæ, quando firmiſſimos

perrumpit, ingentia ſaxa volvit, omniaque peſſumdat; vel aeri, dum maria commovet, fluctusque in montes tollit, atque arbores radicitus evertit; vel terræ aut terreis corporibus; ut, cum tegula in caput decidit vel prægrandia onera humeros fatigant. Vim ſibi inferat, oportet, qui nullam vim gignendi motus, vel elidendi corporibus ineſſe cogitet. Aiunt, hoſce effectus æque conſequuturos, ſi Deus omnia agat; ſit ita ſane; ideone omnia agit? inquiunt: intelligi non poteſt, quo modo agat materia; fateor, modus latet; num continuo res neganda eſt? ego ſane nec illud intelligo, quo modo mens mea operetur in corpore; nec tamen operandi vim propterea eidem demo; nempe deſperatio inveniendi modum, quo materia agit, in has nos anguſtias deducit, ut omnem ei agendi vim auferamus; neſcio, ſatisne recta iſta ſit concluſio, ſi limites cognitionis noſtræ in hoc mortali ſtatu ſatis novimus; quos quidem expendere non modo utile, ſed periucundum mihi videtur, quidquid alii ſentiant. Verum, an detur in materia vis motrix, ſeu principium internum motus, quæſtio eſt a cognitione naturæ pendens, cuius ne difficultatem quidem quiſquam perſentiſcit, quam qui Phyſica non modo tinctus, ſed etiam imbutus ſit. Quapropter iſta res alium ſibi locum poſcit, quemadmodum & illa de actione in diſtans controverſia. Ego quidem in ea opinione ſum, nos haud propius continuo ad veritatem acceſſuros, quo magis recedimus ab opinionibus iis, quas ipſe uſus naturalium facultatum cogitandi nobis ingerit; ac fortaſſis in veritate inveſtiganda magis impedimento nobis ſunt Sectarum, atque auctoritatis, quam ſenſuum, ac vulgi præiudicia.

*Subſtantias ac vires, quæ extant in mundo, ad duas claſſes revocavi; atque ad ea, quæ de humana mente dixi, pertinent verba Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. c. firmiter de Summ. Trinit.* „ *ſua omnipotente virtute ſimul ab* „ *initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam,* „ *ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mun-* „ *danam, ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpi-* „ *ritu, & corpore conſtitutam.* „ *Quod & vv. Platonici viderunt, qui hominem Univerſi horizontem adpellarunt, propterea quod is velut communis terminus naturam ſpiritualem*

*tualem, ceu hemisphærium ſuperius connectat cum natura corporea, ceu hemisphærio inferiore; minime tamen arbitrandum eſt, a materia ad ſpiritum per gradus quosdam maioris perfectionis tranſiri poſſe, cum illa toto genere differant, uti ſuo tempore exponam. Alia fortaſſis aptior virium & cauſſarum agentium diviſio fit in naturam, arbitrium, & artem. Ad Naturam refertur, quidquid a materia, vel ab anima quadam aut ſpiritu fit neceſſario in certis adiunctis: ad Arbitrium pertinet, quidquid ab ullo ſpiritu ita fit, ut in iisdem adiunctis fieri non poſſit: medium quiddam, vel utrique commune habet Ars, quæ dicitur habitus vera cum ratione effectivus; ac varia corpora particularia pro arbitrio coniungere, transponere, ſeparare, diverſisque ad ſe modis adplicare docet, qua facta adplicatione certi effectus conſequuntur ipſa earum rerum, natura operante, uti cum ſurculos in alterius ſpeciei truncos inſerimus. Omnis igitur artis operatio in eo eſt, ut artificem dirigat in adplicatione corporum, quorum alia dein agunt, alia patiuntur, vel ut in ſubiecto & materia novus compoſitionis modus, novaque forma fiat.* In *arte quatuor cauſſarum genera, atque in primis finalis cauſſa maxime elucet; ac fere ex propoſito fine operis eius forma, ſive ſtructura & compoſitionis modus, ex forma autem materia determinatur, ac ſeligitur, quæ eidem maxime apta ſit ſpectato fine, quem reſpicimus, Quo modo Græci Architecti ne in ornatu quidem columnarum & ædium quidquam admittebant, quod ſola conſuetudine, & arbitrio hominum, nulla ratione, nullo fine niteretur; uti Vitruvius L.* 4. *c.* 2. *inquit,* „ *Quod non poteſt in veritate fieri, id non putaverunt in* „ *imaginibus factum poſſe certam rationem habere; omnia* „ *enim certa proprietate, & a veris naturæ deductis mo-* „ *ribus, traduxerunt in operum perfectiones, & ea proba-* „ *verunt, quorum explicationes in diſputationibus rationem* „ *poſſunt habere veritatis.* „ *Ex his patet, cur aliud quidem naturale dicatur, quod citra humanam induſtriam contingit, aliud artificioſum, quod ab ingenio hominis dirigitur regulis artis imbuto, certumque ad finem deſtinatur; aliud denique voluntarium, ſeu potius liberum; in his igitur cauſſis, quæ cognitione, atque adpetitione ſuum opus efficiunt, non ſola ſpectatur libera voluntas, ſed ut Tullius inquit in Topicis, etiam perturbatio animi; ut, ſiquis metu quidpiam agat; habitus, ut quis cito, & facile iraſca-*

*tur: natura, ut vitium quaſi per ſe in dies creſcat; ars, ut quis bene pingat; denique & caſus, ut proſpere naviget; Nihil horum ſine cauſſa, addit Tullius, nec quidquam omnino; ſed huiusmodi cauſſæ non neceſſariæ. Omnium autem cauſſarum in aliis ineſt conſtantia, in aliis non ineſt. In natura, & in arte conſtantia eſt, in cæteris nulla.*

# CAPUT III.

## *De nexu rerum inter ſe quoad Cauſſas finales.*

*Sophiſtarum quidam, ut Ariſtippus, teſte Ariſtotele L. III. Metaphyſ. text. 3. conſiderationem cauſſarum finalium adſpernati ſunt, propterea quod ſcientiæ Mathematicæ, quæ præſtantiſſimæ ſunt omnium, nihil ad eas attenderent, neque de bono, & malo differrent. Hos ſequuti videntur noſtris temporibus ii, qui, cum Methodum mathematicam profitentur, continuo reiiciunt ex Philoſophia id, quod in ſeriem idearum, quam pro genuino ſyſtemate nobis obtrudunt, compingere nusquam poſſunt. Verum non eſt deferenda hæc cauſſa finalis, cuius inveſtigatio plurimum utilitatis, & vero voluptatis habet.*

## §. XXXV.

Propoſitio. *Res, quæ in mundo ſunt, ita comparatæ eſſe deprehenduntur, ut una ſit propter alteram, atque aliæ ad alias conſtanter, & uniformiter aptatæ, vel adcommodatæ ſint; atque id eſt, quod nexum rerum quoad cauſſas finales continet, quarum conſideratio maxime ad Philoſophum pertinet.* Prob. inductione, quæ perſpicue elucet in partibus corporum organicorum, præcipue animalium, in quibus aliæ partes ceu inſtrumenta, ad perceptiones, aliæ ad nutritionem, aliæ ad motum progreſſivum, aliæ ad tuendam vitam conſtanter, & uniformiter in eadem ſpecie deſtinantur: in plantis radix ad firmitatem, ſuccumque hauriendum, & canaliculi ad eum diſpenſandum: cortex ad aeris incommoda arcenda &c. aptata ſunt: ipſæ vero plantæ in nutrimentum animalium præcipue, animalia bruta in commodum hominis; elementa, ut terra, aqua, ignis, aer in bonum plantarum, brutorum, hominum comparata ſunt. Atmosphæra plurimos habet, & præſtantiſſimos fines, ceu reſpirationem, quæ ad vitam penitus neceſſaria eſt, ventos, elevationem halituum, ac vaporum, nubium ortum, ac ſuſten-

ſtentationem, pluviarum fæcunditatem, radiorum ſolis refractionem, ſine qua ex denſiſſima nocte repente in vehementem lucem, atque ex hac in ſpiſſas tenebras tranſeundum nobis eſſet maxima oculorum moleſtia, ac damno. Quis ſolem, non videt idcirco poſitum eſſe, ut lucem, caloremque planetis impertiatur; quid hæc potius, quam alia diſtantia, & hic, non alius adparens motus ſibi volunt, niſi ut viciſſitudo temporum, & dierum, noctiumque alternatio, atque aliæ mutationes cum his connexæ eveniant in planetis? Si is diſtantiam, vel augeret nimis, vel nimis imminueret a nobis, quæ vegetatio plantarum, quæ animalium generatio haberet locum? Patet igitur generatim, unum eſſe propter aliud, atque alias res in mundo ad alias conſtanter & uniformiter adcommodatas, & deſtinatas eſſe; ac miror, eos etiam Philoſophos, qui cauſſas finales aut reiiciunt, aut ex Theologia naturali primum derivant, in mundo, & quovis corpore organico aſſerere rationem machinæ ineſſe? cur iſtuc vero? niſi quia in mundo, ac quovis corpore organico, perinde ut machina, partes ſingulæ, certaque ſtructura ſingularum, certus itidem nexus, certique motus, motuumque celeritas, & directio pariter certos, ac determinatos fines habent? Porro quod inveſtigatio finium ad Philoſophum maxime pertineat, inde confirmatur, quia Philoſophiæ proprium, ac velut legitimum eſt inveſtigare cauſſas rerum, in quibus omnium prope conſenſu finalis quoque numeratur; dein diſſeri de finibus particularibus non cognita rerum particularium natura nihil adcurate poteſt; cognitio vero naturæ Philoſophum veluti ſua ſponte ad cognitionem finium deducit: denique uti de machina nequit perfecta notitia comparari, niſi finis ſingularum partium, finiumque ſubordinatio perſpecta ſit; ſic idem de mundo exiſtimandum eſt, qui rationem machinæ in ſe continet; ut ex ea finium conſideratione ſapientiæ divinæ, ac providentiæ luculenta indicia colligantur, quæ quidem perſpicue, & cum convictione noſſe dulciſſimus Philoſophiæ fructus eſt.

## §. XXXVI.

### Respondetur Ad Argumenta Opposita.

I. *Id, quod cauſſa finalis a nobis dicitur, eſſet prius ſuo effectu, quia omnis cauſſa prioritatem habet; & ſimul eſſet poſterius; quia ab ipſo effectu pendet: repugnat vero, ut idem prius ſit, & poſterius: ergo etiam repugnat, ut finis ſit vera cauſſa.* R. d. M. idem eſſet prius, & poſterius in diverſo genere prioritatis, & cauſſalitatis, nempe finis eſt prior intentione, poſterior executione, vel actualitate. C. M. in eodem genere prioritatis, n. M. & d. m. hoc poſterius repugnat c. m, illud prius repugnat, n. m, & c. Quod res eadem prius cognoſci, & adpeti poſſit, poſtea primum obtineri, nemo ignorat; ſolus Spinozza adeo ineptit, ut ob æquivocationem cauſſas finales explodat, ob quas nullum non ens intelligens agit; *an non putas*, inquit Seneca, *inter cauſſas facti operis numerandum, quo remoto factum non eſſet.*

II. Carteſius Princ. P. I. n. XXVIII. ait: *Ita denique nullas unquam rationes circa res naturales a fine, quem Deus, aut natura in iis faciendis ſibi propoſuit, deſumemus, quia non tantum debemus nobis arrogare, ut eius conſiliorum participes nos eſſe putemus Ergo inveſtigatio cauſſarum finalium non pertinet ad Philoſophiam.* R. Carteſio, uti in aliis locis, ita hoc etiam optimi quique Philoſophi adverſantur. Rationem additam d. non ſumus participes conſiliorum, & finium Dei, nempe eorum, quos Deus occultos eſſe in hac vita voluit, vel quos inveſtigari etiam prohibuit, uti ſunt iudicia Dei, quæ ad ordinem ſupernaturalem gratiæ maxime ſpectant; c. non ſumus participes eorum conſiliorum, quæ ipſe Deus in propatulo poſuit, quæque nullo fere labore innoteſcunt, & ex quorum conſideratione in ipſum Deum laus magna redundat. n.

III. *Alii Carteſiani inter fines, & uſus rerum univerſe diſcrimen ſtatuunt, atque ita inquiunt: in naturæ inveſtigatione nihil aliud deprehenditur, quam quod unum ſerviat uſibus alterius; ex quo inferri nequit, quod alia res ſit finis alterius* R. Finem ab uſu univerſe ſegregare, admodum ineptum eſt, & controverſiam rei, quæ ſat magni

magni momenti eſt, ad litem de nomine devolvit; quid enim ineptius, quam dicere, tot partes oculi, ceu humores, nervuli, glandulæ, muſculi, arteriæ, venulæ, præterea munimenta exteriora, qualia ſunt ſupercilia, palpebræ, pili &c. non finem habere hunc, ut viſio fiat, ſed eum duntaxat uſum eſſe harum partium? nec finem, ſed uſum eſſe pedum, ut ambulemus, aurium, ut percipiamus ſonum, linguæ, ut loquamur, ventriculi, ut digeramus cibum: eſſe uſum, non finem pluviarum, ut plantæ vegetent; uſum, non finem tot canaliculorum, & tubulorum, qui in plantis, & corporibus animalium ſunt, ut ſuccus per omnes partes diſtribuatur; uſum, non finem ſolis, ut planetis lucem, & calorem det. Hæc quidem non minus abſurda ſunt, quam ſiquis diceret, eſſe uſum, non finem ianuæ, ut ingredi poſſimus, & egredi; nec finem ſed uſum feneſtrarum, ut admittatur lux. *Sed urgent: ex utilitate, & commodis rerum, quarum aliæ aliis ſerviunt, concludi nequit, eas res ad ſe deſtinatas, atque ob eam cauſſam procreatas eſſe cum intentione talis commodi; nam & in montibus aliquando ſcopuli ita ſunt diſpoſiti, ut homines iis utantur ceu gradibus, per quos altius aſcendant; & aliis terræ locis cavernæ reperiuntur, ubi perfugium quærunt viatores contra aeris intemperiem; nec tamen quisquam facile dixerit, eas cavernas, ſcopulosve in hos fines a Deo vel natura conſtructos eſſe.* R. Non res omnes, quas homines ad particulares fines adhibent, ad hos ipſos ſpeciatim conditas dico; ſed illud contendo, res plurimas ſibi proprios, rerumque naturæ conſentaneos fines habere, ad quos conſtanter, atque uniformiter adcommodatæ ſint ab ipſa natura.; utuntur & latrones ferro, ut homines iugulent; nec propterea ad hosce fines ferrum a natura nobis datum aſſero; pariter ſi vermes hominum cadavera vorant, aut mures Platonis libros arrodunt, non idcirco humana corpora præciſe ob vermes, aut libros Platonis ob mures factos eſſe aio. In his nulla ineſt conſtantia, nulla uniformitas, quemadmodum iis in rebus, quas ſupra recenſui. Non fortuitus, & particularis uſus, ſed conſtans, determinatusque finis eſt pedum, qui hominibus, & plurimis beſtiis dati ſunt; vel oris, aut roſtri & unguium, vel alarum. de-

nique & ſenſuum, qui ſuos ad fines perpetuo aptati reperiuntur.

IV. *Idea finis includit cognitionem, atque intentionem Entis intelligentis; ergo ex ſola contemplatione mundi, niſi præponatur demonſtratio Dei, qui eos fines & cognorit, & intenderit, ſtatui non poteſt, eſſe cauſſas finales veri nominis*, R. d. a. Idea finis includit cognitionem entis intelligentis, nempe duplici ſenſu, vel quatenus ex operatione entis intelligentis concluditur, illud habere præſtitutos ſibi fines; vel quatenus ex finibus rerum, atque operum eiusdem intelligitur, illud proficiſci ab ente intelligente, c. a. idea finis includit cognitionem entis intelligentis, ita ut nulli unquam fines deprehendi, & certo cognoſci queant, niſi ante cognitum ſit, eos ab ente intelligente eſſe intentos, & præfixos, n, a & c. Quemadmodum ex operationibus cuiusdam ſubſtantiæ, eandem animatam eſſe intelligimus: ita ex aptis rerum finibus primo cognitis facile in cognitionem entis intellectivi, a quo eæ res condi, finesque intendi debuere, pervenimus. Wolfius P. II. Theol. Nat, §. 457. in not. ait, nihil ab Atheo, ut concedatur, poſtulari poſſe, niſi quod unum inſerviat uſibus alterius in hoc mundo, quia id ſolum perpetua, & indubitata experientia oſtendit; ſed non ſunt verba Wolfii in oraculis numeranda; quemadmodum fit ab iis, qui eundem in dies exſcribunt. Alii enim acutiſſimi quique Philoſophi pro certo habent, ex conſideratione finium evidentiſſimum argumentum pro demonſtranda Numinis exiſtentia erui poſſe; Non nego ex Theologia naturali, quæ Dei exiſtentiam ob oculos ponit, de fine totius univerſi adcuratius poſſe diſſeri, itemque de fine intelligentium ſubſtantiarum, quia ex ſola contemplatione mundi non adparet, quorſum totum Univerſum deſtinetur, quemadmodum particularium rerum alias ad alias deſtinari, perpetuoque & uniformiter adcommodatas eſſe reperimus; quamquam ſi elegantem machinam intuentes, cuius ſingulæ partes inter ſe apte connexæ, ſibique ſubordinatæ ſunt, minime dubitamus, quin eidem finis quidam præfixus ſit; cur mundum contemplantes ceu admirabilem machinam, eidem finem quendam præſtitutum eſſe non intelligamus? Sed quid de-

mum

mum Wolfiani de nexu particularium rerum quoad cauſſas finales ex Theologia Naturali eruent ? aut cur de nexu illo tot verba faciunt in Coſmologia ?

*Animadvertendum, diverſa eſſe hæc duo*: de finibus rerum philoſophari, *ſeu cognita prius, explorataque rerum natura cauſſas earum finales indagare*; & ex finibus rerum philoſophari; *hoc eſt, ſine quodam præconcepto, quid ſit in natura, & quale quidvis ſit, concludere velle; atque hoc quidem poſterius philoſophandi genus incertiſſimum eſt, maximisque erroribus obnoxium: illud jucundum non minus, quam ad perfectam rerum cognitionem maxime conducibile, atque ita firmum, ut paucis admodum exceptis, inſtar axiomatis habeant Philoſophi*: Deus & natura nil faciunt fruſtra. *Veteres hanc finium legem ſpectantes dicebant, in re quavis ineſſe inclinationem naturæ convenientem, ſeu adpetitum, finem ſuum, perfectionemque adſequendi. Ejusmodi adpetitum duplicem ſtatuerunt*, innatum *in iis rebus, quæ cæco naturæ impulſu in ſuos fines aguntur, uti fit in corporum elementis*; & elicitum *in entibus vi cognoſcendi, & adpetendi præditis; RR. Philoſophi non nulli, qui contemtione Veterum gloriam captant, eos adpetitus innatos, & exigentias, & jus, de quibus olim frequens fiebat mentio, ceu inanes terminos, & caſſas voces explodunt; at fatebantur ipſimet Veteres in ſuis ſcriptis, ſe iis vocabulis metaphorice uti; nec aliud revera ſæpe denotarunt, quam quod hodie cauſſa finalis, & aliquando lex naturæ nuncupatur; ut adeo plurimis locis non ab ideis Veterum, ſed a vocibus diſſentiamus.*

# CAPUT IV.

## *De Nexu Rerum, quæ in Mundo ſunt, cum Ente neceſſario.*

*Res, quæ in mundo ſunt, vel ſpectari poſſunt ſecundum ſtatum, quem habent, vel ſecundum exiſtentiam ſubſtantiarum ſimplicium, quæ variorum ſtatuum capaces ſunt: utroque modo connectuntur cum Ente neceſſario, quod tum exiſtentiæ ſubſtantiarum, tum variorum ſtatuum primum determinans eſt.*

### §. XXXVII.

Per ſtatum rerum intelligo ea, quæ mutabiliter enti

enti inſunt, vel conveniunt, ita, ut ens ad ea habenda, vel non habenda ex ſe, & ſpectata natura ſimplicium ſubſtantiarum indifferens, eorundem tamen capax ſit; tales ſunt variæ perceptiones, atque adpetitiones in mente, unio cum corpore, habitus virtutum, ac vitiorum, exiſtentia ipſius hominis certo in loco; in ipſo humano corpore ſtatus infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, juvenilis ætatis, ac virilis, ac denique decrepitæ varias involvit notas mutabiles, quæ eidem inſunt; tum ſtatus ſanitatis, vel morbi, aliaque, quæ ineſſe eidem poſſunt, vel non ineſſe. Globi totales mundi ex ſe ad hunc vel illum coexiſtendi modum, & ſitum inter ſe, ad celeritatem majorem, vel minorem, directionem hanc, illamve non minus indifferentes ſunt, quam globus ferreus ex tormento excuſſus, qui in quamvis plagam, variaque directione, & celeritate proiici poteſt. Modus coexiſtendi corporum partialium, quæ in quovis globo totali, uti in tellure noſtra ſunt, elementorum præterea, quæ corpora totalia, vel partialia componunt, modus coexiſtendi per ipſa elementa vel ſubſtantias ſimplices non neceſſario determinatur; uti patet ex halitibus, ac vaporibus, qui ex corporibus totalibus adſurgunt, ac perpetua atmoſphæræ mutatione, ex ortu & interitu particularium corporum; dum metalla atteruntur, exeduntur, liquantur, miſcentur, ſeparantur: plantæ & animalium corpora diſſolvuntur, & corrumpuntur, ligna putreſiunt, & in cineres, lapides in calcem rediguntur: accedunt mutationes caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, condenſationis, rarefactionis, coloris, aliarumque ſenſibilium qualitatum. In his igitur ſtatibus rerum tam diverſis, & mutabilibus nulla penitus neceſſitas, vel ex natura elementorum, vel ex ipſo quovis ſtatu derivari poteſt; in ipſis elementis, & ſubſtantiis ſimplicibus non niſi indifferentia ineſt ad varios ſtatus, diverſam compoſitionem, coexiſtendi modum, conjunctionem, vel ſeparationem, motum, celeritatem, directionem; ac capacitas varios ejusmodi ſtatus recipiendi, quorum determinatio in natura corporea ſemper aliunde pendet; idem innumerabilia exempla, ſi modo ſenſibus utamur, apertiſſime demonſtrant; quæ enim a quovis homine irrefragabilis neceſſitas fingi poteſt, ut aliquando tam parcos fructus

red-

reddant agri ; ut ſementem abrodant voraces beſtiæ ; ut peſtilens lues graſſetur per vicos, & civitates ; ut ædificia concutiantur repentinis motibus ; ut ripas tranſcendant torrentes & flumina, & vaſtitatem inferant campis, & homines, ac jumenta obruant ; ut ignis nubibus excuſſus viventia feriat, & opulenta horrea conſumat ? Hæc quidem talia ſunt, ut in ipſis rebus ad ejusmodi mutationes, ſtatusque recipiendos, vel efficiendos non niſi indifferentia, & capacitas ; determinatio autem unius mutationis, vel ſtatus præ aliis ſemper aliunde adveniens concipi debeat. Porro determinationes ſtatuum non niſi triplicis generis ſunt : *ultima determinatio*, quæ pendet ex alia præcedente, & ex qua nulla deinceps pendere nunc concipitur : *media determinatio*, quæ pendet ex alia priore, & ex qua pendet alia poſterior : *prima*, ex qua pendent omnes ſequentes, ſeu poſteriores, ita, ut ipſa non pendeat ex alia priore determinatione, ſed unice ab actione entis, quod in ſe ipſo & vi ſuæ eſſentiæ determinandi potentiam habet, quin eam aliunde accipiat.

*In ſyſtemate planetario ſitus, quem globi totales inter ſe nunc habent, actiones & reactiones, quas in hoc ſitu nunc mutuo exerunt, modus, quo illuminantur a ſole, ultimam hujus ſyſtematis determinationem efficit; alius eorundem ſitus, qui ante menſem e. g. dabatur, aliæque actiones, & reactiones, alius modus, quo tum illuminabantur a ſole, erat determinatio ſyſtematis media, quæ ex alia præcedente pendebat, & ex qua pendet ultima; uti in horologio ſitus rotarum, indicis, ponderis, qui nunc eſt, ejus machinæ determinatio eſt ultima: alius ſitus earundem partium, qui ante horam dabatur, media eſt determinatio: prima concipi poteſt, uti eſt facta ab artifice partes coniungente, & primam indicis poſitionem determinante. Quamquam in ſenſu ſtricto ne artifex quidem, qui eſt ens ab alio, vim agendi, & determinandi ex eſſentia ſua habet, ſed ab ente neceſſario, uti mox intelligemus. In globo noſtro terraqueo ſitus particularium corporum, qui hoc momento datur, determinatio corundem ad certos motus, & directiones, quam nunc habent, præſens conſtitutio atmoſphæræ, ſtatus regni vegetabilis, animalis, & mineralis, coexiſtentia actionesque & adjectiones*

*nes hominum hoc tempore viventium, aliaque efficiunt ultimum hunc, & præſentem telluris noſtræ ſtatum, qui a proximo præcedente alio ſtatu pendet ſaltem quoad ea, quæ ſolo hominum arbitrio non determinantur: is ſtatus præcedens, cum & ipſe ex alio priore pendeat, erat determinatio media: denique primam determinationem ab Ente neceſſario petendam eſſe nunc docebimus.*

## §. XXXVIII.

Propoſitio I. *Quivis ſtatus vel totalium univerſi mundi corporum, vel ſyſtematis particularis e. g. ſolaris, vel corporum partialium talis ſyſtematis, vel elementorum corporis particularis pendet ex determinatione facta ab ente neceſſario, quod vim determinandi in ſe habet, neque aliunde accipit; atque hoc ſenſu ſtatus rerum cum illo Ente neceſſario nexum habere a nobis dicitur.* Probatur. Quævis determinatio ſtatus, quæ pro ultima adſumitur, pendet ab alia proxime præcedente: hæc ergo proxime præcedens, ſi prima eſt, habetur id, quod probandum erat: ſi dicitur eſſe media, ajo: nulla determinatio ſtatus media, ut abſolute exiſtens poni poteſt, niſi ponatur prima determinatio: ergo nec quævis ultima ut abſolute exiſtens poni poteſt, niſi prima ponatur; uti idem de cauſſa ultima ac media eſt demonſtratum §. XXXI. n. IV. Nam quævis determinatio media ex ſua natura, ac notione eget determinatione alia; hæc vero non poteſt eſſe media, quia etiam ipſa eget determinatione alia, & quia ultra quasvis determinationes medias alia media concipi non poteſt: neque illa determinatio alia poteſt eſſe ultima, quia per hanc non determinantur mediæ; ergo *prima* eſſe debet, quia ultra mediam, ultimam, & primam alia concipi omnino non poteſt; & quamvis infinitæ ponantur determinationes mediæ; tamen non niſi tres determinationum ideæ poni poſſunt, ultimæ, mediæ, ac primæ: in idea ultimæ, & mediæ non reperitur ſufficientia abſoluta & ſine ſufficientia abſoluta nulla abſoluta exiſtentia poni poteſt: ergo illa ſufficientia abſoluta pendet a prima determinatione, & actione entis neceſſarii, quod vim determinandi habet a ſe, non accipit aliunde; etſi enim ponas ens ab alio, quod arbitrio pollet determinandi ſtatum quarundam rerum; tamen id, cum ſit ab alio, pariter determinari

de-

debuit ad exiſtendum, conſequenter non continet ſufficientiam abſolutam, ſed ſolum conditionatam, ſi ipſum prius fuit determinatum, hoc eſt, tale ens pertinet ad determinationes medias. *Declaratur.* Res ipſæ, ac ſubſtantiæ ſimplices non poſſunt exiſtere ſine omni ſtatu, & modo coexiſtendi, neque cum ſtatu, vel modo indeterminato; quia a parte rei nihil datur indeterminatum: præterea ex ſe, & vi ſuæ naturæ variorum ſtatuum, ac modorum duntaxat capaces ſunt, ad quemvis autem ſtatum, ac modum vi naturæ indifferentes, & indeterminatæ: ergo manifeſte requiritur aliquid, ut indifferentia tollatur, & quod indeterminatum eſt, determinetur; iſtuc vero eſſe nequit cauſſa vel determinatio ultima, aut media: ergo cauſſa ac determinatio prima requiritur.

*Hoc argumentum, ſi rite penetretur, pleniſſimæ, ac geometricæ demonſtrationis vim habet, nec ultra tres ideas quidquam involvit, ut adeo ſimpliciſſimum ſit, & omnem ſuſpicionem fallaciæ, cui longiores ſeries ſubjacent, penitus removeat. Ponantur atomi in radio ſolari agitatæ: is coexiſtendi modus, qui pro ultimo adſumitur, non determinatur per naturam atomorum, vel per ſe ipſum, quia admodum mutabilis eſt; neque determinatio quævis præcedens, aut media ejus ſufficientiam abſolutam continet, tum quia determinatione eget, tum quia quævis media pro ultima ſumi poteſt: ergo cum ponatur aliqua atomorum determinatio, earumque quoad ſtatum & coexiſtendi modum indifferentia ſublata ponatur, neceſſario ad determinationem primam veniendum eſt. Hæc columna, e.g. quæ eſt in Auditorio, cum determinata ſit quoad modum coexiſtendi ſtatumque ſuum, nec ea determinatio in alia determinatione media habeat ſufficientiam, pariter ad primam determinationem, ac primum determinans cogitationes noſtras deducit. Etſi igitur vi repetendi, atque iterandi ideas ultra omnem datum numerum determinationum, aliam præterea, atque aliam poſſibilem eſſe videamus; tamen vi abſtrahendi ex infinito etiam determinationum labyrintho facilem exitum reperimus, omniaque, quæ concipi poſſunt, ad tres ideas admodum diſtinctas revocamus. Quo ſenſu Ens neceſſarium relate ad actus liberos, atque ea, quæ proxime ab his pendent, dici debeat primum determinans, ad diſquiſitionem theologicam, quæ de hominis libertate eſt, pertinet.*

§. XXXIX.

## §. XXXIX.

Propoſitio II. *Quævis ſubſtantia mutabilis, & finita quoad exiſtentiam ſuam pendet ab ente neceſſario, quod immutabile, & infinitum eſt; atque in hoc conſiſtit nexus non modo ſtatus rerum, ſed cujusvis ſubſtantiæ, quæ finita eſt & mutabilis, cum Ente neceſſario.* Probatur I. quod mutabile eſt, vi naturæ ſuæ non habet ſtatum, & modum coexiſtendi determinatum: ſine omni ſtatu, aut cum indeterminato exiſtere abſolute non poteſt: quæcunque vero ſtatus, & coexiſtendi modi determinatio ponatur, ea ultimato ab Ente neceſſario pendet: ergo etiam ipſa exiſtentia ſimpliciter talis entis pendet ab ente neceſſario. Ponantur atomi quotcunque, ſive inter ſe ordinem habeant, ſive non habeant; ſtatus earum, & coexiſtendi modus neque ex ſe ipſo, neque ex natura atomorum eſt determinatus; cum ſit mutabilis; ergo ſicut in hisce atomis coexiſtentibus nulla eſt ſufficientia determinandi ſtatum, aut coexiſtendi modum; ita neque ulla ſufficientia ſimpliciter exiſtendi in iisdem ineſſe poteſt, proindeque earum exiſtentia pendet ab ente, cujus ſtatus aliunde determinari non debet, quodque idcirco immutabile eſt. II. Quævis ſubſtantia finita limites habet magnitudinis, vel perfectionis: determinatio certorum limitum non pendet ex natura talis entis, quia perfectiones eſſentiales cum ſint finitæ, vi ſuæ notionis majores vel minores eſſe poſſunt: neque determinatio limitum ab alio ente finito pendet, quod pariter determinatione eget, nec niſi determinationis, & cauſſæ mediæ rationem continet: ergo ea determinatio limitum pendet ab ente, quod nullos habet limites, ſive quod infinitum eſt. Si numerus ſubſtantiarum, quæ in mundo ſunt, cogitantium, vel non cogitantium ponitur finitus, perſpicuum eſt, quod ratio determinati numeri, & exiſtentiæ cujusvis ſubſtantiæ ſingularis non niſi ex libera determinatione entis infiniti pendeat; cur enim tot præciſe, non plures paucioresve exiſtant atomi, aut ſubſtantiæ cogitantes? cur hæ, non aliæ, quæ vi eſſentiæ æque poſſibiles ſunt? ſi illæ, quæ reipſa exiſtunt, vi eſſentiæ exiſterent; cur aliæ, quarum eadem eſſentia eſt, non exiſtunt? non igitur eſſentia & poſſibilitas exiſtentiam determinant, ſive non

ſunt

ſunt entia a ſe, ſed ab alio; ſecus poſita eſſentia, & poſſibililate æque neceſſaria foret exiſtentia, ac poſito triangulo rectilineo neceſſarium eſt, ut ſumma angulorum æqualis ſit duobus rectis. Numerum vero ſubſtantiarum, quæ in mundo ſunt, infinitum ponere, eſt ponere contradictionem (§. XIX.) & abhorret a natura, ut atomi infinitæ ſpatium infinitum undique compleant, & nihilominus habeant motum.

*Nihil in mundo eſt, præter ſubſtantias, & ſubſtantiarum varios ſtatus, ac coexiſtendi modos: cum igitur hæc omnia pendeant ab ente neceſſario, uti binis propoſitionibus adhuc demonſtravi, intelligitur nexus mundanarum rerum cum illo Ente; de quo quidem nexu in præſenti differendum erat. Quæ obiici contra dicta poſſunt, nullo negotio ſolvet, qui propoſitiones* §§. XXXVIII. XXXIX. *recte expendit.*

## §. XL.

### Solutio Obiectionum.

I. *In ſerie infinita effectuum, vel mutationum, quivis terminus, id eſt, quivis effectus, & quævis mutatio habet cauſſam ſuam; ergo nullus pendet ab alio Ente neceſſario.* R. d. a. quivis terminus habet cauſſam duntaxat mediam, & conditionate ſufficientem, ſi datur cauſſa *prima*; c. a. habet cauſſam abſolute ſufficientem; vel cauſſa quævis media ſine prima abſolute exiſtere poteſt n. a. & c. Urgent: conditio, quam cauſſa media continet, eſt hæc: *ſi ipſa fuit producta & aliunde determinata*; hæc autem conditio per ſeriem infinitam penitus impletur; ergo quævis cauſſa ſit abſolute ſufficiens. R. c. M. n. m. vel d. ſi in ſerie infinita ponatur cauſſa prima ſaltem natura prior ad reliquas cauſſas & effectus, tr. m. conditio abſolute impletur ſine cauſſa prima n. m. & c. Non poſita cauſſa prima abſolute ſufficiente quævis conditio, quæ ponitur impleta, impletur per novam conditionem ſimilem: ergo nunquam ſit abſoluta ſufficientia; quemadmodum infiniti zeri citra numerum, qui in ſe valorem habet, non efficiunt, vel continent ullum valorem, ſic infinitæ ſufficientiæ conditionatæ, quæ ſunt veræ inſufficientiæ, nullam pariunt ſufficientiam abſolutam.

II. *Ultra infinitas cauſſas nulla alia præterea concipi poteſt: ergo poſita cauſſarum ſerie infinita concipi nequit*

*cauſſa prima.* R. d. a. ultra infinitas cauſſas medias & conditionate ſufficientes nulla alia pariter media & conditionate ſufficiens concipi poteſt; c. a. ultra eas concipi non poteſt cauſſa prima, & abſolute ſufficiens, n. a. Idea cauſſæ mediæ ab idea cauſſæ primæ admodum diſcrepat; ergo etſi transmittantur tot cauſſæ mediæ, ut plures concipi nequeant; adhuc concipi poteſt, ac debet cauſſa prima. Non dico, infinitas cauſſas medias reipſa poſſibiles eſſe: ſed transmiſſa poſſibilitate ſeriei earum infinitæ, eas ut abſolute poſitas, & exiſtentes concipi non poſſe ſine cauſſa prima, contendo.

III. *Si ſingulæ cauſſæ ſpectantur, eæ ſaltem ex aliqua parte ſufficiunt ſingulis effectibus determinandis, & quamvis ſingulæ non ſufficiant abſolute, tamen inferri nequit, omnes collectim ſumtas abſolute non ſufficere, quia collectim ſumi non poſſunt; non enim valet argumentatio a ſenſu diſtributivo ad collectivum, ut: elementa corporum non ſunt extenſa: ergo neque ipſum corpus.* R. 1. Singulæ cauſſæ abſolutam ſufficientiam ne quidem ex parte habent, ac ſi ponuntur cauſſæ mediæ, quarum tota ratio exiſtendi eſt ab alia cauſſa, eam ſufficientiam vi notionis, & eſſentiæ ne quidem habere poſſunt; ergo nec fieri poteſt, ut in tota ſerie detur ſufficientia abſoluta; R. 2. Adverſarii dicunt: ſingulas non eſſe ſufficientes, ſed totam ſeriem, ſi eſt infinita, ſufficientem eſſe; quid eſt hoc aliud, quam a partibus ad totum concludere? Cur igitur argumentationem a ſenſu diſtributivo ad collectivum reiiciunt? per additionem plurium etiam infinities factam nullum prædicatum toti convenit, quam quod ex ratione aggregati pendet; tale prædicatum non eſt: *eſſe ſufficientem*; ſi id in ſingulis partibus nullo modo ineſt. R. 3. Argumentatio, qua uſus ſum ego, non collective ſumit cauſſas medias, ſed abſtractive, & inſtar ideæ generalis hoc modo: in idea abſtracta cauſſæ ultimæ, ac mediæ non continetur ulla ſufficientia: ergo eadem petenda eſt a cauſſa prima; atque hoc modo omnes tricæ dialecticæ præciduntur.

IV. *Ens neceſſarium non habet nexum cum cauſſa ulla media, quæ aliunde determinatur: ergo neque cauſſa media nexum habet cum ente neceſſario.* R. c. a n. c. Diſpar ratio ex ipſis notionibus perſpicue elucet; ſi enim ens neceſ-

ſarium quoad vim determinandi, vel quoad exiſtentiam penderet ab alio, non eſſet cauſſa prima, ſine qua nulla media, nulla ultima poni poteſt; ac deficiente illo alio, a quo penderet, pariter deficeret; quod repugnat notioni cauſſæ neceſſariæ: at cauſſa media vel ultima ſufficientiam ſuam ab ente neceſſario habet, eoque non poſito abſolute poni non poteſt; atque in hoc eius nexus cum Ente neceſſario conſiſtit.

V. *Dici poteſt, in ſerie cauſſarum quoddam ens vel plura eſſe vage, & indeterminate neceſſaria, ut reliqua determinentur; ſicut, ut viſio exiſtat, aliquis oculus vage neceſſarius eſt.* R. Ea, quæ vage neceſſaria ſunt ad aliud, quod poteſt non eſſe, nec ſingula ſeorſim determinate, vel indeterminate, nec omnia collectim neceſſario exiſtunt, ſed poſſunt non eſſe; ergo hæc quoque talia ſunt, ut, ſi abſolute exiſtunt, ab alio determinari debeant, conſequenter ad cauſſas medias pertinent, per quas nulla habetur ſufficientia abſoluta; ut, ſi viſio nulla abſolute fiat, nullusque detur oculus, tamen vera eſt propoſitio: aliquis oculus eſt vage neceſſarius, quia non aſſeritur, viſionem, vel oculum abſolute exiſtere; at ſi viſio abſolute ponitur, ponendus eſt oculus abſolute, qui ſine cauſſa eſſe non poteſt.

VI. *Series cauſſarum æterna eſſe poteſt, quin ſingula entia ſint ab æterno: ergo eadem neceſſaria dici poteſt, quin ſingula idcirco neceſſaria ſint.* R. tr. a. n. c. Si fingitur ſeries æterna, & infinita, in ipſa hypotheſi ficta iam aperte continetur æternitas: at neceſſitas, vel ſufficientia ad exiſtendum in ea hypotheſi nec explicite, nec implicite, ut aiunt, poni poteſt, quia hæc ipſa eſt quæſtio, an poſita ſerie æterna, & infinita, etiam ſufficientia ad exiſtendum, & neceſſitas poni, vel concipi queat? ac demonſtramus, non poſſe ſine Ente neceſſario, & cauſſa prima, quæ ſit extra ſeriem cauſſarum mediarum, & ab alia pendentium; ſed, inquiunt, ſi quævis cauſſa media initium exiſtendi habeat ab alia, etiam tota ſeries habebit initium exiſtendi, conſequenter tollitur æternitas ſeriei; R. Si iſtuc ſequitur, ſit hypotheſis vitio, & ob inſufficientiam talium cauſſarum; nec poſſibilitas ſeriei propterea directe impugnatur; hinc viderint illi, qui tales hypotheſes ponunt, quid reſpondere habeant. Sunt

tamen, qui putant, Mundum ab æterno creari potuiſſe a cauſſa prima, quæ ſecundum hanc opinionem non temporis, ſed naturæ prioritatem habet; hi tolerandi ſunt, etſi in errore verſentur opinione mea; alii, qui Deum tollere impie machinantur, ſeriem cauſſarum æternam ponunt, ita, ut cauſſam primam & neceſſariam, nempe Deum, excludant; & contra hos transmiſſa poſſibilitate ſeriei oſtendimus, eam abſolute non exiſtere poſſe, niſi poſita cauſſa prima. Si dicant: ſeries cauſſarum ſine ultima non repugnat: ergo neque ſeries ſine prima repugnat. R. c. a. n. c. in antecedente ponitur ſufficientia abſoluta, imo infinita, quæ nullis productionibus exhauriri poteſt: in conſequente omnis ſufficientia penitus tollitur.

# CAPUT V.

## *Nexus rerum, atque ordo excludit caſum e Mundo.*

*In contemplatione Mundi duo velut ſcopuli nobis vitandi ſunt; primo, ne ex mutabilitate rerum caſu, & fortuito quidquam evenire concludamus; dein ne perſpecto rerum nexu, atque ordine immutabilem earum neceſſitatem, & fatum quoddam, cuius plura genera confinxerunt homines profani, invehamus in mundum. Rejectis his erroribus duas maximi momenti veritates adſequimur; prima eſt, ut res omnes, cum nihil ſufficientiæ in ſe habeant, ab Ente ſufficientiſſimo non modo productas, ſed etiam in pulcherrimum, ſtabilemque ordinem ſecundum ſtatas leges eſſe digeſtas intelligamus; altera hæc eſt, ut ordinem naturæ, legesque nihil obſtare videamus, quo minus ſupremo Conditoris arbitrio, dominioque aliquando immutari quidquam, & contra naturæ curſum adminiſtrari queat. Duæ igitur disquiſitiones reliquæ ſunt.* 1. *Res mundanæ non ſunt caſu effectæ.* 2. *Eædem inſuperabilem neceſſitatem non inducunt, ut adeo miracula, quæ dicimus, abſolute poſſibilia ſint.*

### §. XLI.

Natura univerſa eſt collectio omnium virium activarum, & paſſivarum, quæ in materia ſunt, vel in ſpiritibus citra peculiare Dei mandatum operantibus. Naturæ curſus eſt conſequutio effectuum, qui in mundo obſervantur; & quia effectus omnes certo tempore ſe conſequuntur ſecundum diſpoſitionem, & nexum rerum; idcirco in curſu naturæ ineſt ordo, ſive effectu-

um

um ſeſe conſequentium determinatio quoad certum tempus facta ſecundum diſpoſitionem, nexum, & mutuas actiones rerum, quæ in mundo ſunt, Hic ordo ſaltem inadæquate pendet a legibus naturæ. Eſt autem *Naturæ Lex modus conſtans & uniformis, quo vires activæ, & paſſivæ in certis adiunctis exerere ſeſe debent.* Alias naturæ leges dico *primitivas, ac generales*, quando nulla ratio reddi poteſt, cur vires hoc, & non alio modo ſe exerant, niſi dicendo, hanc eſſe ſpirituum, vel materiæ naturam, vel Deum ſic generatim conſtituiſſe, vel denique ſubeſſe fortaſſis aliquid prorſus incognitum, quod longe aliter operetur, quam vires hactenus cognitæ. Eiusmodi leges generales ſunt, 1. quæ ad corporum inertiam referuntur, uti, quod omne corpus perſeveret in ſtatu motus, vel quietis, donec aliunde cogatur ſuum ſtatum mutare: quod actioni ſit æqualis, & oppoſita reactio &c. 2. Quæ ad mutuas attractiones, & repulſiones corporum pertinent pro ratione aliqua diſtantiarum. 3. Quæ conſtanter fiunt ab ipſo Deo, ut Auctore naturæ, ſive ita operante, ut curſus & ordo naturæ conſervetur; ut, quod poſita ſufficiente organizatione fœtus creet animam, & corpori infundat, eamque, & alia itidem omnia conſervet ſecundum fines iis rebus præſtitutos. Leges naturæ *particulares & derivativas* voco, quarum ratio ſaltem inadæquata ex legibus primitivis reddi poteſt, quæque ex combinatione elementorum materiæ, ex varia corporum inter ſe poſitione, aliorumque ad alia adplicatione reſultant; uti quod planetæ orbitas ſuas circa ſolem ſtatis periodis conficiant; quæque ſunt iſtius generis infinita, potius ad ordinem, quam ad leges naturæ pertinentia, quæ ſæpe confundi ſolent. Porro nonniſi leges primitivæ, ac generales, quæ ad motum pertinent, eſſentiales dici poſſunt; ſiquis e. g. hanc naturam materiæ ſtatueret, ut in ſtatu motus vel quietis perſeveret, utque actio, & reactio æquales ſint, vel ut eius elementa pro ratione diſtantiarum ſeſe attrahant, vel repellant, etſi minime certum ſit, hanc reipſa materiæ naturam eſſe. Quæ ad leges particulares, atque ad ordinem vel curſum naturæ pertinent, uti viciſſitudo temporum, alternatio dierum ac noctium, planetarum motus, vegetationes plantarum &c. etiam poſita hac natura materiæ, minime eſſentialia, ac neceſſaria dici

poſſe Phyſica oſtendit, quia illa certam combinationem elementorum, motus aliunde impreſſos, certas diſtantias, coexiſtendi modos, celeritatem, directionem &c. ſupponunt, quæ quidem per naturam materiæ minime determinantur.

*Ad curſum, & ordinem naturæ non modo viciſſitudines temporum, ſed etiam mutationes atmoſphæræ cum iisdem connexæ, & ſenſibilis ſtatus variorum corporum pertinent: ortus item & interitus animalium, generationes, & corruptiones plantarum. Agebam de legibus Phyſicis, quæ ad corpora, eorumque motus ſpectant: ſunt enim aliæ leges metaphyſicæ, quæ mutuas corporum & ſpirituum mutationes determinant, uti ſunt leges ſentiendi, imaginandi &c. alias adpellant pneumaticas ſolis ſpiritibus proprias, nobisque fere incognitas; alias denique morales, quas Deus vi perfectionum ſuarum creaturæ liberæ, & intellectivæ neceſſario præſcripſit, ut ea finem ſuum adſequatur.*

## §. XLII.

Democritus, & Epicurus hunc mundum ſummo ordine, aptiſſimisque legibus conſtitutum caſu extitiſſe ſomniarunt, hoc modo: ponebant atomos improductas, ab omni æternitate exiſtentes, figura, magnitudine, imo & pondere inter ſe maxime diſcrepantes, mole tam exiguas, ut omnem ſenſum effugiant, penitus individuas, & inſectiles, ut propterea atomi dictæ ſint, in ſpatio inani, & infinito ſine ordine temere agitatas, ex quibus innumerabiles mundi inde ab æterno orti ſint, & poſtea interierint, ac præſens quoque mundus non niſi fortuito & caſu ſine conſilio & directione mentis intellectivæ extiterit. Hæc hypotheſis plurima continet penitus impoſſibilia, uti eſt, Numerus infinitus atomorum. (§. XIX.) Entia mutabilia, quoad magnitudinem, & vim motricem finita, quæ tamen ſint a ſe (§. XXXIX.) 3. Status, & determinationes medias, quarum altera ab altera pendet, ſine determinatione prima (§. XXXVIII.) 4. Series ſtatuum, & mutationum æterna, (§. XIX.) Denique finguntur ab Atheis infinita, vel certe quidem innumerabilia eiusmodi entia a ſe plena contradictionis, ne unicum, idemque optimum, & perfectiſſimum cogantur admittere; quo nihil inſanius cogitari poteſt. Hoc loco quæritur, an transmiſſa hypotheſi exiſtentium atomo-

morum

morum omnis ordinis expertium ex incerta, & fortuita illarum agitatione præſens rerum ordo caſu exiſtere potuerit;& quamvis ea res homini, qui in contemplanda natura rerum, varietate, & conſtantia paullum modo verſatus eſt, minime fieri potuiſſe evidentiſſime videatur; tamen pertinacia, atque impudentia altercantium non nihil negotii imperitis aliquando faceſſit.

## §. XLIII.

*Caſus purus, vel abſolutus eſt effectus ſine cauſſa, ſive quodvis rationatum*, ut aiunt, *ſine ratione ſufficiente.* Eiusmodi caſus abſolute impoſſibilis eſt; nam quidvis, quod eſt, vel in ſe, & eſſentia ſua plenam ſufficientiam habet, ceu Ens a ſe; vel ab alio determinari debet, ut potius ſit, quam non ſit. Exiſtat enim A; Si nulla eius eſt cauſſa, vel ratio, nihil efficit, ut A ſit; ergo etiam nihil efficit, ut eius negatio non ſit; eodem igitur tempore, quo dicis, A eſſe, dicam, ſimul non eſſe, quia nihil efficit, ut eius negatio non ſit; id vero abſolute repugnat: ergo illud quoque repugnat, ut aliquid ſit ſine cauſſa, vel ratione ſufficiente. Atque hoc modo principium rationis ſufficientis ad principium contradictionis quidam reducunt; ſed non eſt nobis laborandum in re, quam nemo non ratione utens pro veriſſima, & indubitata habet. (§. XX.) Siquis in dubium id vocet, non a Philoſopho, ſed correctore aliter docendus eſt; privetur is alimentis, rebusque aliis ad vitam tuendam neceſſariis, iubeaturque exſpectare, donec ea caſu exiſtant ſine omni cauſſa; mutabit, credo, opinionem ſuam. *Caſus reſpectivus* adpellatur eventus mutabilis, cuius cauſſam homines ob imbecillitatem ingenii non adſequuntur; ut ſit in iactu alearum; ſubeſt enim revera cauſſa aliqua, cur hæc potius facies alearum ſurſum ſpectet, non alia, nempe in modo, & natura iactus, in ipſo pondere, & figura & mutuo incurſu alearum, in conſtitutione plani, in quod incidunt &c. quoniam autem eiusmodi complicatas, & inſtabiles cauſſas non perſpicimus, & eventum oppido mutabilem eſſe videmus, eum caſui tribuimus.

*Caſum abſolutum non nulli Epicureis impingunt, quando atomos, quas natura ſua deorſum ferri cenſent, ſimul a linea verticali paullulum declinare, & ad corpora efficienda coire citra ullam adſignatam cauſſam aſſerunt.*

*Quapropter* Cicero *L.de Fato ait :* „ *Quæ ergo nova cauſſa* „ *in natura eſt, quæ declinat atomum? aut num ſortiun-* „ *tur inter ſe, quæ declinet, quæ non? aut cur minimo* „ *declinent intervallo, maiore non? aut cur declinent uno* „ *minimo, non declinent duobus vel tribus? optare hoc* „ *quidem eſt, non diſputare. Nam neque extrinſecus* „ *impulſam atomum loco moveri, & declinare dicis: neque* „ *in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuiſſe* „ *cauſſæ, cur ea non e regione ferretur : nec in* „ *ipſa atomo mutationis aliquid factum eſt, quam ob rem* „ *naturalem ſui ponderis motum non teneret. Ita cum at-* „ *tuliſſet nullam cauſſam, quæ iſtam declinationem efficeret,* „ *tamen aliquid ſibi dicere videtur, cum id dicat, quod* „ *omnium mentes adſpernentur & reſpuant.* „ *Somnia quo-que, ſi obiective ſpectentur, & fabulæ poetarum a rerum veritate abhorrent, cum cauſſa careant, & ratione ſufficiente; qualia ſunt, quæ de aurea ætate imperante Saturno* Ovidius *L. I. Metam. canit: mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores - - flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant; flavaque de viridi ſtillabant ilice mella. Sed nunc quærendum, an fortuita agitatio atomorum nulla interveniente cauſſa externa pro ſufficiente ratione, cauſſaque præſentis rerum ordinis ullo modo concipi, vel ſtatui queat.*

## §. XLIV.

Propoſitio. *Res mundanæ ex fortuita agitatione atomorum exiſtere abſolute non potuerunt.*

Prob. I. In mundo etiam ſunt mentes intellectivæ, & liberæ, ab omni concretione, & coagulatione materiæ longiſſime remotæ; porro *ut res cognitionis prorſus expers* ( quales ſunt atomi ) *cæco caſu, & ſine ulla perceptione agens producat ens intellectuale, non minus repugnat, quam ut triangulum ſibimet tres angulos efficiat duobus rectis maiores*; verba ſunt Lockii de Int. Hum. L. IV. c. 10. §. 5.

II. In mundo, ſive corpora totalia, ſive partialia ſpectentur, ſive elementa eorundem, ſive ſtatus corporum, vel elementorum, deprehenditur ordo, nexus, & conſenſus variorum in uno; & ſicut literæ, quibus poema exaratur, ita ordinandæ ſunt, ut fiant ſyllabæ, ſive complexiones literarum, quæ pronuntiari queant, dein

ut

ut voces eiusdem idiomatis coniungantur, ut plurium vocum complexio, ſive oratio pariat ſenſum, eumque ſecundum regulas Grammaticæ expreſſum, præterea ut ſingulæ ſyllabæ, voces, vocum complexiones congruant cum metro, ut in ſerie verſuum debito conſiſtant loco, ut denique verſuum concatenatio artis legibus reſpondeat; Sic in omnibus corporibus etiam viliſſimis, quæ nihil admirationis cient, & fortuito concreſcere poſſe imperitis videntur, ut in palea, trunco, lapide, mirus atomorum conſenſus, & ordo maxime compoſitus ineſt: ut certus denſitatis gradus, determinata durities, certa pororum figura, & magnitudo, certa elaſticitas; color, cohærentiæ vis, fibrarum in longum diductio, uti in lignis; lamellarum, vel ſtratorum compoſitio, uti in lapidibus, obtineantur, utque inſint eæ vires paſſivæ, ſive diverſæ aptitudines has, & non alias mutationes ſubeundi, ut ligna comburi, lapides in calcem redigi queant &c. Ordo igitur compoſitus atomorum & conſenſus variorum in uno in eo conſiſtit, ut certo ac determinato modo combinentur, ut hanc, & non aliam ſeriem corporum hiſce notis, ſeu qualitatibus præditam conficiant: atqui, ut incerta agitatio atomorum omnis ordinis, & conſenſionis expers, ſit unica cauſſa determinans ordinem, & conſenſionem apertiſſime repugnat; negatio enim ordinis & conſenſionis nihil eſt penitus; utque nihilum ſit cauſſa determinans, abſolute impoſſibile eſt; Idea igitur atomorum temere volitantium non minus excludit ideam determinationis, qua ſit ordo ex inordinato, & conſenſus ex diſſenſu, quam nihilum, ſive negatio entis excludit ipſum ens; neque enim tales atomi, ut in hypotheſi ſunt, ad aliquid obtinendum conſentiunt, quam ad hoc, ut nullus detur conſenſus, & nullus ordo.

III. Atomi eadem neceſſitate naturæ, qua exiſtere finguntur, etiam motum habent; ſi iam idem in omnibus motus, proindeque eadem celeritas, & directio ineſſe ponitur, fieri non poteſt, ut in corpora tot diverſarum claſſium, & ſpecierum, imo ut in tam diverſas, & diſſimiles partes eiusdem corporis e. g. organici coeant: ſi vero motus fingitur inæqualis, ſimilitudo tot individuorum ad eandem claſſem pertinentium locum omnino non habet; ſive igitur uniformitas individuorum, ſive ſpecierum varietas ſpectetur, ea ex incerta & temeraria agitatione pro-

venire non poteſt; nam in iis, quæ fortuito, & temere fiunt, nulla conſtantia ineſt. Concipere autem velle, atomos alias æqualiter, alias inæqualiter moveri, eaque præciſe directione, & celeritate, ut individua ſimilia, ſpecies diſſimiles evadant, optare eſt, non diſputare, ut inquit Tullius, eſtque hoc concipere ordinem ante ordinem, & hypotheſin incertæ, ac fortuitæ agitationis tollere.

## §. XLV.

### Diluuntur Argumenta Contraria.

I. *Si atomi tota æternitate agitentur, infinitæ combinationes prodire debent: inter infinitas autem certe etiam præſens combinatio continetur; ergo, ſi atomi tota æternitate agitentur, etiam præſens combinatio prodire debet; atqui in hypotheſi talium atomorum hoc ſumitur, quod atomi tota æternitate agitentur.* R. d. M. Combinationes infinitæ infinitate primi ordinis prodire debent c. M. omnes ſimpliciter poſſibiles prodire debent, n, M. & d. m. inter infinitas omnes eas, quæ tota æternitate nunquam prodire poſſunt, præſens continetur c. m. inter infinitas, quæ tota æternitate prodire poſſunt, n. m, & c. Ut vim reſponſi penetres, pone atomos numero finitas, ut maior ſpes ſit, per agitationem æternam obtinendi præſentem combinationem; quando numerus terminorum eſt finitus, etiam numerus omnium poſſibilium combinationum eſt finitus, ſiquidem nihil aliud ſpectetur, quam ordo, quo alii termini poſt alios iacent, non item ſi, uti neceſſe eſt, omnia ſpectentur, quæ ad mundi & corporum conſtitutionem ſunt neceſſaria. Nam quia in quavis linea ſunt puncta infinita, in plano infinitæ lineæ, in ſpatio plana infinita; idcirco numerus diſpoſitionum diverſarum in quavis atomo ſeorſim eſt infinitus infinitate tertii ordinis; numerus vero diverſarum combinationum ex omnibus atomis iunctim emergentium erit infinitus ordinis expoſiti a numero atomorum aucto ſaltem ternario; dein velocitas, quam quævis atomus habet dato tempore, poteſt variari in infinitum, & directio motus variari in infinitum ordinis ſecundi ob directiones infinitas in eodem plano, & plana infinita in ſpatio; cum igitur mundi ſtatus, ac mutationum ſeries pendeat a velocitate

&

& directione motus; prior numerus diverſarum combinationum ex omnibus atomis iunctim emergentium debet multiplicari ter per numerum atomorum; erit igitur numerus omnium poſſibilium combinationum infinitus eius ordinis, quem exprimit quarta potentia numeri omnium atomorum aucta ternario, ut ſupra diximus; cumque numerus omnium momentorum æternitatis ſit infinitus primi ordinis, manebit numerus poſſibilium combinationum, quæ tota æternitate non prodeunt, infinitus altiſſimi ordinis, quem nimirum exponit quarta potentia numeri atomorum aucta ſaltem binario. Ex his etiam illud eruitur, in immenſo iſto combinationum numero infinities eſſe plures pro quovis genere combinationes inordinatas, quæ exhibeant incertum Chaos, & maſſam temere volitantium atomorum, quam quæ exhibeant mundum ordinatum, & certis conſtantem perpetuis legibus; ita vere Boscovichius in Theor. Phil. Nat. in append, *de Deo & Anima.* Si atomi ponantur infinitæ, ut Democritus, & Epicurus voluit, in infinitum creſcit numerus combinationum non prodeuntium, & prodeuntium ſine omni ordine.

II. *Si literæ temere proiiciantur, vel in ſacco agitatæ extrahantur, uti fortuito in manus veniunt, nonne vox una latina obtineri poteſt? ſi una vox, nonne & alia deinceps, atque alia, nunquid denique oratio, quæ nihil eſt, niſi complexio vocum?* R. 1. in literis nihil ſpectatur, niſi ordo, quo alteræ poſt alteras iacent; non item in atomis agitatis in ſpatio patente in longum, latum, & profundum; Hinc ſi iſtuc concedatur, nihil officit; imo Boscovichius loco cit. ait: *Ultro agnoſco illud: ſi omnes literæ, quæ Virgilii poema componunt, verſentur temere in ſacco aliquo, tum extrahantur, & ordinentur omnes literæ, aliæ poſt alias, atque eiusmodi operatio continuetur in infinitum, redituram & ipſam combinationem Virgilianam numero vicium quemvis determinatum numerum ſuperante.* Poteſt iſtuc transmitti ex ſuppoſito, quod combinatio quævis ordinata paris conditionis ſit, ac inordinata; quod mihi minime verum videtur, ut potius combinationes inordinatas ſæpius easdem redituras autumem; cum utique combinatio omnis ordinis & conſenſus expers multo facilius ſe offerat, quam ea, in qua ordo tam compoſitus, ut eſt in poemate Virgiliano, ineſt R. 2. recte inquit

Tul-

Tullius: Si ſus ruſtro literam A humi efformet, nunquid propterea annales Ennii caſu prodituros quisquam arbitrabitur? ſed, ut idem L. IV. qq. Acad. obſervat, illud interrogationis genus, quale in obiectione ponitur, captioſiſſimum eſt, minimeque probari in Philoſophia ſolet, cum aliquid minutatim, & gradatim additur, vel demitur; (§. LX. Schol.) Quod in propoſito argumento fit, dum a ſyllaba ad vocem, a voce ad orationem, ab oratione ad poema gradatim, ac fallaciter pervenitur; neque vero determinari poteſt, quantum caſu prodire poſſit, quantum non poſſit, niſi ordo maxime compoſitus, uti eſt in mundo, ac quovis corpore, ſpectetur.

III. *Sæpe caſu exortæ ſunt inſulæ; ergo & tota terra, aliique globi totales hoc modo oriri potuerunt;* R. t. a. (plurimæ enim ab antiquis fabulæ circa ortum inſularum nobis relictæ ſunt) n. c. in ortu inſularum non niſi partes terreæ, atque arenoſæ, quæ ſeorſim in natura, ut aiunt, ſive ſecundum ſpeciem ſuam ante aderant, congeſtæ ſunt, quod haud ægre fieri potuit. Sed in agitatione atomorum poni nequit, moleculas ſpecificas ante iam adfuiſſe e. g. particulas ligni, vel ſemina plantarum, & animalium ova; neque vero id Epicuræi ponebant; nam ut Cicero ait L. II. de Nat. Deor. *Iſti autem, quemadmodum adſeverant ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιοτητα Græci vocant, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temere, atque caſu mundum eſſe perfectum, vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios naſci, alios interire;* Aiunt: in lapillis, gemmis, mero caſu perelegantes imagines frondium, arborum, piſcium, florum &c. ſæpe efformantur. R. Magalottus, & Pluchius, qui iſtiusmodi mirabilium collectiones examinarunt, aiunt, nihil admodum diſtinctæ imaginis, ſed non niſi imperfectam ſimilitudinem quandam reperiri, præſertim ſi vivacior ſpectantium phantaſia accedat. Lapidibus imprimi poſſe figuram frondium, vel animalium, Phyſica oſtendit. In achate multa fieri per artem poſſunt. Plutarchus de Fortuna ſcribens refert, pictorem, cum in ſpuma circa os equi exprimenda fruſtra laboraſſet, proiectis in tabulam coloribus nullo conſilio aptiſſime eandem ſpumam repræſentaſſe; addit: *Hoc unum fortunæ artificioſum facinus*

*tinus narratur.* Sed nempe ſpuma, cum temere quidquam profuſum exhibeat, longe ab ordinata animalis, vultusve ſtructura differt, & haud ægre præſertim præparato iam colore temere efformari potuit. Philoſophi non nulli, cum plantas quasdam, & animalia inſecta ex putri materia oriri dicerent, hanc non niſi cauſſam materialem videntur ſtatuiſſe; pro efficiente enim ad Deum, aliasve occultas cauſſas recurrerunt; Enimvero ſi inſecta, quæ vulgo contemtui ſunt, ſed quorum ſtructuram admirantur omnes Docti, ex putredine caſu fermentante citra aliam cauſſam oriri poſſent; quivis fieri poſſe arbitrabitur, ut ex fimo ſimiliter fermentante denique elephas, vel taurus prodeat, vel ex cumulo librorum, quos tineæ exederunt, novus exiſtat liber, aut ex ferramentorum congerie denique horologium conſletur; quæ quidem fieri poſſe, nemo ſanus inducet in animum.

IV. *Fuerunt viri acuti, qui mundum caſu exiſtere potuiſſe opinabantur; ergo iſtuc non omni probabilitate caret. R. o. a.* Aliud eſt, quid ſerio iudicent, aliud, quid garriant, vel ingenii iactandi cauſſa ſcribant homines, qui cæteroquin acuti videntur; præſertim ſi animum ſic obſirmarint ad dubitandum, ut dicant, vel cogitent; *non perſuadebis, etiamſi perſuaſeris*; nihil eſt tam firmum, tamque rationi conſentaneum, quod non eludi queat; neque vero certitudo, & evidentia dogmatis levitate quorundam, vel impudentia contradicendi tollitur; & ſiqui eo inſaniæ venerint, ut mundum caſui, quam Deo tribuere mallent; cogitandum, non tam intellectus, quam voluntatis vitium eſſe Atheiſmum: omnium judicio ineptirent, ſi univerſum mundum a muſca, vel crocodillo ægypti effici potuiſſe dicerent; ſiquo in campo, ubi exercitus olim fuſus eſt, novam repente aciem armatorum proveniſſe fingerent, & ex corpuſculis ibi jacentibus coaluiſſe: ſi ex notis muſicis fortuito agitatis, & projectis jucundiſſimam harmoniam obtineri poſſe aſſererent, vel projectis per centum annos temere aleis eundem ſemper in omnibus numerum ſolo caſu poſſe haberi contenderent, aut admirabile palatium, quod peritiſſimi quique architecti admirantur, lapſu, & colliſione montis ob terræ motum repente extitiſſe adſirmarent. Hæc quidem, ſi cum admirando, ſta-

ſtabilique ordine mundanarum rerum conferantur, citius fieri poſſe perſpicuum eſt, quam ut mundus ex temeraria concurſione atomorum prodierit. Quapropter leviculorum quorundam hominum opinationi conſenſus humani generis opponendus eſt; quivis enim homo ipſo labore, quo victum & veſtitum, tectumque ſibi comparat, vel ab aliis comparari videt, vel quo arcendis malis, & incommodis diverſa adhibet media, aut perpetuo conatu; quo deſideriis ſuis ſatisfacere adlaborat (nemo eſt autem, qui nihil penitus deſideret, nihilque agat) ſatis intelligit, quantum opera rationis, ac mentis ab operibus caſus & fortunæ differant, quantumque ea, quæ fortuito contingunt, diſtent ab iis, quæ apto ordine connexa, & ad conſtantem finem adcommodata ſunt. Si rudiſſimus quisque e caſa ſua prorepens aliam videat caſam, vicum, urbem, navem, cultumve hortum, vel agrum, minime dubitet, quin & caſa, & urbs, & navis ab alio ſint conſtructæ ad certos fines; hortus quoque, & ager cujusdam manu ſit conſitus; quomodo igitur, ſi is pulcherrimum hunc mundum cernat, ſi ordinem rerum, ſtatasque leges intueatur, ea omnia ſolo caſu, nulla cogitatione, nullo conſilio efformata putet? Democritus quidem, qui auctor iſtiusmodi inſaniæ caſui quidvis tribuentis eſt, cum vidiſſet puerum Protagoram ligna in faſciculum concinne diſponentem, illius ingenium non vulgare admiratus eundem ruſticis operibus addici nefas duxit, ut refert Gellius; hic igitur vel ad lignorum faſcem componendum ingenium requiſivit; ad formandum autem hoc univerſum mente intellectiva opus fuiſſe negavit; rectius apud Platonem quidam ita loquitur: quia deprehendis ordinem in meis dictis & factis, evidens tibi eſt, me habere mentem intelligentem: ergo videns ordinem hujus mundi, confitere, exiſtere mentem intelligentem. *Si quis in domum aliquam*, ait Balbus Stoicus apud Tullium L. II. de Nat. Deor. n. 15. *aut in gymnaſium*, *aut in forum venerit*, *cum viderit omnium rerum rationem*, *modum*, *diſciplinam*; *non poteſt ea ſine cauſſa fieri indicare*; *ſed eſſe aliquem intelligit*, *qui præſit*, *&* *cui pareatur*: *multo magis in tantis motibus*, *tantisque viciſſitudinibus tam multarum rerum*, *atque tantarum ordinibus ſtatuat*, *neceſſe eſt*, *ab aliqua mente tantos naturæ motus* gu-

*gubernari.* Ex his quidem ſatis levitas eorum hominum patet, qui contra ideas, quas ipſa natura inſtillante capiunt, uſuque vitæ & conſuetudine cogitandi neceſſario arripiunt, quidvis ſcribunt, atque in orbem literarium intrudunt, quaſi tum demum ſaperent, ſi contra ſenſum omnium ſentirent.

V. *Sæpe etiam vulgo nominatur caſus, & fortuna; ergo ex mortalium ſenſu contra caſum nihil conficitur.* R. Nominamus caſum, & fortunam non Epicuræo ſenſu, ſed longe alio. Quæ inopinato, & raro eveniunt nobis minime exſpectantibus, etſi cauſſas certas, & proportionatas habeant, caſu, & fortuna cecidiſſe dicimus, eo diſcrimine, ut fortuna ſit eventus pertinens ad res intellectu & ratione præditas; caſus vero & in his, & aliis habeat locum. Cicero in Topicis cauſſas obſcuras vocat, quæ ſubiectæ ſunt fortunæ; cum enim nihil ſine cauſſa fiat, hoc ipſum eſt fortunæ, eventus obſcura cauſſa, quæ latenter efficit; iacere telum voluntatis eſt: ferire, quem volueris, fortunæ; unde Veteres Icti imprudentiam cauſſati dicere ſolebant: telum manu fugit magis, quam jecit. Alii caſum & fortunam non ipſos eventus raros, & incertos, ſed cauſſas per accidens ejusmodi eventuum eſſe ajunt; S. Thomas L. II. Phyſ. Lect. X. Ex mente Ariſtotelis inquit: caſus & fortuna vel eſt cauſſa eorum, quæ ſunt a natura, vel quæ ſunt ab intelligentia; a quibus cum ſit principium motus, ad idem genus referuntur: quia tamen iſtæ ſunt cauſſæ per accidens, earum multitudo eſt indefinita; & quia univerſe prius ponenda eſt cauſſa per ſe, quam per accidens; hinc nequeunt pro prima, & vera cauſſa ſtatui.

# CAPUT VI.

## *Nexus Rerum, atque Ordo naturæ non tollit Contingentiam Eventuum, & Poſſibilitatem Miraculorum.*

*Tum ſtatus rerum, tum ipſa exiſtentia pendet a Deo C. IV. quapropter ſpectata rerum eſſentia vel natura, nulla exiſtendi, vel certo modo exiſtendi neceſſitas poni poteſt; nec vero Deus, cum in ſe omnem ſufficientiam, & beatitudinem habeat, ulla re eget, nec vi bonitatis, & ſapientiæ infinitæ neceſſario quidquam produxit,*

*xit, quemadmodum contra Leibnitianos oſtendemus in Theologia Nat. Nexus igitur rerum per cauſſas, & rationes ſufficientes, earundem contingentiam non tollit; quia ipſæ cauſſæ & rationes ſunt contingentes, & non poni abſolute poterant, ut adeo duntaxat hypotheticam neceſſitatem:* Si poſitæ ſunt, certoque modo determinatæ, *in mundum inducant. Reſtat, ut poſitis etiam rerum cauſſis, poſitoque nexu & ordine naturæ quidquam a Deo contra eum ordinem fieri poſſe demonſtremus.*

## §. XLVI.

*Effectus ſupernaturalis eſt, cujus ratio non continetur in legibus, & viribus univerſæ naturæ*, ſive ut S. Thomas ait, qui excedit ordinem naturæ; ordo rerum duplex a Deo inſtitutus eſt; alius pertinet ad gratiam, & gloriam Sanctorum, quæ naturam rerum in ſe ſpectatam, omniaque ad eam pertinentia ſuperant, longeque altioris ordinis ſunt; alius pertinet ad ipſam rerum naturam, varioſque eius ſtatus, & mutationes; idcirco aliud vocant ſupernaturale theologicum, uti ſunt gratia, & gloria, quæque ex ſe ad eam referuntur, vel diſponunt; & rurſus aliud ſupernaturale Philoſophicum, quod, etſi non ſit altioris ordinis, quam natura ipſa; tamen leges, & vires naturæ excedit; atque id fere adpellant miraculum. In hoc exceſſu Quidam tres gradus diſtinguunt. 1. Siquid naturæ vires quoad ſubſtantiam excedit. 2. Si quoad ſubiectum, in quo ſit. 3. Quoad modum, quo fit. Alii quartum addunt gradum, quando ex circumſtantiis clare perſpicitur, quoddam factum ad ipſum Deum referendum eſſe, uti cum Eliſæus *maledixit eis* (pueris) *in nomine Domini, egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros;* 4. Reg. 2. Similiter Ariſtoteles in Poetic. c. 8. docet, etiam inter fortuita non nulla eſſe magis mirabilia, quæ non videntur caſu contigiſſe, ſed conſulto; exemplum adfert ſtatuæ cujusdam Mityi, quæ eius occiſorem, cum ſtatuam adſpiceret, oppreſſit; *eiusmodi hæc ſunt*, ait Ariſtoteles, *ut non temere hæc facta opinemur.* Alii binos duntaxat in illo exceſſu gradus ſtatuunt, & *miraculum quoad ſubſtantiam* adpellant, ſiquid nullis adiunctis, nulloque reſpectu vi naturæ effici queat, ut ſuſcitatio mortui; & *miraculum quoad modum*, quod tali modo atque his adjunctis,

ctis, queis fit, naturæ vi effici nequeat, ut repentina ſanatio ægri.

*Facta, quæ leges & vires naturæ excedunt, in ſe ſpectata aliquando* virtutes *nominantur in ſacro codice: quatenus vero eadem ad manifeſtandam Dei operationem deſtinata ſunt*, ſigna: *propter excellentiam* portenta, *&* prodigia, *quaſi procul aliquid oſtendentia. Dicuntur eadem* ſupra naturam, *quatenus iis efficiendis nulla vis par reperitur in natura: dein* contra naturam, *quando ſecundum leges, & vires naturæ contrarium fieret: denique* præter naturam, *ſi a natura effici poſſint, ſed non iſto modo.*

## §. XLVII.

Propoſitio. *Miraculum abſolute poſſibile eſt, etſi leges generales motus ponantur eſſe eſſentiales.* Prob. I. Vires, unde effectus pendent, etſi a natura materiæ profluant, tamen ſunt limitatæ; igitur earum effectus impediri poteſt vi maiore, quæ, ſi in univerſa natura non reperitur, at enti infinito abiudicari nequit; uti, ſi motus corporis totalis ſiſtitur, vel immutatur. Dein cum plurimæ vires a diſtantiis pendeant, ipſaque elementa ſpectata natura ad diſtantiam ex ſe indifferentia ſint, non repugnat, ut diſtantia, Conditoris voluntate mutetur, vel certus acceſſus, aut receſſus elementorum, conſequenter ipſe effectus impediatur, aut ex nova combinatione nova effectuum ſeries inchoetur, (ut in momentanea ſanatione morbi, aut revocatione mortui ad vitam) vel ex diſſolutione prior ſeries abrumpatur. II. Nequit Enti infinito negari vis creandi, & annihilandi præter ordinem naturæ. III. Niſi omnem fidem hiſtoricam tollamus, recte argumentabimur hoc modo: facta ſunt miracula: ergo poſſunt fieri. Vid. Auctor de Moderatione ingeniorum in Religionis negotio L. III. C. XI.

*Relate ad potentiam infinitam quodvis factum, quod infirmi mortales maximopere obſtupeſcimus, minimum eſt, neque exceſſus gradum admittit; idcirco S. Auguſtinus L. 26. contra Fauſtum, „ Deus Creator, & Conditor „ omnium creaturarum, inquit, nihil contra naturam fa- „ cit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, „ a quo omnis modus, numerus, & ordo naturæ eſt &c.*

„ *ſed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum* „ *facere, quod facit contra id, quod novimus in natura.* „

## §. XLVIII.

### Refutantur Argumenta Opposita.

I. *Si leges naturæ ſunt eſſentiales, contra eas fieri nihil poteſt; quia eſſentiæ rerum ſunt immutabiles; ergo in ea hypotheſi miraculum non eſt poſſibile.* R. d. a. Contra leges particulares, & derivativas, itemque contra ea, quæ ad ordinem & curſum naturæ ſpectant, fieri nihil poteſt, n. a. contra leges primitivas, & leges generales motus fieri nihil poteſt, ſubd. hoc eſt, poſita exiſtentia materiæ impoſſibile eſt, ut non agat certo modo, ſi ſibi relinquitur, c. a. ipſa actio, vel effectus abſolute impediri nequit, n. a. & c. quo ſenſu naturæ leges dici eſſentiales poſſint, explicatum eſt §. XLI. Poſita etiam hac natura materiæ tam parum ordo, & curſus naturæ ponitur, quam parum poſita gravitate, & inertia globi ponitur certus eiusdem motus ſecundum certam plagam, celeritatem, orbitam, quam deſcribit; id quod palam faciet Phyſica, ex cujus ignoratione homines rudes, utcunque ſibi ſapere videantur, miraculorum poſſibilitatem oppugnant. Deus ex eadem materia, quæ præſentem ſtatum nunc habet, longe alium efficere rerum ordinem, curſumque potuiſſet, quod vel ex eo intelligitur, quod nos ipſi ex varia corporum adplicatione varias mutationes determinamus; ut fit in cultura agrorum, inſitione ſurculorum, fluidorum commixtione, vel eorum ad corpora ſolida adfuſione; & quamvis procreato ente intellectivo, ac libero leges *morales* abſolute neceſſariæ, & immutabiles ſint; tamen nequit idem de legibus phyſicis ſtatui; tum quia iſtæ etiam poſita natura materiæ limitatæ ſunt, & vi maiore ſuperari queunt; tum quia ordo ac curſus rerum phyſicarum ex ipſis divinis perfectionibus non profluit, quemadmodum in perfectione divina leges morales fundari Theologia demonſtrat; inepte igitur Spinozza leges naturæ Dei decreta vocat ex eius perfectione emanantia; cum inter Dei perfectionem, & leges determinatas motus nulla neceſſaria connexio concipi, vel exhiberi poſſit. Neque, ut idem imperite adſerit, propterea Dei voluntas mutatur, ſiquid contra leges ſancitas agat.

Du-

Dudum enim illam oppoſitionem prævertit S. Thomas in Quæſtionibus diſputatis quæſt. 6. de Miraculis Art. 1. *Dicendum*, inquiens, *quod Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit, & voluit ſe facturum, quod in tempore facit. Sic ergo inſtituit naturæ curſum, ut tamen præordinaretur in æterna ſua voluntate, quod præter curſum iſtum quandoque facturus erat.* Non mutatur igitur Deus decernendo, & efficiendo quidquam contra generalem ordinem, quia jam inde ab æterno eadem ſimpliciſſima, & immutabili voluntate, qua leges naturæ generatim obſervari voluit, ſimul certis temporibus contra illas leges agere decrevit, uti, ſi princeps eo temporis momento, quo legem aliquam ſtatuit, ſimul in certis circumſtantiis eius ſe vinculum ſolvere velle ſtatuat; nemo eum inconſtantiæ, vel mutationis iure redarguat; cum præſertim Deus ſapientiſſimos fines in miraculis æque, ac ſolito naturæ curſu ſibi præfigere poſſit; quapropter neque Wolfii opinio probari poteſt, qui miracula a potentia divina, non item ſapientia proficiſci putat, mundumque, in quo pauca fiunt miracula, meliorem habet eo, in quo plura fiunt.

II. *Omnes naturæ leges, totusque ordo nobis cognitus non eſt; ergo nunquam adfirmate dici poteſt, quemdam effectum eſſe ſupra vel contra omnes leges, aut præter ordinem naturæ.* R. Etſi omnes particulares leges, & vires cognitæ non ſint; tamen ſcimus, omnes vires eſſe finitas, quæ potentia infinita facile ſuperentur: ordo quoque naturæ, uti poſita jam materiæ natura, determinari primo debuit a Creatore; ita ab eodem mutari poteſt. Qui in Phyſica recte progreſſus eſt, nempe experientia, & Matheſi duce, nihil in re tota difficultatis ineſſe, apertiſſime videt; dein ſcimus profecto, quid vi naturæ in certis adiunctis, ſecundum cognitas, & conſtantes leges per cauſſas eodem modo adplicatas fieri poſſit, & debeat; quodſi igitur contrarium fiat, vel quod fieri debebat, non fiat; recte concludimus, effectum eſſe contra, vel ſupra naturæ leges, ac vires. Sed fortaſſis, inquiunt, exiſtit alius ordo, & aliæ leges nobis penitus incognitæ, ob quas effectus, quos in miraculis numeramus, neceſſario, & ſecundum naturam eveniunt; R. Totum hoc pro arbitrio fingitur, & per-

tinaciam, non veritatis ſtudium indicat; ſi ille ordo incognitus non opponitur præſenti ordini, miracula, quæ contra præſentem ordinem eveniunt, etiam incognito adverſantur: ſi vero opponitur, duo oppoſiti ordines extabunt in natura, quod abſurdiſſimum eſt, omnemque ordinem tollit.

III. *Certe ignoramus vires ſpirituum ſeparatorum: igitur id, quod effici a Deo putamus, & pro miraculo habemus, fortaſſis a ſpiritu quodam finito, ceu a bono, vel malo genio fit.* R. Mutatio ordinis generalis ad ſolum Deum pertinet, qui eundem conſtituit; etſi igitur ignota ſit vis ſpirituum ſeparatorum; tamen certiſſimum eſt, quod generalis ordo naturæ ab iis perturbari, vel pro arbitrio immutari haud poſſit, ſicut nec Princeps leges ſuas mutari a ſubdito, nec Paterfamilias ſua præcepta eludi a domeſtico ſinit. In hunc locum adnotandum præterea eſt: 1. Siquid bonus genius agat ſpeciali Dei iuſſu, quod eſt præter ordinem naturæ corporeæ, id factum non cauſſæ miniſteriali, ſed principali, nempe Deo tribuendum eſt, uti cum Angelus Domini deſcendit in fornacem Babyloniam, & excuſſit flammam ignis, vel cum is Prophetam Habacuc in Babylonem tranſtulit ſupra lacum, in quo erat Daniel, vel cum in caſtris Sennacherib interfecit 180000 hominum. Hæc quidem vim ſpirituum haud excedere videntur, & tamen in miraculis numerantur; idcirco Chriſtian. Hollmannus in comment. Phil. de Miraculis, & genuinis eorum criteriis contendit nonnulla vera dari miracula, quæ vires *totius* naturæ creatæ non ſuperant. SS. D. Benedictus XIV. L. IV. De Canoniz. SS. P. I. c. 1. ait: Nos maioris claritatis gratia dicimus, miracula maiora excedere vires totius naturæ creatæ, & miracula minora excedere vires naturæ tantum correæ, & viſibilis. 2. Mali genii non miracula, ſed mirabilia poſſunt edere, quia maiore vi, celeritate, ſagacitate, peritiaque naturalium rerum pollent, quam homines; nec tamen viribus ſuis pro libitu uti poſſunt, ſed quantum Deus permiſerit ex altiſſimis, occultisque conſiliis; illud a nemine ſano in dubium revocari poteſt, quod ad Dei bonitatem, & providentiam ſpectet, ne quid a malis geniis fieri permittat, quod ſecundum leges humanæ prudentiæ pro miraculo haberi deberet, & in pernicioſum errorem homines citra ipſorum culpam inducere poſſet; Dæmonis quidem opera ignis e cælo cecidit, &

oves,

oves, & pueros Job conſumſit; Job c. 1. v. 16. At eo tempore, quo Elias populum a cultu idoli Baal revocaturus dixit: *Dentur nobis duo boves, & Prophetæ Baal quadringenti quinquaginta viri, Prophetæque lucorum quadringenti eligant ſibi bovem unum, & in fruſta cædentes ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant; & ego faciam bovem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam: invocate nomina deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus, qui exaudierit per ignem, ipſe ſit deus.* 3. Reg. c. 18. Hoc, inquam, tempore divina providentia certe permittere haud poterat, ut dæmonum opera ignis colligeretur in ſuperna regione, & in bovem Prophetarum Baal decideret; cum Deus ipſe iſtuc divinitatis ſignum per Eliam populo dare conſtituiſſet, ut holocauſtum ſibi oblatum combureret manifeſto prodigio. 3. Deus in patrandis veris miraculis etiam dæmonum opera uti poteſt, velut cum homines ſceleratos extra ordinem inſigniter punit; nec tamen propterea ab angelis malis miracula fieri exiſtimandum eſt. Nam ut SS. D. N. Benedictus XIV. loc. cit. c. III. n. 13. ait, *quamvis in punitione impiorum gloria divina reluceat, & ipſi ſint eius miniſtri; ſunt tamen miniſtri reluctantes, & in malo obſtinati, qui gloriæ Dei inviti ſerviunt, ſed eam nec exoptant, nec quærunt.* Similia fere habet Moshemius in commentariis ad ſyſtema Cudworthi T. 2. pag. 866. & ſeqq. Fieri tamen non poteſt, ut adcurate definiatur, quid dæmones per naturam poſſint, quid per Dei interdictum non poſſint facere. S. Augustinus L. 3. de Trinit. c. 9. ait: *Quid autem poſſint per naturam, nec poſſint per prohibitionem, & quid per ipſius naturæ ſuæ conditionem facere non ſinantur, homini explorare difficile eſt, imo vero impoſſibile, niſi per illud donum Dei, quod Apoſtolus commemorat dicens: alii diiudicatio ſpirituum.*

IV. *Hæc de miraculorum poſſibilitate doctrina plurimis deceptionibus ſubiacet, quia occaſionem præbet, ut fabulæ pro miraculis circumferantur: igitur indigna Philoſopha eſt.* R. Doctrina, & veritas doctrinæ non ſubiacet deceptioni; ſed adplicatio, ut in omni re præſtantiſſima; nec fabulæ ex ipſa doctrina, ſed hominum ignorantia, vel malitia, adeoque non per ſe, ſed per accidens, ut aiunt, proveniunt. Digna ſunt verba auctoris de Mod.

Ing. quæ exſcribantur ex loco ſupra citato : in hoc autem negotio duplex animadverti poteſt exceſſus : alter eorum, qui nimis multa, alter eorum, qui nimis pauca credunt. Iudicio illi, temeritate iſti peccant; nam exploratum eſt, fuiſſe olim, & adhuc eſſe, imo eorum ſobolem diu duraturam, qui miracula confinxere ſive pravum, ſive bonum in finem; aliosque plures fuiſſe, qui ſine ullo criterio, atque indiſcriminatim tam veris, quam fictis mirabilibus adiunxere fidem, eaque ad poſteros bona fide transmiſerunt. Tum crimini, tum nimiæ credulitati iſti, ſe perpetuo oppoſuere ſancti Patres, Romani Pontifices, Concilia ſacra, & Eccleſia univerſa Danielis exemplo. Veritas enim falſitate ad ſui tutelam non eget, & falſa facere poſſunt, ut apud ſuſpicioſos homines auctoritatem vera quoque deperdant. *Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* aiebat ſanctus vir Iob XIII. 7. Sed & alter exceſſus eſt, ideo veris negare fidem, quia falſis deprehenduntur immixta; & æque ſtultum eſt, nimis pauca, imo nulla credere certa. Si in alterutram partem peccandum eſt, pietas, & prudentia poſcit, ut potius periculo nos exponamus non facta credendi, quam vera negandi. Interim iudicio critico hic opus eſt, & expendenda ſunt omnia, ut, quantum fieri poteſt, miracula germana a ſpuriis, certa ab incertis, vera a falſis diſtinguantur. Proinde hic quoque præceptum Apoſtoli valet 1. Theſſ. v. 21. omnia probate, quod bonum eſt, tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Ita ſummus Criticus. De criteriis veri & falſi miraculi vid. Ss. D. N. Benedictus XIV. L. IV. de Canoniz, Ss. P. I. C. IV. a n. 7.

*Genuinus igitur, & internus character, quo miraculum ab aliis naturæ operibus diſcernitur, in eo conſiſtit, ut factum aliquod vel quoad ſubſtantiam, vel quoad ſubiectum, vel modum, & circumſtantias univerſæ naturæ etiam ſpiritualis vires, ac leges excedat, aut certe quidem, ſi vires corporeæ & ſenſibilis naturæ duntaxat ſuperat, ut indicia divinæ operationis contineat. Definitio miraculi non arbitraria eſt, ſed pendet tum ex quæſtione dogmatis, an abſolute poſſibilia ſint; tum ex quæſtione facti, an aliqua contigerint reipſa. Inepte igitur Spinozza miraculum vocat naturæ opus, cuius cauſſam naturalem exemplo alterius rei ſolitæ explicare non poſſumus: inepte Hobbeſius, cum miraculum*

*eſſe*

*eſſe immediatam Dei actionem dixiſſet, poſtea naturales eius cauſſas comprehendi a nobis nequaquam poſſe, adiunxit; inepte alii quodvis mirabile cum miraculis miſcent, quaſi monſtra quoque & peccata naturæ in numero miraculorum eſſent. Hinc S. Thomas in 2. Diſt. 18. quæſt. 1. Art. 3. ad 2. ait: „ Inſolitum, quod in definitione miraculi ponitur, „ non dicit raritatem facti, ſed excludit ſolitum curſum na- „ turæ: unde ſi quotidie cæci illuminarentur, nihilominus „ miraculum eſſet, quia præter curſum naturalem, qui no- „ bis eſt conſuetus, contingeret. „ Denique niſi Dæmoni quoque poteſtatem vera miracula patrandi demus (quod ſine abſurditate dare non poſſumus) mala eſt Clarckii definitio ita dicentis: miraculum eſt effectus conſueto naturæ ordini contrarius, a natura quadam intelligente, quæ viribus hominem ſuperat, extra ordinem productus.*

# SECTIO III.

## *Notiones, ac Propoſitiones Ad Relationem Rerum pertinentes.*

*Maximam cogitandi ac differendi de rebus copiam nobis præbet facultas quamvis ideam referendi ad ideam aliam, ex qua idearum relatione, & quaſi iuxta poſitione novæ in nobis exiſtunt ideæ, cognitionesque relativæ; quarum præcipuas nunc adnumerabimus.*

### §. XLIX.

Quoniam in nobis vis eſt, ſeu facultas diſcernendi ideas, qua eandem habemus pro eadem, diverſam pro diverſa; idcirco idea quæcunque relata ad aliam quamcunque denominatur *eadem*, vel *diverſa*; & quoniam ope idearum de rebus iudicamus, etiam res quæcunque relata ad aliam rem quamcunque *eadem* dicitur, vel *diverſa*. *Abſolute eadem* ſunt, quæ conveniunt in omni nota, ſeu prædicato: *reſpective eadem*, quæ conveniunt in aliqua ſaltem nota, ob quam communi, ſive eadem idea comprehendi, ſibique ſine mutatione ſubſtitui poſſunt ſpectata duntaxat illa idea, in qua conveniunt. Negatio identitatis abſolutæ eſt *diſtinctio realis*: negatio identitatis re-

ſpectivæ *diverſitas*; quæ enim in nota quadam, ſeu prædicato, quod in conſiderationem venit, non conveniunt, *diverſa* dicuntur. Generatim igitur, quid ſit identitas, ſeu convenientia, diſtinctio ſeu diverſitas ex vi diſcernendi ideas, atque attentione ad ideas quaſcunque intelligitur, eaque denominatio oritur ex relatione plurium idearum; hinc etiam in identitate abſoluta, quæ eſt convenientia, vel conſenſus in omni nota, eadem idea bis ponenda eſt, ut dici poſſit e.g. A eſt A. Convenientia, ſeu identitas qualitatum, ſeu notarum internarum, quæ ſine alia adſumta intelligi poſſunt, dicitur *ſimilitudo*, diverſitas earum, *diſſimilitudo*: convenientia ſeu identitas quantitatis, magnitudinis in numero, extenſione, intenſione, perfectione adpellatur *æqualitas*: diverſitas quantitatis, ſeu magnitudinis, *inæqualitas*.

*Identitas abſoluta ab aliis dicitur vera, abſoluta, & determinata adfirmabilitas unius de altero in recto: diſtinctio autem vera, abſoluta, & determinata negabilitas unius de altero in recto. Ope concretorum, quorum ſubiectum in recto adfirmatur de propoſitionis ſubiecto, fit, ut ideæ maxime diſcrepantes in propoſitione adfirmativa coniungi poſſint. Log. §. XXX, n. 2. Secus omnes propoſitiones adfirmativæ eſſent identicæ, vel nugatoriæ.*

## §. L.

De re eadem, quæ penitus ſimplex eſt, & ex diſtinctis partibus minime coaleſcit, diverſæ ideæ concipi poſſunt *cum fundamento in re*, ut aiunt, ſi nempe res eadem diverſas proprietates, aut operationes habet, ut patet in Deo, vel mente humana; alia enim eſt operatio divinæ miſericordiæ, alia iuſtitiæ; alia item in nobis eſt ratiocinatio, alia ſenſatio; ideæ talium operationum diverſarum reipſa diverſæ ſunt, & diſtinctæ, non autem principium earundem; Hinc in re eadem, ac penitus ſimplici locum habet *diſtinctio formalis*, *ſive rationis*, quæ eſt multiplex, ac diverſa eiusdem rei cognitio; ac cum dicitur: animalitas formaliter non eſt rationalitas, negatio ad ſolas ideas refertur, ut ſenſus ſit: idea ſenſationum non eſt idea ratiocinationum: at in propoſitione: animalitas realiter eſt rationalitas, indicatur idem eſſe diverſarum operationum principium. Hæc igitur formalis diſtinctio,

ſi

ſi fit cum fundamento in re, quemadmodum declaravi, dicitur *diſtinctio rationis ratiocinatæ:* contra vero *diſtinctio rationis ratiocinantis* eſt, quando diverſitas cognitionis ex ſolo cognoſcendi modo petitur, ut ſiquid nunc clarius, alias obſcurius, nunc ſymbolice, alias intuitive cognoſcitur.

*Diverſitas igitur idearum ad rem eandem pertinentium indicio non eſt diſtinctionis realis plurium in eo obiecto: at ſeparabilitas mutua, vel non mutua plurium quoad locum, vel tempus: dein relatio, ſive oppoſitio relativa primo producentis, & producti evidentia diſtinctionis realis ſigna ſunt; nihil enim aut ſeparari a ſe ipſo, aut primo a ſe ipſo produci poteſt. Quæcunque incompleta, ſeu inadæquata cognitio rei ſæpe præciſio formalis dicitur, ut ſi ad ſolam ſentiendi vim in homine attendam.*

## §. LI.

*Propoſitiones de identitate* I. Quæcunque eadem ſunt, vel conveniunt uni tertio, eadem ſunt, vel conveniunt inter ſe; & quæ diſtinguuntur in eodem tertio, diſtinguuntur inter ſe (Log. §. XLV,) II. Valent hæc axiomata etiam de identitate reſpectiva; quæ enim ſimilia, vel æqualia ſunt eidem tertio, ea ſimilia ſunt, vel æqualia inter ſe, & quorum unum ſimile eſt, vel æquale tertio, alterum non item, ea non ſunt ſimilia, vel æqualia inter ſe: præterea ſimilibus ſimilia, vel æqualibus æqualia, ſunt inter ſe ſimilia vel æqualia. Hæc quidem ex vi diſcernendi ideas cuivis perſpicua ſunt, ob quam unum in locum alterius ſubſtitui poſſe ſine mutatione, aut non poſſe intelligimus. III. Similitudo, & diſſimilitudo, quæ inter res plures diſtinctas intercedit, ſuos gradus habet, pro convenientia in notis pluribus, vel paucioribus; hinc exiſtunt ſcalæ, ſive ordines ſpecierum, ac generum; & alia dicuntur numero, alia ſpecie, & alia genere eadem (Log. §. VII.) ac quævis res cum alia quavis in ſuperiore quodam genere, aut notione tranſcendentali convenit. IV. Quorum eſſentiæ ſimiles ſunt, etiam attributa; & viciſſim ex ſimilitudine proprietatum, & operationum intelligitur ſimilitudo eſſentiæ, ac naturæ; V. Effectuum ſimilium ſimiles cauſſæ ſtatuendæ ſunt; quæ eſt lex philoſophandi a Newtono ſtabilita; VI. Quatenus quædam ſimilia dicuntur, nulla nota, quæ quidem in conſiderationem venit, differre poſſunt,

niſi ſola magnitudine ; hinc lineæ rectæ omnes, & omnes circuli, etſi magnitudine plurimum diſcrepent, ſimiles dicuntur. VII. Similitudo maxime ſpectatur in triplici genere ; nempe *inductione*, qua plurimum uſus eſt Socrates in re morali, & Phyſici utuntur in naturæ inveſtigatione : *exemplo*, quod Oratorum proprium eſt, qui ſimilitudinem adiunctorum in primis urgere debent : *comparatione*, de qua aliter Cicero, & Rhetores, aliter Ariſtoteles, & Dialectici loquuntur, a quibus comparatio a maiore vocatur hæc : Si id, quod magis videtur ineſſe, non ineſt, multo minus id ineſſe dicendum eſt, quod minus videtur ineſſe ; ut, ſi felicitas non ineſt in voluptate ſenſuum : multo minus in divitiis, quæ ſunt média & inſtrumenta voluptatis. Comparatio a minore : ſi id, quod minus videtur ineſſe, ineſt, multo magis id, quod magis videtur ineſſe : improbus miſer eſt, cum proſpera fortuna utitur, multo igitur magis miſer, ſi adverſa. Comparatio parium, quæ frequens eſt in diſputationibus, & acumen in reſpondente poſtulat. Huc pertinet argumentum ab analogia (Log. §.XCI. ) & forma quædem ratiocinii copulativi ( Log. §. LVI, n. II.) Ariſtoteles L. II. Rhet. hoc comparationis iſtius exemplum ponit : Si ne belli duces quidem idcirco mali ſunt, & contemnendi, quia aliquando vincuntur ; neque Philoſophi diſputantes. VIII. Siquid alteri ſimile eſt, ſive ideam communem habet, quidquid vi illius ideæ uni tribuitur, etiam alteri competit. Hic concludendi modus adpellatur *principium reductionis.* E. g. quia collectiones hominum, ſive integræ gentes quaſdam ideas reſpectivas habent eaſdem, ac perſonæ ſingulares ; idcirco communia utrinque iura reſpectiva, uti inter perſonas, ita & gentes obſervanda ſtatuuntur, quo modo magna pars iuris gentium inventa eſt.

*Tullius L. III. de Orat. Philoſophorum more rationes, & cauſſas inquirit, cur homines ſimilitudine, ac translatione tantopere delectentur ;* „ *Id accidere, credo (inquit)* „ *vel quod ingenii ſpecimen eſt quoddam tranſilire ante pedes* „ *poſita, & alia longe repetita ſumere : vel quod is, qui* „ *audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat,* „ *quæ maxima eſt delectatio, vel quod ſingulis verbis res,* „ *ac totum ſimile conficitur : vel quod omnis translatio,* „ *quæ quidem ſumta ratione eſt, ad ſenſus ipſos admove-* „ *tur*

„ *tur, maxime oculorum, qui eſt ſenſus acerrimus. Nam* „ *& odor urbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis, ſunt ducta a cæteris* „ *ſenſibus: illa vero oculorum multo acriora, quæ ponunt* „ *pene in conſpectu animi, quæ cernere, & videre non poſſumus. Nihil eſt enim in rerum natura, cuius non in* „ *aliis rebus poſſimus uti vocabulo, & nomine: unde etiam* „ *ſimile duci poteſt (poteſt autem ex omnibus) indidem verbum unum, quod ſimilituidnem continet, translatum lumen adfert orationi.*

## §. LII.

Leibnitius *fieri poſſe negat, ut duo individua prorſus ſimilia, quæ in omnibus notis conveniant: ſolo differant numero, exiſtant in hoc Univerſo;* Ei adverſatus eſt Clarkius; alii deinceps alterutram partem pro variis ſtudiis ſequuti ſunt. At enim detur quodcunque individuum A; Si iſtuc, cum exiſtat revera, poſſibile eſt, & nihil repugnantiæ continet; cur aliud ſimile, quod eandem habet notarum complexionem, impoſſibile cenſeatur? Nihil opus eſt pluribus verbis; ſed Leibnitiani audiendi ſunt. Dicunt

I. *Repugnat divinæ ſapientiæ, ut prorſus ſimilia creet; ſine omni enim ratione ſufficiente unum hoc loco a Deo poſitum, alterum alio fuiſſet.* R. 1. Leibnitius fatetur, duo perfecte ſimila abſolute, & intrinſece non eſſe impoſſibilia; ait enim Epiſt. 5. ad Clarkium §. 25. *Cum nego, duas eſſe aquæ guttas undique ſimiles, aut duo quævis corpora, quæ internoſci nequeant, non equidem dixerim, abſolute eſſe impoſſibile, ut ſint, ſed rem dico, divinæ ſapientiæ adverſari, adeoque illa nullibi exiſtere.* Quæro, cur divinæ ſapientiæ non adverſatur, quod ex pluribus poſſibilibus adæquate ſimilibus Deus produxerit unicum A præ unico B perfecte ſimili? quæ, obſecro, ratio ſufficiens, a liberrima voluntate Dei diſtincta vel concipi, aut fingi poteſt; ſi nihil aliud contra illam principii rationis ſufficientis adplicationem diceretur a quoquam, hoc ſolo argumento falſitas pateret; at enim oſtendemus alio loco, Deum rationes ſufficientes in ipſis rebus fundatas nec ſequi debere, nec ſalva libertate ſua ſequi poſſe. Wolfius idem fatetur, quod Leibnitius; ait enim in not.

§. 246.

§. 246. Coſmol. *Leibnitius primus advertit, omnium rerum diſſimilitudinem, cum videret indiſcernibilia repugnare principio rationis ſufficientis, etſi abſolute impoſſibilia non ſint.* Sed Wolfius in eo quoque hallucinatus eſt, quod Leibnitium primo advertiſſe rerum diſſimilitudinem putet, cum ea fuerit communis Stoicorum opinio teſte Cicerone L. IV. QQ. Acad. c. 26. R. 2. Fieri poteſt, ut ipſa pulcritudo operis ſimilitudinem plurium exigat; niſi forte pulcrius cenſeant, ſi bini oculi in homine, vel bina crura diſcrepent; exiſtentia enim iſtorum in diverſis locis extrinſeca relatio eſt: Similitudo ſecundum Leibnitianos in notis internis conſiſtit; ac diſſimilitudinem rerum ex obſervatione internarum notarum, non ex locorum diverſitate probant.

II. *Similitudo plurium ſterilitatem quandam divinæ potentiæ indicat, quaſi nihil novi, ac diſſimile poſſet producere; perinde ac ſiquis eandem cantilenam cantet, cum aliam ignoret.* R. n. Dicimus, Deum non modo res diverſas numero indefinito, & alias, atque alias ſpecies, ſed præterea eiusdem ſpeciei alia individua prorſus ſimilia poſſe producere; quidquid igitur Leibnitiani Deo tribuunt, idem & nos, ac præterea multo plura tribuimus.

III. *In vaſtiſſima ſilva ne bina quidem folia ſimilia, & inter plurimas guttas nulla alteri ſimilis reperitur.* R. Folia, ut Clarkius ait, iam magis compoſita ſunt, quam ut nullam diſſimilitudinem habeant. Muſſchenbrœkius in Elem. Phyſ. §. 37. & 49. tum corpuſculis lucis homogeneæ, tum vaporibus vel ex mercurio in fumum abeunte, vel ex aqua pura egreſſis perfectam ſimilitudinem tribuit. Verum quæcunque corporum ſenſibilium diſſimilitudo ipſam elementorum diſſimilitudinem minime demonſtrat; de qua re in Phyſica agendum eſt.

IV. *Si duo individua penitus ſimilia ponuntur, non iam duo ſunt, ſed unum, idemque bis poſitum concipi debet.* R. Baumeiſterus, qui in hunc modum argumentatur, ab ipſius adeo Leibnitii mente aberrat, qui explicate fatetur, ſi duæ res perfecte indiſcernibiles exiſterent, illas fore duas: nempe eſſent unum ſpecie, & ſpectata idea communi, non unum numero. Plerique omnes in individuis eiusdem ſpeciei notas *easdem ſpecie* agnoſcunt, nec tamen propterea idem numero bis poſitum eſt. Similitudo,

litudo, ac diſſimilitudo in ipſa notione involvunt diſtinctionem realem inter plura; quare ſola hæc diſtinctio, vi cuius unum non eſt alterum, nequit obeſſe ſimilitudini perfectæ. Sed inquiunt, quodvis ens alteri cuicunque realiter diſtincto in aliqua nota contradicit; quæ enim in omni nota conveniunt, abſolute eadem ſunt. R. Contradicunt in nota individuali, quatenus unum individuum A non eſt individuum B, ſive quatenus eſſentia perfecte ſimilis multiplicatur, & quodvis individuum eſt *hoc eſſe*, non aliud, etſi notæ internæ utriusque, communi idea concipi queant. Porro ſi nos *hoc eſſe* ab alio ſimili non diſcernimus, non ſequitur, ut nec infinita illa mens diſcernat; neque enim ſecundum modulum noſtrarum cogitationum de ſummo, & incomprehenſibili mente iudicandum eſt. Ex his intelligitur, cur Leibnitius propoſitionem illam, vel theſin, quam ſupra commemoravi, adpellarit *Principium identitatis indiſcernibilium*, quia, quæ penitus indiſcernibilia, aut ſimilia ſunt, *eadem* eſſe credidit.

## §. LIII.

Cum duo diverſa ſunt, ut uno poſito, alterum tollendum ſit, vocantur *oppoſita*, ceu dulce & amarum: ſi vero uno ex diverſis poſito alterum propterea non excluditur, ſunt *diſparata*, ceu album, & dulce. Oppoſita igitur eidem ſimul ineſſe nequeunt. Quadruplex eorum eſt genus; I. *Contradictoria*, ſi uno poſito alterum tolli, & viciſſim uno ſublato alterum neceſſario poni debet. II. *Privantia*, ſeu poſitivum, eiusque negatio in ſubiecto, cui per ſe, & natura ſua, vel quacunque ratione nota poſitiva competens eſt, ceu viſus, & cæcitas. III. *Relativa*, quæ per ſe intelligi nequeunt, niſi alterum ſimul concipiatur, ad quod referuntur, ceu ſimplum, duplum, longum, breve. IV. *Contraria*, quæ in eodem ſimul ineſſe nequeunt, nec tamen ad ſe referuntur, & quorum unum non eſt negatio alterius; hæc igitur fere ut notæ poſitivæ concipiuntur, ceu amor, odium; amicus, inimicus &c. quæ, ut Tullius ait, in eodem genere velut e regione ſibi occurrunt, velut celeritas, & tarditas. Aliquando eidem plura contraria ſunt, ceu liberalitati prodigalitas & avaritia; fortitudini timor, & audacia: quædam medium habet, idque nomina-

minatum, ſive certi nominis, uti inter exceſſum, & defectum media eſt aurea mediocritas, quemadmodum Horatius ait; in aliis medium caret nomine, ac tum fieri poteſt, ut neutrum inſit; uno autem poſito alterum ſemper abſit.

## §. LIV.

*Propoſitiones de oppoſitis.* I. Uno oppoſitorum poſito alterum ſemper tollendum eſt, ut ex definitione patet; idcirco aiunt, omnia oppoſitorum genera de contradictione participare, eo diſcrimine, ut ſiqua vere contradicant, etiam uno ſublato alterum poni debeat. II. Si uni oppoſitorum convenit unum prædicatum, alteri competet prædicatum priori oppoſitum; Hoc adpellant *principium oppoſitionis*; uti cum ens ſimplex, & compoſitum opponantur; quæ compoſito, ut tale eſt, competunt, de ſimplici neganda ſunt (Phil. Prim. §. XV. n. v.) Si eidem, ceu liberalitati plura ſunt oppoſita, cavendum, ne hac concludendi forma labamur; neque enim, ſi culpanda eſt avaritia, continuo prodigalitas laude digna eſt.

## §. LV.

Reſolventi notiones loci, ac temporis nulla magis perſpicua idea, in qua acquieſcere poſſimus, occurrit, quam idea diſtantiæ, & ſucceſſionis; a qua proin initium hic duco: Ac diſtantiæ ideam iam inde a prima infantia & viſu accipimus, & tactu, eaque nobis etiam cum in tenebris palpamus, clariſſima eſt; quando dicunt, ea diſtare, inter quæ aliquid interpoſitum eſt, vel quibus immotis interponi poteſt, nihil adferunt opinione mea, quod clariorem reddat diſtantiæ ideam; quæ niſi antea præſto ſit, ea interponibilitas ne concipi quidem poteſt. Verum utcunque iſta ſe habeant, inter ea, quæ diſtant, ſpatium intercedere cogitamus, quatenus alia interpoſita ſunt, vel interponi poſſunt. *Spatium igitur eſt relatio, vel ordo coexiſtentium, quatenus coexiſtunt actu*, ſi de ſpatio *reali* ſermo eſt, *vel potentia*; quo caſu intelligitur ſpatium abſtractum, quod recepto iam nomine *imaginarium* vocant. Locus a ſpatio differt ceu unum a multis, vel ut pars a toto; nominamus enim amplum ſpatium, in quo res multæ locum ha-

habent; & ſi in idea plurium coexiſtentium unumquodque eorum concipiatur diverſam ab adſumto quovis termino habere diſtantiam, locus ſingulorum determinatur, ita, ut, etſi res ex ſe indifferens ſit ad quemvis locum, hæc indifferentia tollatur per certam ab adſumtis terminis, aut fixis punctis diſtantiam, ſive per certum ordinem ad res alias actu exiſtentes, vel poſſibiles. *Locus* igitur nihil eſt aliud, quam determinatus modus, quo quodvis cum aliis ſimultaneis coexiſtit, ſive eſt diſcrimen coexiſtentium, quatenus coexiſtunt. *Situs*, vel poſitio eſt modus coexiſtendi, qui determinatur per diſtantiam non a quovis, ſed a certo termino adſumto; hinc bina corpora, vel puncta, quæ locum diverſum occupant, relate ad terminum adſumtum, eundem habere ſitum queunt.

*Locus eſt id, quod reſpondemus interroganti, ubi res ſit; reſpondemus autem indicando ordinem, ſeu relationem ad res alias coexiſtentes. Si in mappis geographicis, aut globo terreſtri quæritur datus locus, is determinari nequit, niſi per relationem ad certas globi partes, regna, provincias, fluvios &c. aut per longitudinem, & latitudinem, id eſt, per relationem diſtantiæ a meridiano primo, & æquatore verſus Boream, vel Auſtrum. Eodem modo locus ſiderum determinatur per aſcenſionem rectam, & declinationem, vel per longitudinem, ac latitudinem. Geometræ quoque poſitionem alicuius puncti in plano determinant illud referendo ad duas rectas poſitione datas, & diverſum inter ſe ſitum habentes.*

## §. LVI.

*Succeſſionis idea* clarior eſt, quam ut definiri queat; ea enim in quovis homine naſcitur ex animadverſa idearum mutatione, quarum alia ante fuit, alia actu eſt, altera conſequitur. Hæc idea ſucceſſionis continet ordinem, quatenus ab adſumta quavis idea, ceu termino alia eſt prior, alia poſterior. Ordo ſucceſſivorum in ſerie non interrupta eſt id, quod *tempus* dicimus, idque *reale*, vel *imaginarium*, prout actualis rerum ſucceſſio, vel poſſibilis concipitur. Diſtantia inter binos ſucceſſionis, vel ſeriei terminos vocatur *duratio*, diciturque *durare* quidpiam e. g. mens noſtra, quatenus flu-

fluxui idearum, vel cuicunque ſucceſſioni rerum non interruptæ coexiſtit.

*Si recte philoſophari velimus, neceſſe eſt, ut ad ideas noſtras ſedulo attendamus, ne extra mentem quæramus id, quod non niſi ex reflexione ad operationes mentis perſpicue intelligi poteſt. Succeſſionis igitur idea ex conſtanti idearum mutatione, cuius quivis ſibi conſcius eſt, perſpicua fit; ac I. Siquis uni rei cogitando maxime adfixus ad alias diſpares ideas, quæ ob impreſſiones ſenſuum, ac naturalem quandam mutabilitatem identidem per mentem tranſeunt, non attendit, ei magna pars durationis velut non advertenti effluit, videturque id tempus multo quam revera eſt ſecundum uſitatas menſuras, brevius. II. Qui ad præſentem ideam, vel actionem attendit, & alterius præteritæ meminit, cogitatque multas alias ideas, vel actiones inter præſentem, & præteritam intercedere potuiſſe, mox concludit, multum temporis inter præſentem, & præteritam ideam, vel actionem præterlapſum fuiſſe; qui ad iter iam accinctus ſocium cum tædio præſtolatur, longum moræ cuiusvis tempus iudicat, quatenus multum itineris interea confici potuiſſe cogitat: ſæpe alterius loquacitas, qua diſtinemur, perquam longa videtur nobis, quando res multas legi, ſcribi, expediri interea a nobis potuiſſe animadvertimus. III. Siqua re delectamur, breve videtur tempus, quo ea fruimur; propterea quod rei, quæ voluptatem ciet, facile mens adhæret, neque alias diſpares ideas magnopere admittit: ſiqua vero re adficimur tædio, tum alio atque alio vertimus cogitationes, atque ita longum videtur tempus ob plurimarum idearum ſucceſſionem. Patet igitur, quomodo ex idearum fluxu, & volubilitate idea ſucceſſionis, & ex idea ſucceſſionis idea temporis in nobis gignatur. Hanc dein ideam ſucceſſionis aliis rebus, quas perpetuo, & æquabiliter fluere concipimus, adcommodamus, ſicut diſtantiæ vel extenſionis ideam, quam & viſu, & tactu arripimus, adplicamus ad res alias, quas nec tangendo, nec videndo unquam uſurpavimus, ac fortaſſis nec uſurpare poſſumus. Motus quidem non aliter ſucceſſionis ideam in nobis excitat, niſi quatenus alias atque alias ideas ordinis rerum coexiſtentium immutati in nobis producit; qui navi vectus mari tranquillo fixa quædam obiecta non intuetur, motum ſuum haud percipit; & progreſſum rei cuiusdam valde tardum, non niſi poſt* lon-

*longius intervallum, quando ſpatium confectum ſenſu diſcerni poteſt, animadvertimus, quia tum primum ideæ ordinis alia idea alterius ordinis ſuccedit.*

## §. LVII.

Analogia ſpatii, ac temporis

I. *Nullum eſt ſpatium reale ſine rebus actu coexiſtentibus, & ordinem quemdam efficientibus: nullum tempus reale ſine rerum ſucceſſione*, uti nec numerus realis ſine rebus, quæ numerantur, nec rotunditas reipſa ſine globo datur; hæc tamen omnia vi abſtrahendi ſine rebus actu coexiſtentibus concipi poſſunt; omiſſis enim quibuscunque aliis notis ſola diſtantia rerum coexiſtentium, vel ſucceſſio rerum fluentium concipi poteſt. Quapropter ſpatium, ac tempus abſtracte ſpectata conſtant partibus omnino *homogeneis*, & *ſimilaribus*, quarum ideæ ſunt generis eiusdem, & omni alterius ideæ mixtura carent; ſola magnitudine differre poſſunt; eædem partes concipiuntur *immobiles*, ita ut transponi nequeant; nam & in ſpatio concipiuntur puncta fixa, quæ rebus ſuo e loco motis maneant immota; & in tempore quoque eiusmodi puncta concipimus, a quibus initium numerandi ducimus, eaque puncta vocamus Epochas. Denique partes ſpatii, ac temporis concipiuntur *continuæ*, in quibus nihil hiulcum ſit; de qua continuitate paulo poſt agam.

II. *Menſuræ ſpatii, ac temporis, ſeu durationis ſunt arbitrariæ;* cum enim partes utrinque penitus ſimilares ſint, ac continuæ, nulla uspiam habetur ratio dicendi: hic una pars deſinit, altera incipit; ſed omnes termini pro arbitrio deſignari debent; idcirco partes temporis, ac ſpatii vocantur poſſibiles, non actuales, quia conſtitui poſſunt quidem termini, reipſa ante deſignationem nulli ſunt: contra partes e. g. horologii, vel cuiusvis machinæ vocantur actuales, qui propriis terminis gaudent. Menſura ſpatii in longum ſunt pedes, ulnæ, hexapedæ, ſemidiameter terreſtris &c. in longum, & latum pedes quadrati, denique in trima dimenſione pedes cubici. Menſura temporis ſumitur a motu continuo, & æquabili corporis cuiusdam. Vulgo ad Solis motum attendit humanum genus, cum id ſidus maxime

oculos in ſe rapiat, & a quovis diſcerni debeat, atque adparente revolutione ſua actiones hominum, & temporum viciſſitudines determinet; & quoniam motus reipſa æquabilis non eſt, idcirco ii, qui exactam temporis dimenſionem quærunt, alium ſolis motum æquabilem fingunt, ac tempus motu hoc fictitio definitum adpellant *medium;* id vero, quod determinat verus ſolis motus, tempus *verum.* Tempus medium horologia rotata, ſeu automata, quorum motus æquabilis eſt, tempus verum horologia ſolaria exhibent. Accepimus, Americanos quosdam, annos ſuos metiri ſolitos fuiſſe per avium quarundam ad ſtata tempora reditum, ad alia diſceſſum. Febris quoque paroxiſmus, famis, aut ſitis ſenſus, vel alia quædam idea ad periodos æquidiſtantes rediens tempori metiendo aliquando adhibetur.

III. *Tempus, & locum alium extrinſecum, alium intrinſecum nominamus.* Ac duratio particularium rerum explicatur per tempus extrinſecum, ſive per fluxum continuum, & æquabilem aliarum rerum, ceu per motum aſtrorum; & dum motus quoque aſtrorum in tempore fieri dicitur, is refertur ad alium motum e.g. horologii automatis, vel ad poſſibilem fluxum rerum. Per tempus intrinſecum ipſa res denotatur, & ſeries quædam mutationum illius ordine quodam ſe conſequentium. Locus extrinſecus eſt ſuperficies rei continentis, vel proxime ambientis rem aliam, quia per eam ſæpe denotamus, ubi res ſit e.g. theſaurus in arca, gemma in ciſta. Sed non eſt hic proprie *locus*; eo enim mutato res non movetur; ſecus cum aer turrim ambiens mutetur perpetuo, turris quoque continuo in alio, atque alio eſſet loco. Locus intrinſecus eſt ipſa res locata, vel contenta. Alii eo deſignant ſpatium abſtractum, quod inſtar cavitatis cuiusdam, aut receptaculi rem in ſe continet. *In tempore dicitur exiſtere id*, quod mutationibus ſubiacet, & in quo alio ſtatu deſinente alius incipit; hoc vero nequaquam Deo, at ſolis creatis rebus competit, ceu homini, qui de præterita infantia, pueritia, adoleſcentia, iuventute &c. cogitare poteſt. *In loco exiſtit*, quod limitibus circumſcribitur: *ſpatium implet*, quod partibus extra ſe poſitis, certoque ordine coexiſtentibus componitur; id vero ſpiritibus haud competit.

petit. De immenſitate Dei, atque æternitate alius eſt tractandi locus, aliud tempus.

IV. *Tempus perinde, ac locus in abſolutum dividitur, & reſpectivum.* Tempus abſolutum vel indicat conceptum vagum, expreſſum per voces *aliquando*, *aliquamdiu*, vel relationem plurium ad eundem fluxum rerum, ut, ſi dicam, eodem tempore (abſoluto) quo Deus beneficia confert in homines, iſti in Deum impii ſunt. Tempus reſpectivum intelligitur ex relatione ad partes ſimiles cuiusdam fluxus; ut ſiquis eodem tempore (nempe reſpectivo) conſtanter ſurgere, orare, laborare dicitur. Pariter locus abſolutus vel eſt is, cui reſpondet vaga idea expreſſa per vocem *alicubi*, vel eſt pars ſpatii, quod immobile, & quaquaverſus extenſum concipitur, & in quo varia concipimus puncta immobilia, & fixa, quæ rebus motis, ac translatis fixa maneant. Hoc ſenſu, ſiquis eadem celeritate, qua navis ſecundo flumine vehitur, a prora verſus puppim curreret, is (excluſo alio motu) in eodem maneret loco abſoluto, ſive abſolute quieſceret, etſi reſpectivum locum mutaret, nempe ordinem ad res alias terreſtres; in hoc enim ordine, & relatione diſtantiarum ad res alias totius univerſi, ſive ſyſtematis alicuius particularis, locus reſpectivus conſiſtit: qui in navi ſedet immotus, relate ad partes navis quieſcit, abſolute movetur: atque ex his intelligitur, motum abſolutum, & reſpectivam quietem; vel quietem abſolutam, & motum reſpectivum una conſiſtere poſſe.

*Ex his ſolutio dubiorum pendet, quæ contra datas notiones proferri ſolent. Dicunt* 1. *Sublatis rebus omnibus manet locus, & tempus: hæc igitur in relatione rerum non conſiſtunt, quia tollitur relatio, ſi relata tolluntur. R. d. a. Sublatis rebus manet locus, & tempus reale, n. a. abſtractum, vel imaginarium, quatenus res ſimultaneæ, vel ſucceſſivæ, quæ ante extiterant, vel exiſtere poſſunt, concipiuntur, c. a. & n. c. Sublatis omnibus rebus etiam idea numerorum manet, ſed abſtracte, & mathematice.* 2. *Hæc duo*: res exiſtunt: & exiſtunt quodam loco, vel tempore: *diverſa ſunt; ergo per ipſas res non intelligitur locus, & tempus. R. d. a. illa duo diverſa ſunt, quatenus idea loci, ac temporis præter ipſas res, ordinem earundem, & coexiſtendi, vel ſuccedendi modum involuit,*

*c. a. diverſa ſunt; quaſi exiſtentia rerum certo loco, vel tempore quidpiam intrinſecus rebus adderet, n. a. & d. c. Per ipſas res in ſe præciſe ſpectatas non intelligitur locus, ac tempus, t. c. ſi præterea ordo earundem, & coexiſtendi, vel ſuccedendi modus ſpectetur, n. c. Non quæcunque rerum relatio (quæ multiplex, & admodum varia eſſe poteſt) ideam loci, ac temporis efficit, ſed ea, qua aliud prius, aliud poſterius, vel relate ad ſpatium, aliud ſupra vel infra, dextrorſum, ſiniſtrorſum, ante, vel retro ſpectato quodam termino concipitur. Neque vero dicas: Res ſimultaneæ in ſumma confuſione poſſunt coexiſtere: igitur ſpatium, & locus eſt etiam tum, quando nullus eſt ordo. R. d. a. poſſunt coexiſtere ſumma confuſione relate ad certam quandam regulam ordinis; c. a. ſpectata relatione, & modo coexiſtendi, vi cuius unum eſt prius, alterum poſterius &c. n. a. & c. 3. Ipſe mundus quodam loco, ac tempore fuit conditus: hæc igitur a rebus mundanis differunt. R. d. a. hoc eſt, antequam mundus conderetur, concipi poterat poſſibilitas rerum, quæ facerent ordinem, c. a. quaſi locus, aut tempus eſſent reale quidpiam ante res omnes conditas exiſtens; n. a. & c. Si ſpatium eſſet* res extenſa *ab aliis rebus actu, vel potentia coexiſtentibus penitus diverſa, ipſa quoque in ſpatio exiſteret, (quia quod nullibi eſt, non eſt) proindeque ſpatium eſſet in ſpatio, quod ſane abſurdum eſt. Proprietates poſitivæ magni ac parvi, menſurabilis, longi, brevis &c. quæ ſpatio, ac tempori tribuuntur, ſunt abſtractæ, & mathematicæ, quæ a rebus deſumtæ ſunt, non vero ſubiectum quoddam ab ipſis rebus diſtinctum denotant. 4. Si Deus ſolem noſtrum eo loco collocaſſet, ubi nunc Syrius exiſtit, alius foret rerum ordo, nec tamen mundus alio in loco, vel ſpatio exiſteret. R. Siquis ex uno domus cubiculo in aliud tranſit, domus propterea locum non mutat, etſi mutentur relationes diſtantiarum; quia ratio huius mutationis non in domo, ſed in homine continetur; ita in data hypotheſi mundus eodem maneret loco abſoluto, & imaginario; Syrius autem, & ſol eandem mutarent. Eodem prope modo reſpondendum eſt, ſi quærant, utrum rebus omnibus creatis, manente earum ſitu reſpectivo, verſus ortum, aliamve plagam translatis locus earundem mutetur? R. mutaretur locus non reſpectivus, ſed abſolutus, & imaginarius, in quo puncta quædam finguntur fixa, & immobi-*

*mobilia , a quibus res translatæ diſtantiam mutarent.*

## §. LVIII.

Varios exiſtendi modos ex varia ſpatii , ac temporis combinatione ortos eleganter diducit Boscovichius in ſuppl. Phil. Stayan. P. 1. §. VI. quos ut perſpicias, nota 1. Tempus, ac tempuſculum continuum a momento, vel inſtanti, itemque ſpatium, vel ſpatiolum a puncto ſpatii adcurate diſtinguendum eſt; inſtans enim, vel momentum temporis, ac punctum ſpatii ſunt termini, vel limites indiviſibiles; contra vero tempuſculum quodvis, vel ſpatiolum continuum indefinite diviſibilia eſſe alio commodior loco demonſtrabimus. Nota 2. loco corporis certo tempore, vel ſpatio exiſtentis ponitur elementum corporis penitus ſimplex, quod nullas in partes ſecari poteſt. His igitur poſitis I. *quodvis elementum corporis, ſi exiſtit reipſa, aliquod ſpatium, vel punctum ſpatii cum aliquo temporis momento coniungit;* quod enim nullibi eſt, vel nunquam eſt, omnino non eſt. II. *Si combinatur idem ſpatium, vel punctum ſpatii cum pluribus momentis temporis*; tum habetur *quies*, quando id elementum corporis idem ſpatium, vel punctum ſpatii, coniungit cum ſerie continua momentorum temporis continui: habetur autem regreſſus ad ipſum ſpatium, vel punctum ſpatii, ſi id elementum coniungat idem ſpatium, vel punctum ſpatii cum pluribus momentis temporis aliquo a ſe intervallo disiunctis. III. *Si combinatur idem momentum temporis cum pluribus ſpatiis, vel punctis ſpatii*, habetur replicatio, quando id elementum materiæ coniungit idem momentum temporis cum pluribus ſpatiis, vel punctis ſpatii a ſe invicem diſtantibus aliquo intervallo. Hæc autem *replicatio*, ſive ſimultanea rei eiusdem exiſtentia in diverſis locis adæquatis, ſola divina virtute, non autem naturaliter haberi poteſt. In eadem hypotheſi, ſiquod ſimplex elementum materiæ idem temporis momentum coniungit cum ſerie continua ſpatii diviſibilis, habetur *extenſio virtualis*, qua indiviſibilis, & partibus omnino deſtituta materiæ particula ſpatium diviſibile occupat. Hunc exiſtendi modum multi animam habere rationalem cenſent, quam putant eſſe in ſpatio aliquo diviſibili, uti plures Peripatetici in to-

 to

to corpore, alii Philoſophi in quadam cerebri parte, vel in aliquo nervorum ſucco, ita', ut cum indiviſibilis ſit, tota ſit in toto ſpatio, & tota in quavis ſpatii parte; quemadmodum eadem indiviſibilis divina natura eſt tota in toto ſpatio, & tota in qualibet ſpatii parte, ubique neceſſario præſens, & omnibus creatarum rerum realibus locis coexiſtens, ac adſtans. Atque hunc modum exiſtendi adpellant exiſtentiam definitivam; ſiquid vero ex partibus ita componitur, ut diverſæ eius partes in diverſis ſpatii partibus exiſtant, eam adpellant exiſtentiam circumſcriptivam. IV. *Si plura momenta temporis cum pluribus, ſpatiis, vel punctis ſpatii combinantur*, tum habetur motus, ſi quod elementum alia, atque alia momenta temporis coniungit cum aliis, atque aliis ſpatiis vel punctis ſpatii; *morulæ* vocantur, ſi motus identidem quiete interrumpitur, ita ut elementum plura momenta temporis, ſeu potius tempuſculum aliquod continuum cum eodem ſpatio, vel puncto ſpatii identidem coniungat. V. Si plura ponuntur elementa materiæ, aliæ combinationes prodeunt, in quibus illa maxime ſpectanda eſt, quando plura elementa idem temporis momentum coniungunt cum eodem penitus ſpatio, vel puncto ſpatii; in quo exiſtendi modo ſita eſt *compenetratio*, ſive duorum, vel plurium corporum ſimultanea exiſtentia in eodem loco; quæ perinde, ac replicatio vires quidem, ac leges naturæ excedit; nihil tamen contradictionis continet, ob quam divina potentia contingere haud poſſit.

## §. LIX.

Evolutæ iam temporis, ac ſpatii notiones continuitatis naturam manifeſtiorem reddent; Ariſtoteles, quem Leibnitius de re iſta laudat, in Categoriis c. 6. de *quanto*, continua vocat ea, quorum partes ſe immediate excipientes communem habent terminum, ſive talem, qui ſit finis partium præcedentium, & initium ſequentium; ut in linea communis partium terminus eſt punctum, in ſuperficie eſt linea, in corpore linea, vel ſuperficies: in quavis progreſſione continua quivis terminus eſt communis, nempe finis, ſive conſequens præcedentis rationis, & initium, vel antecedens ſequentis: dicitur ſeries continua arborum, ſi æquidiſtant; tum enim quævis arbor eſt communis terminus, ſeu finis intervalli inter ipſam, &

& præcedentem, & initium paris intervalli inter ipſam, & ſequentem. Sed ad talia quidem adplicatur notio continui, quæ ad ſpatium, & tempus maxime pertinet, atque his proprietatibus gaudet.

I. *Quivis terminus, ſeu limes indiviſibilis eſt in ea ratione, qua limes eſt;* quod ex ipſa limitis notione evidenter conſequitur; ſi enim is diviſibilis eſſet, & partes haberet, iam non totus ad limitem pertineret, ſed interior pars pertineret ad id, cuius pars exterior eſſet limes; quod argumentum, cum in ipſa parte exteriore redeat, manifeſto ſequitur, id, quod eſt limes, eſſe indiviſibile; ac proinde punctum, quod eſt limes lineæ, eſt penitus indiviſibile: linea, quæ eſt ſuperficiei limes, indiviſibilis ſecundum latitudinem; ſuperficies, quæ eſt corporis limes, indiviſibilis ſecundum craſſitudinem, vel profunditatem.

II. Quoniam *contigua* ſtricte dicuntur ea, quæ ita proxime coniunguntur, vel ſe contingunt, ut nullum penitus intervallum inter ipſa relinquatur, ipſa tamen in diverſis ſpatiis, vel punctis ſpatii ſint poſita, ſive extra ſe poſita; idcirco ex ipſa limitis natura ſequitur, ut *limes limiti, punctum puncto, linea lineæ, ſuperficies ſuperficiei nunquam poſſint eſſe contigua*; ſecus limes, punctum, linea, ſuperficies non eſſet communis terminus, ſeu finis præcedentis continui, & initium ſequentis, ſed quævis continui pars proprium haberet terminum; id quod continui naturæ repugnat. Dein ſi puncta (ut in continuo abſtracte ſpectato) ponuntur non modo ſimplicia, ſed inextenſa, ſive quæ extenſione omnino carent; eaque ponantur diſtare; non erunt contigua contra hypotheſin; ſi non diſtent, ſed ſtricte contigua ſint; in unicum coaleſcunt, & compenetrantur, quia contingunt ſe tota, & nihil concipi poteſt in quovis eorum, quod ab altero non tangatur, cum partes non habeant.

III. *Quævis continui pars inter binos terminos quantumvis parum diſtantes interiecta diviſibilis eſt indefinite, ſive in infinitum.* Si enim factis quotcunque diviſionibus nihil ulterius diviſibile relinqueretur, neceſſario ab uno termino ſeu limite immediate ad alium tranſiri poſſet, adeoque limes limiti eſſet contiguus; quod repugnat ex proprietate II. Proinde facta quacunque diviſione e. g. lineæ, iam inter novum limitem, & utrumque e priori-

bus iterum interiacere debet diviſibile aliquid, & eodem argumento redeunte diviſio continuari poterit in infinitum. Verum ut id exemplo declaretur ſatis iam trito, ac perſpicuo, ponantur binæ regulæ interiore parte, qua ſe reſpiciunt, rectiſſimæ, ac ſatis longæ; in qua hypotheſi nihil plane repugnantiæ ineſt. Ex natura rectitudinis evidentiſſimæ ſunt binæ huiusmodi propoſitiones. 1. Si hæ lineæ regulæ ſe contingunt, vel connexæ ſunt in vertice; ac in extremitatibus diſtant; eædem etiam in medio diſtabunt. 2. In eodem caſu diſtant in medio a ſe invicem minus, quam in extremitatibus, quia crura ſemper a ſe magis divergunt. His iam poſitis, quæ omni carent obſcuritate, ponatur ea regularum diſpoſitio, ut in extremitatibus diſtent, ac proinde etiam diſtent circa puncta media, minus quidem, quam circa puncta extrema; concipiatur dein hæc minor punctorum mediorum diſtantia transferri in extremitates, vel puncta extrema; diſtabunt iſta dein minus, quam antea, magis tamen adhuc, quam diſtent puncta media poſt hanc factam diſtantiæ, ſive intervalli translationem: Si iam minor hæc punctorum mediorum diſtantia iterum transferri in extremitates, vel puncta extrema concipiatur, eaque translatio iterato, ac ſine fine fieri intelligatur, ſemper manebit aliqua punctorum extremorum, itemque aliqua, ſed minor punctorum mediorum diſtantia; at ea ſine fine imminui debebit, ita ut nullus iſtius imminutionis limes concipi queat; hoc igitur modo intelligimus, quod continuum inter binos quosvis terminos interiectum in infinitum diviſibile ſit.

*Hæ quidem continui proprietates, ſi id abſtracte ſpectetur, omnem vim geometricæ demonſtrationis habent. Ex iisdem & illud conficitur, partes continui non eſſe puncta indiviſibilia, ſed alias partes minores quidem, ſed diviſibiles: harum partes itidem eſſe alias minores, ſed diviſibiles, atque ita porro in infinitum: dein nulla cuiusvis continui pars eſt omnium minima, uti nulla eſt maxima.* ( §.XVIII) *In quovis continuo deſignari pro arbitrio poſſunt bini termini, ceu primum, ultimum; ſed nullum eſt ſecundum, & penultimum; quia terminus termino nequit eſſe contiguus: neque vero de dato continuo auferri poteſt primum, & ultimum; ſecus relinqueretur alius terminus huic contiguus: ſed quidquid decernitur, continuum eſt, & diviſibile. Prætereunda hoc loco non ſunt verba Boſcovichii, cuius præclariſ-*

*riſſima extat de continuitatis lege diſſertatio*, *edita Romæ Anno MDCCLIV. ubi de ſecunda; quam ſupra recenſui proprietate ita loquitur n.* 10. *&* 11. „ *Sibi ipſi vim inferat*, „ *oportet*, *qui punctum puncto contiguum concipiat*, *& tamen extra ipſum poſitum*, *nec compenetratum. Concipiet globulos quoſdam extenſos*, *qui globuli ex una parte ſe contingant*, *ex alia a ſe invicem recedant*, *ubi partes eiusdem puncti admittet*, *& indiviſibilitatis*, *ac inextenſionis ideam deſtruet. Eſt id ſane vetuſtiſſimum argumentum*, *quo ſemper Zenonis ſententia continuum extenſum componentis ex punctis penitus inextenſis confutata eſt*, „ *cuius ſolutionem aptam nemo hucusque exhibere potuit*, „ *nemo exhibebit in poſterum*, *cum abſolutiſſimæ demonſtrationis*, *atque evidentiæ vim habeat. Multa autem horum obſcuriſſima videntur iis*, *qui in ſuarum idearum originem altius non penetrarunt*, *nec ab iis*, *quas per ſenſus hauſerunt*, *ſatis norunt alias per reflexionem efformare rectæ rationi*, *& rerum naturæ magis conformes.*

## §. LX.

Idea Extenſionis ex illarum eſt idearum numero, quæ a prima infantia ſe menti ingerit, ac tenaciſſime cuivis inhæret; eadem ab omnibus corporibus, quæ viſu, & tactu percipimus, abſtrahi poteſt; quidquid enim ſub hosce ſenſus cadit, extenſum eſt. Ob hanc abſtractionem etiam ſpatium vocamus extenſum, & res, quæ ſpatium implent. Spatium extenſum eſt, cuius termini diſtant: res extenſa, quæ iſtiusmodi ſpatium, cuius termini diſtant, occupat. Nulla eſt extenſio, ſi nulla concipi poteſt terminorum diſtantia. Extenſum reale vocant, quod conſtat partibus extra ſe poſitis, & quadam ratione iunctis; in qua definitione involvitur 1. Multitudo partium. 2. Coniunctio earundem. Sed quid ſit, partem extra partem poni, intelligi non poteſt, niſi intelligatur diſtantia terminorum. Si bina fruſta eboris, teſtudinis, marmoris, ligni &c. apte conglutinata ſint, vel arctiſſime inter ſe incuneata, unum extenſum efficiunt, non item unum continuum, cum utrumque fruſtum proprios terminos habeat; nec etiam vulgo talia iudicamus pro uno toto continuo. Si inter partes extenſi quodam loco interferi quidquam poteſt, quin eæ moveantur, id dicitur interruptum, ut, ſi via foſſis, rivis &c. interrupta eſt. Porro quoniam ab idea extenſi idea diſtantiæ limitum

# LIBER III.
# PSYCHOLOGIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PROOEMIUM IN PSYCHOLOGIAM.

*Primum hoc eſt Interpretationis Naturæ caput, cuius expoſitionem nunc ordimur; quæ enim in Logica de regulis recte cogitandi diſſerendique, & adplicatione earundem ad ſubiectam materiem, quæ in prima Philoſophia de notionibus, ac propoſitionibus generalibus adtulimus; ea nullam certæ rei contemplationem, nullam inveſtigationem naturæ, neque fixum obiectum aliquod habebant propoſitum, ſed præviam animorum ad ſublimiores diſciplinas adſpirantium informationem continebant, & inſtar præparationis erant inſtrumentorum, quibus in contemplatione certarum rerum, & naturæ inveſtigatione, veritatiſque cognitione, quæ quidem determinatum obiectum attingit, utimur. Nunc vero, ſi quæſtiones omnes, & diſciplinas ad tria capita referre placet, nempe φυσικην πρακτικην, σημειωτικην, quemadmodum in præfatione prima Lockio placuiſſe commemoravi, non iam diſciplina inſtrumentalis, ſed pars quædam Phyſices exponenda eſt, ad quam VV. quoque Philoſophi hanc de natura humanæ mentis tractationem retulerunt. Quam ob rem ne vagari cogatur oratio noſtra, aut legentium attentio, primo de obiecto Pſychologiæ, præſentiſque interpretationis, dein de fine eiuſdem, ac ſcopo, denique de ratione, ac modo interpretandi, quem tenere conſtituimus, ante diſſerendum eſt, quam ad rem ipſam adgrediamur.*

*Obie-*

*Obiectum Pſychologiæ præcipuum natura eſt humanæ mentis. Cum vero nulla omnino ſit ſubſtantia, ne ipſa quidem mens noſtra quantumvis intime nobiscum coniuncta, maximeque familiaris, cuius naturam in hoc mortali ſtatu clare intueamur; idcirco omnis vera cognitio de humanæ quoque mentis natura non niſi ex adfectionibus eiusdem, atque operationibus comparanda eſt. Prima cogitantibus nobis de nobis ipſis, naturaque noſtra vis cogitandi ſe offert, quæ ob diverſitatem cognitionum, & cognoſcendi modorum in varias facultates vulgo tributa concipitur. De harum facultatum inter ſe nexu, operandi legibus, & perfectionis gradibus faciemus animadverſiones quasdam; neque enim omnia, ac ne plurima quidem, quæ commemorari de hac re poſſunt, in chartam proieci, cum ea, quæ adnotata ſunt, facile extendi ad ſimilia queant, quorum cuivis, qui non penitus infirma mente eſt, in mentem venire debet, præſertim Logica noſtra non perfunctorie evoluta. Sed me quidem, ut parce ſcriberem de fæcundiſſimo argumento, illud maxime commovebat, quod non multitudine verborum, ſed diligente animadverſione eorum, quæ quisque intus in animo ſuo uſuvenire experitur, ad arcaniorem humanæ mentis cognitionem perveniri poſſe iudicabam. Satis igitur viſum eſt velut intento digito demonſtrare, quorſum attentionem quisque vertat, quid a ſe ipſo diſcat, quidve ex verbis, factisve hominum de mente eorundem, quæ nequaquam ſub ſenſus cadit, ratiocinando elicere poſſit, debeatque. A vi cogitandi ad adpetitum delabitur interpretatio noſtra, cum fere cogitationibus hominum perceptio moleſtiæ, aut voluptatis, adpetitio quædam, vel averſatio adſociata ſit. Haud parum difficilis hic locus incidit evolvendæ notionis* Boni, *ac* Mali, *quam quidem experientia duce ſic definivi, ut indicarem, homines tum ex moleſtiæ, & voluptatis perceptione bonum ac malum metiri, tum ex ideis archetypis, quas vi abſtrahendi colligunt, & pro norma iudiciorum ſuorum, & actionum habent; ob quam cauſſam quemque ad ideas ſuas componi vulgo dicimus, cum nemo ſit, qui non bonum ſequatur, fugiatque contraria. Expoſitis facultatibus cognoſcendi, & adpetendi de dominio mentis in facultates ſuas, actiones, atque etiam habitus diſſerui ſenſus intimi, & communis ductu citra diſceptationem; quæ expoſitio cum per ſe ipſam digniſſima ſit attentione noſtra, tum viam*

*ſternit*

*ſternit ad graviſſimam, & plurimis ſubtilitatibus implicatam notionem, ac vim libertatis indifferentiæ; qua quidem ſublata, aut perperam expoſita omnis Philoſophia moralis, omniſque honeſtatis laus, & legum ſanctitas collabatur neceſſe eſt. Eadem autem mentis prærogativa cum vi cogitandi, ſine qua ea ne concipi quidem poteſt, coniuncta, ſi ſatis confirmata, atque explorata eſt, ad aliam deducit arcaniorem mentis proprietatem cognoſcendam, ſimplicitatem nempe, & ſpiritualitatem, quæ dein ipſæ per ſeſe ad demonſtrandam animorum immortalitatem plurimum adiumenti adferunt. Atque hæc quidem ad ſolam propemodum mentem, eiusque internas proprietates, & operationes ſpectant, ad quas homines vulgo, cum rebus externis nimis adhæreſcant, ſenſuique, & phantaſiæ a teneris annis fere indulgeant, minus, ac par eſt, ſolent attendere. De dependentia mentis a corpore, & admirando inter utramque ſubſtantiam commercio, quantum ſatis eſt in re obſcuriſſima, agam, tumque hanc de natura humanæ mentis interpretationem concludam.*

*Finis ſcientiarum proximus præſertim theoreticarum cognitio eſt veritatis; nec tamen aut conditio mortalis ſtatus, in quo plurimis moleſtiis pulſamur identidem, & inquieto beatitatis deſiderio ſtimulamur, aut voluntas ſummi Conditoris permittit, ut otioſa veritatis cognitæ contemplatione, vel difficili perveſtigatione incognitæ, vitæ noſtræ dies teramus. Nulla propemodum eſt veritas ſatis explorata a nobis, in cuius ſola contemplatione mens noſtra ſiſtit; ſed quavis fere ad adpetitiones ſuas, actionesque regendas, vel certe ad alias eruendas veritates cum actionibus humanis iam propius connexas utitur. Eſtque hæc natura mentis intellectivæ, & rationis vis, ut ex theoreticis cognitionibus alias derivet practicas, quibus conſilia ſua adcommodet, actiones regat, mores informet, negotia expediat, & in gubernatione vitæ utatur; idque hiſce veritatibus, quas Pſychologia nobis offert, maxime proprium, & conſentaneum eſt. Nam facultatum quidem cognoſcendi expoſitio, ut recte iisdem utamur, ſive inquirenda ſit veritas, ſive cum aliis communicanda, efficit. Cumque natura ſolas nobis cogitandi, adpetendi, agendique potentias dederit, graviſſima eiusdem, atque adeo Conditoris naturæ lex eſt, ut exercitatione earundem potentiarum, operationeque noſmet ipſi perficiamus; cui quidem*

*dem implendæ legi contemplatio eorum, quæ in poteſtate noſtra, ac dominio mentis ſunt, admodum adpoſita, & conducibilis eſt. Qui enim ad perficiendum ſe animum quisquam adiiciet, ſi, quid in poteſtate ſua ſit, quid non ſit, nunquam adcurate expenderit, aut ab agendi neceſſitate ſe immunem eſſe non penitus ſibi perſuaſerit? Poſteaquam ſimplicitas animorum, ac ſpiritualitas demonſtrata erit hoc loco, multo maiore dein perſpicuitate, quis ſit finis mentium creatarum, quæque felicitas earum naturæ reſpondeat, exponi in Theologia Naturali, & perſpici a quovis poterit; quæ quidem in omni vita inſtituenda principes veritates ſunt. Dogma immortalitatis animorum, quod eo rationum, & argumentorum robore ſtabilit hæc Philoſophiæ pars, ut, qui data opera Scepticus eſſe nolit, eidem refragari minime poſſit; id, inquam, dogma tam præcelſum, ac nobile, quod ad ſimilitudinem ſempiternæ Divinitatis tam propinque accedere nos facit, quem habeat propoſitum finem, quot contineat fæcundiſſimas veritates actionum noſtrarum, ac vitæ directrices, nemo non videt. Denique ſi viri ſapientis eſt, non modo inquirere veritatem, inventamque amplecti, ſed eandem, præſertim ſi momenti alicuius ſit, & ad vitæ honeſtatem pertineat, ab aſſultibus hominum improborum tueri; hæc certe, ſiqua alia theoreticæ Philoſophiæ tractatio ad maximas, ſummique momenti dimicationes ſuſcipiendas nos inſtruit. Eſt nempe hæc labes ætatis noſtræ, ut eadem tum ſummorum, ac prope divinorum ingeniorum, tum etiam deteſtabilium monſtrorum prope ex æquo ferax ſit, & in maxima ſcientiarum luce, ac veritatis ſplendore deterrimas errorum tenebras ſæpe emergere videat. Sunt, qui velut per cuniculos eandem ſubvertere adlaborant; cumque conſcientiæ morſus ferre nequeant homines flagitioſi; ut liberius peccent, & tranquillius, neceſſitate peccare ſe, & ſibi & aliis perſuadere conantur. De natura mentium noſtrarum acute, ſi ſuperis placet, diſputant, non ſpeculatione eius rei magnopere delectati; ſed cum eam metu futuri ſtatus mortalem cupiunt, compoſitam, & materiatam faciunt, multoque infra beſtiarum conditionem deprimunt Epicuri de grege porci. Iſtiusmodi errores cum refellendi mihi ſint hoc loco, illud fere, quod Tertullianus ad Hermogenem ſcripſit, præ oculis habui: viderit perſona; cum doctrina mihi ſermo eſt.*

*Reſtat*

*Reſtat, ut de interpretandi ratione, ac modo breviter dicam.* 1. *Pſychologiam Scriptores non pauci Wolfium ſequuti, in Empiricam, & rationalem dividunt; atque in illa parte, quid experientia duce de mente noſtra compertum ſit: in hac vero, quid ex principiis experientia hauſtis ratiocinio derivetur de natura mentis, exponunt. Sed inſtituto quidem meo verboſæ diductiones rerum, dictorumque repetitiones haud congruunt. Interpretationi Naturæ ſola experientia baſim, ac fundamentum præbet, cum omnis Philoſophica cognitio non niſi hiſtorica cognitione maxime nitatur; quæ ſi vulgaris eſt, multis verbis non eget: ſi paulo arcanior, nec ſatis vulgo animadverſa, a concluſionibus, quarum principia continet, ſeparari non debet. Completa quidem Syſtemata inde a capite ſemper arceſſita exædificare non cogito, cum & verboſitas moleſta ſit, & præceps generalium notionum, ac principiorum diductio non modo ingenti obſcuritati, ſed etiam maximis erroribus ſit obnoxia. Exemplo ſunt & VV. & RR. Philoſophi non pauci, qui principia ex cognitione corporeæ naturæ arrepta, quorum vim, ac poteſtatem nunquam ſatis expenderunt, ad mentem temere adplicarunt, quam quidem toto genere a corporibus, ac materia diſtare haud ægre poterant intelligere, ſi de natura ductu ipſius naturæ atque ex effectibus eiusdem, & operationibus, non ex præconceptis notionibus, atque opinionibus philoſophari maluiſſent. Nunc vero cum non niſi pauca phænomena haberent præ oculis, atque alii in mente humana ſolam vim movendi corpus, alii ſenſum duntaxat, nonnulli & motum & ſenſum, vix quisquam præter Platonem, & Ariſtotelem vim intelligendi, ſeſeque citra neceſſitatem determinandi ſpectarent; contigit, ut turpiſſimas de humana mente opiniones, ac futilia commenta adtulerint, quemadmodum ea Ariſtoteles recenſet L. I. de Anima. De noſtris temporibus dicere nihil adtinet, cum vix quidquam abſurdum adeo excogitari iam poſſit, quod non a vetere quodam Philoſopho præoccupatum ſit. Quapropter de natura humanæ mentis acturi ſummopere neceſſarium eſt, ut rectam teneamus diſſerendi viam, neque generalis Syſtematis condendi gratia cogitationem cum motu, materiam cum ſpiritu, neceſſitatem cum libertate, vim percipiendi cum vi motrice, hypotheſes cum veritate explorata, opinationes cum demonſtratione veri nominis, particularia cum generalibus, incerta cum certis miſceamus non*

*contemnendo errore, uti in re cum vitæ informatione maxime connexa.*

# CAPUT I.

## *De vi, & facultatibus cognoſcendi.*

*Abſit, ut recoquam hoc loco ea, quæ de operationibus mentis, quibus diverſæ reſpondent facultates, adferri in Logica debuerant: ut recta cogitandi, ac diſſerendi ratio exponeretur, magisque ad ideas mentis, quam voces converteretur diſcentium attentio. Iis igitur, quæ Primo præſertim, & Nono capite dicta ſunt in Logica, iam penitus comprehenſis, uti pono, totum ordinem, omnemque ſeriem eorum modorum, quibus mens cogitationes ſuas exercet, ac vis cogitandi ſe exerit, ponam ob oculos; dein de nexu earum cogitationum, ac facultatum, de legibus, ac perfectione verba faciam, ut ad arcaniorem naturæ mentium noſtrarum interpretationem via paulatim ſternatur.*

### §. I.

Omnis varietas, ac ſeries modorum, quibus mens cogitationes ſuas exercet, ad duo capita revocatur, ut *primo indicetur, unde mens ideas, & cogitandi materiem ſumat: dein qua ratione circa ideas ſuas verſetur, vel occupetur cogitando.*

I. Primigenias ideas ſenſu, & reflexione mens arripit: easdem attentione adhibita, ne cito præterlabantur inſtar inanium umbrarum, quodammodo ſiſtit: tum, ſi ad alia vertitur cogitando, priores ideas veluti recondit, ita, ut ope phantaſiæ etiam abſentibus obiectis, eorum ideas reproducat, & beneficio memoriæ recognoſcat, ſive conſcia ſibi ſit, ſe alio eas tempore iam habuiſſe. Paucæ admodum ſunt hæ ideæ primigeniæ ſenſu, & reflexione acceptæ. Quapropter non multum extenderetur cogitandi vis, niſi aliam præterea materiem, aliasque ideas mens ſibi efficeret. Efficit autem alias abſtrahendo, componendo, ac comparando, uti in Logica expoſui.

II. Functiones, quas circa ideas ſuas mens obit, ſequentes potiſſimum ſunt. 1. Earum comprehenſionem examinat, & notas partiales, ex quibus complexæ ideæ conſtant, diſcernit, & veluti numerat. Hæc mentis intelle-

lectivæ functio, qua in eadem re, ſive idea rei ſingulares notas diſtinguit, & alteram ab altera diverſam eſſe agnoſcit, mentis *acumen* eſt, haud ſecus, ac viſu acuto pollere dicitur, qui in re oculis ſubiecta plura diſcernit, quam fieri ab aliis vulgo ſolet. 2. Gradus, & ordines generum, ac ſpecierum conſtruit, & a compoſitis notionibus ad ſimpliciores, & altiores aſcendit reſolvendo, ſive per analyſin: ab his ad alias magis complexas deſcendit componendo, ſive per ſyntheſin. (Log. §. VII. Schol.) Hæc mentis functio adpellatur *profunditas intellectus*, qua notiones complicatas in ſimpliciores, vel primigenias, ac veritates demonſtrabiles in generalia, & indemonſtrabilia principia reſolvit. 3. Quæ in rebus, ac notionibus maxime diverſis ſimilitudo inſit, animadvertit. Facultas obſervandi ſimilitudines rerum *ingenium* eſt; etſi hæc vaga ſit vox, & ſæpe omnem mentis facultatem denotare cogatur; ſed figendi ſunt termini in ſcientiis, ut, quæ re differunt, vocibus ſegregentur, ſi operæ pretium ſit. 4. Quemadmodum ingenii eſt, ideas congerere, easque celeriter, & magna varietate conſociare, in quibus ſimilitudo quædam, & congruentia elucet, ut venuſtæ imagines, amœnæqne picturæ phantaſiæ obiiciantur; ita ad *iudicium* vulgo refertur, ea, in quibus vera ſimilitudo, proportio, convenientia deficit, diligenter ab ſe ſegregare, ne coniungantur, quæ coniungi non decet, & quadrata rotundis miſceantur. Hinc fieri poteſt, ut, qui ingenio maxime abundant, perparum iudicio, & ratione valeant; quo enim celerius congeruntur diſcrepantes ideæ, eo minus attentionis adhibetur in illarum convenientia, & proportione examinanda. 5. Maxima mentis circa ideas ſuas occupatio, ac labor eſt in indagando, ac perſpiciendo nexu idearum, ac veritatum, quæ quidem illius functio *ratio* adpellatur. Ex perſpecto idearum nexu duplicis generis cognitiones exiſtunt, *theoreticæ*, quæ in veritatis, & habitudinis idearum contemplatione ſiſtunt; & *practicæ*, quæ, quid adcommodate ad propoſitas ideas faciendum ſit, fugiendumve, dictant. Hæ cognitiones theoreticæ, & practicæ, ſi ad ipſas mentis actiones moderandas ſpectant, *dictamina ſpeculativa, & practica* nuncupantur. Mens enim noſtra, poſteaquam ſenſuum, & reflexionis ope ideas quasdam collegit, easque animadverſa rerum ſimilitudine, & ope

generalium vocabulorum generales effecit, primo veritates quasdam generales de rebus maxime obviis perſpicit; e. g. ignis aqua extinguitur: ligno alitur: panis famem levat, unda ſitim: hic homo bene vult mihi, alter male: Ex præteritis præſertim uniformibus experientiis iudicia format de futuris ſimilibus factis: Si manum admoveo igni, lædetur; ſi non habeo, quod rodam, & bibam, fame, ſitique cruciabor. Ex theoreticis cognitionibus per ſeſe fluunt practicæ; nam acquiſitis ideis panis, aquæ, famis, ſitis &c. quivis puerulus practicum judicium format: ad famem, ſitimque ſedandam ſumendus eſt panis, & aqua. Ex theoretica circuli cognitione practice intelligitur, ſic tractandum eſſe circinum, aut funem, vel perticam ita circumducendam, ut uno puncto fixo alterum in orbem redeat. Pariter artifices, ut practice videant, quid fieri a ſe, & qua ratione debeat, prius finem operis, naturamque rerum, ac mediorum, & inſtrumentorum ſpeculentur, neceſſe eſt. Eodem igitur modo quivis homo, qui ratione utitur, ſuasque ipſe actiones moderatur, cum nulla vi, nulla neceſſitate moveatur ad agendum (uti ſuo loco demonſtrabitur) idearum, quas habet, & cognitionum theoreticarum cum actionibus ponendis, vel omittendis nexum, & convenientiam perſpicit. Hæ ſunt fere mentis intellectivæ circa ideas ſuas occupationes, ſeu operationes.

## §. II.

*Etſi operationes, ac facultates mentis magnopere inter ſe differant; tamen altera ab altera ſæpe pendet, ſibique ſuppetias ferunt mutuo, ita, ut defectus, vel imperfectio unius facultatis aliis quoque aliarum operationibus obſit.* Ac facultas intellectiva, qua maxime diſcedimus a ſenſibilibus rebus cogitando, & ſupra beſtias eminemus, ipſa quoque a ſenſu, & phantaſia remote pendet, quod trito verbo expreſſerunt VV. Peripatetici: *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuit in ſenſu*; ac viciſſim, ut ſenſu, & phantaſia recte utamur, facultas intellectiva efficit. Sed ut de nexu facultatum mentis ordine quodam diſſeramus,

I. A ſenſu, & reflexione omnis cogitandi facultas primo pendet, quia primigeniæ ideæ, cunctaque cogitatio-

tationum materies, quibus per immenſum vagamur rerum cognoſcibilium campum, ex iis fontibus primo hauritur. Obſcuritas, & confuſio, quæ in notionibus metaphyſicis, & conceptibus maxime generalibus ineſt, tolli non poteſt, niſi ad originem earum notionum recurratur. Siquo deficiente ſenſu, vel reflexione neglecta circa voces ratiocinando verſamur, magno labore nihil agitur.

II. Poſt hanc geminam ideas acquirendi facultatem maxime neceſſaria nobis eſt facultas easdem, cum advenerint in mentem, ſiſtendi, & retinendi; quod fit attentione, ac phantaſia, adiunctaque memoria. Si enim ad ideas noſtras attendere, easque, ne celeriter præterfluant, aliquamdiu præſentes tenere haud poſſemus; mentis noſtræ ſtatus ſtupori ſimilior, vel ſomnio, quam vigilantis conditioni foret, nullamque veram ſcientiam unquam adipiſceremur. Hac attendendi facultate cum homines præſertim tenera ætate, aut ſi voluptatibus ſenſuum ſe dedidere, non utantur; fit ſæpenumero, ut ſummi momenti veritates non plus adferant fructus in eorum animis, quam fæcundiſſima ſemina per vias tritas diſperſa. At nec ſola attentio nobis ſufficit; cum enim ad res plures attendere eodem tempore ob brevitatem, atque anguſtias animi haud valeamus, & aliæ, atque aliæ ideæ ob impreſſiones extranearum rerum, & naturalem mutabilitatem cito ſuccedant; idcirco neceſſe erat, ut eas, quas ex obtutu noſtro dimittere cogimur, ideas ope phantaſiæ, & memoriæ quodam modo recondere in animo, atque ad futuros uſus conſervare poſſemus. Si nulla in nobis phantaſia, nulla memoria, id eſt, nulla facultas reproducendi ideas antea habitas, easque recognoſcendi ineſſet, nemo meditando, & ratiocinando ultra ea, quæ coram obiecta ſunt menti, multum progrederetur, nihilque præ rudibus pueris magnopere ſaperent viri ætate, ac ſtudio provecti: id modo noſceremus, quod præſens in animo eſt: aliarum autem in rerum ignoratione, ac tenebris verſaremur, poſteaquam ideæ illarum non redituræ abierunt. Hinc nulla præteritarum rerum cum præſentibus, nulla præſentium cum futuris, de quibus potiſſimum ex præteritarum memoria coniectura fit, comparatio haberet locum. Nunc autem beneficio phantaſiæ, & memoriæ, quæ quidem non modo ad ſenſuum ideas,

 ſed

ſed ad omnes notiones, cognitionesque acquiſitas quadam ratione pertinet, ſupellex univerſæ cognitionis noſtræ creſcente ætate, experientia, ac ſtudio pariter creſcit, & in dies prope augetur.

III. Facultates abſtrahendi, componendi, & comparandi ideas plurimum a ſenſibus, phantaſia, & memoria pendent, certe ingens ab his commodum habent. Nam primas generales ideas tum arripimus, cum præſentes ſenſuum ideas cum aliis vi memoriæ reproductis comparamus, & ſimiles utrinque notas diſcernimus: ad novas idearum complexiones efformandas neceſſario ideæ priſtinæ in memoria conſervatæ concurrunt, uti fit in inventione novarum machinarum. In abſtrahendis notionibus, & generalibus contemplationibus inſtituendis intellectui maxime ſubſidio ſunt ſenſibilia ſymbola, diſtinctæ voces, & adcurata notarum partialium enumeratio; uti id apud geometras in uſu eſt.

IV. Facultas ratiocinandi ideas generales, & abſtractas, tum ingentem aliarum idearum, & cognitionum adparatum, qui memoria tenetur, poſcit; quotiescunque enim ultra ideas rerum, quæ præſentes in mente ſunt, cogitando, vel ratiocinando progredimur, aliis præterea ideis, iisque aptis, & præſenti rei adcommodatis opus eſt. Has nobis phantaſia, & memoria fere offerunt, quæ præſentibus ideis alias ſimiles, connexas, & quoquo modo adſociatas adiungit; unde nexus rationis cum aliis facultatibus perſpici poteſt; itemque illud intelligitur, diſſeri cum ratione de re quapiam haud poſſe, niſi ſufficiens idearum, & principiorum ad eam rem pertinentium ſupellex in promtu ſit. Quamobrem diligenter cuique videndum eſt, quid ferre recuſent, quid valeant humeri.

V. Ingenium ab acumine, & profunditate intellectus plurimum ſubſidii habet, ut partiales rerum notas diſcernamus, earumque ſimilitudinem, & proportionem videamus; maxime vero ingenium a phantaſia pendet, & memoria, quæ aptas rerum imagines conſervat, atque ad uſus promte ſuppeditat. Generatim celeritas ingenii in eo ſita eſt, ut paratas ſemper, & promtas in memoria ideas habeamus, quas ad rem præſentem adcommodemus: in eo autem, quod hæ ideæ minime confuſæ ſint,

ſed

ſed alterum ab altero, in quo diſcrimen aliquod continetur, diiudicare poſſimus, ſitum eſt illud adcuratum iudicium, & acumen mentis. Atque hæc ad mutuum nexum facultatum cogitandi pertinent.

## §. III.

Experimur, mutationes, atque operationes mentis non temere, incertaque, & mutabili ratione, ſed conſtante quodam, & uniformi modo, hoc eſt, *certa lege* in nobis peragi. Hinc leges ſenſationum, phantasmatum &c. ſtatuuntur. Generalis ſenſationum lex eſt: *quævis ſenſatio reſpondet mutationi in organo factæ*, ſive ratio, cur hæc, & non alia exiſtat ſenſatio, a mutatione organi pendet: Ea organi mutatio variatur tum ex ſtructura, vel diſpoſitione organi, tum ex varia impreſſione rerum extranearum, tum interpoſito medio (Log. §. LXIX. n. III.) Ad phantaſiam pertinet *lex adſociationis idearum* (Log. §. IV.) vi cuius præterita perceptio integra, vel certe pluribus aliis ideis comitata recurrit, ſiqua perceptio præſens, quæ conſcientia, vel idea *excitatrix* dicitur, partem, vel ſimilitudinem præteritæ continet; idque fit 1. ob *ſimilitudinem præſentium idearum, & præteritarum.* Sic idea ectypi ideam prototypi ſuſcitat. 2. ob *coexiſtentiam plurium idearum*, quarum ſi una nunc excitatur, etiam altera alio tempore coexiſtens, vel adiuncta revocatur; hinc uſus linguarum oritur; dum enim idea rei, & vocis aliquando ſimul concepta eſt, idea vocis redeunte rei quoque idea redit, & viciſſim. 3. *Ob ſucceſſionem*; *quatenus præſentem ideam alia quodam tempore præceſſit, aut ſubſequuta eſt.* Atque hoc eſt principium memoriæ verbalis, qua quis recitare novit verba antea in mente agitata ſucceſſione quadam continua. Hæc adſociatio, qua ideæ ob ſimilitudinem, coexiſtentiam, vel ſucceſſionem coniunguntur, dicitur *naturalis*, ſi ipſæ ideæ nexum inter ſe, vel ſimilitudinem, vel quamcunque colligationem habent: *uſualis* adpellatur, quæ ex diverſis adiunctis perſonarum, locorum, temporum &c. naſcitur.

*De hac adſocietate diſſerit Lockius L. II. de Int. Hum. C. XXXIII. „ Quædam ex ideis noſtris cum aliis natu„ ralem quandam cognationem habent, quam ratio inveſti-*

„ *gat. Præter hanc alia eſt idearum connexio, quæ caſu,*
„ *aut conſuetudine naſcitur. Hæ in mentibus quorundam*
„ *ita uniuntur, ut eas a ſe invicem diſſociare difficillimum*
„ *ſit. - - Hinc fortaſſe Sympathiæ, & Antipathiæ, quæ*
„ *cernuntur in hominibus, maxima ex parte oriuntur,*
„ *quarum vis, & effectus non minor eſt, quam ſi natura-*
„ *les eſſent. - - Parentes, atque ii omnes, quibus puero-*
„ *rum inſtituendorum cura eſt commiſſa, caveant, ne eius-*
„ *modi ideæ haud congruentes, & aptæ in illorum animis*
„ *inter ſe colligentur. Ea ætate quidvis in mente altiſſime*
„ *imprimitur. - - - Lemurum, & ſpectrorum ideæ haud*
„ *maiorem cum tenebris, quam luce cognationem habent.*
„ *Attamen ſi ancilla inepta, vel alius quis eas ſæpius incul-*
„ *cando in mente pueruli coniunxerit, haud fortaſſe eas in-*
„ *de evellere, & diſſociare unquam poterit, verum impo-*
„ *ſterum ſemper tenebræ, quæ puero terrorem iniiciebant,*
„ *ſeni terriculamento erunt.* „

## §. IV.

*Facultates Mentis noſtræ gradibus perfectionis differunt,* de quibus nonnulla adnotanda ſunt. 1. Perfectio ſenſuum noſtrorum ad vitæ uſum aptata eſt. Si iidem multo, ac ſunt, perfectiores redderentur, rerum adſpectabilium forma longe alia adpareret nobis, & interius pervideri poſſet; non tamen ſine ingente noſtro incommodo. Si enim viſus, quo maxime inſtruimur ad rerum cognitionem acquirendam, millies, aut decies millies acutior foret, quam nunc vi teleſcopii redditur; is quidem texturam, & motum minimarum partium propius intueretur, ſed non niſi perexiguam rerum obiectarum partem ſimul contueri poſſet; Et ſi millies vegetior eſſet audiendi ſenſus, perpetuus quidam tumultus, ac fragor non minus cogitationes noſtras diſtraheret, ac perturbaret, quam ſi in media navali pugna verſaremur. Ad vitæ igitur neceſſitatem, atque etiam commoditatem quandam adcommodati ſunt ſenſus externi, quorum perfectio ex ſenſationum claritate, & obſervato rerum diſcrimine maxime æſtimatur. Hæc ſenſuum perfectio non eadem eſt in quovis homine, atque ipſo ſenio fatiſcit, aliquando morbis, non raro intemperantia vitæ ante tempus deſtruitur, & hebetatur. 2. Phantaſia tum gradus

dus *extenſionis* habet; alii enim plurium, alii paucarum rerum ideas conſervant mente, &, cum opus eſt, revocare poſſunt: tum gradus *intenſionis*, quæ in inſigni phantaſmatum claritate conſiſtit; eſtque maxima, ſi in vigilantibus præſente diurna luce ſenſuum ideis non facile interrumpitur phantaſmatum ſeries. 3. Intenſionis gradus in memoria ineſſe nemo ignorat, multique imbecillitatem memoriæ, vix quisquam iudicii, & rationis defectum, vel inopiam confitetur. Memoria *bona* eſt, ſi res cito, & facile; *magna*, ſi res multæ, longæque ſeries rerum ea recipi, & conſervari poſſunt: *tenax*, cum longo tempore retinentur: *vegeta*, cum ideæ reproductæ, earumque recognitiones admodum claræ ſunt; *felix*, quæ omnibus hiſce, aut plerisque dotibus gaudet. Defectus memoriæ ſunt. 1. *Oblivio*, ſeu impotentia reproducendi priſtinas ideas, vel reproductas recognoſcendi. 2. *Tarditas*, cum ideas reconditas in memoria non ea celeritate reproducere poſſumus, quam mentis operationes poſcunt. Notabilis tarditatis gradus a nonnullis *ſtupiditas* adpellatur. 4. Attentionis gradus maxime diſcrepant in hominibus pro varia ætate, indole, exercitatione. Pueritia & adoleſcentia per ſeſe vaga eſt, niſi corrigatur, maximeque inconſtans. Eo maior cenſetur attentionis gradus, quo diutius quis eidem rei adfixus adhærere poteſt, ac quo firmius, ſive quo minus turbari ſolet rebus aliis incidentibus in ſenſum, aut phantaſiam. 5. Perfectio intellectus pendet a numero idearum partialium, quas in rebus diſcernimus, dein ex cognita earum comprehenſione, extenſione, relatione, ac nexu; eſtque eo maior, quo quis plura, magisque adæquate, & quo plura eodem tempore ſibi repræſentat. 6. Ingenii gradus ab acumine, & profunditate intellectus, felicitate memoriæ, & phantaſiæ vivacitate, ſeu intenſione pendent. *Vulgare* dicitur ingenium, quod non niſi obvias, & patentes ſimilitudines deprehendit: *ſublime*, quod in arcaniores penetrat, resque maxime abſtractas, & obſcuras aptis imaginibus depingit: *rectum*, quod veras, atque adpoſitas: *ſuperficiarium*, quod non niſi adparentes ſimilitudines congerit.

*Sed his quidem de rebus, cum abundent recentiorum Philoſophorum libri, opus non eſt, multa nos verba facere.*

# CAPUT II.

## *De adpetitu, eiusque obiecto, ſeu de Bono, & Malo.*

*In definiendo Bono, ac Malo non Philoſophi duntaxat, ſed aliarum quoque diſciplinarum interpretes plurimum ſtudii ſemper collocarunt. At enim vocabulis rem totam conficere velle, perinde eſt, ac operam dare, ut definitio excogitetur, qua cæco homini idea lucis & coloris ingeratur. Quapropter uti in aliis notionum reſolutionibus ad ſimplices demum ideas veniendum eſt; ita idem hoc quoque loco faciendum puto. Si omnia circumſpicio, duplicem invenio originem, ex qua denominatio Boni, ac Mali deducta eſt. Siquid enim bonum nuncupamus, aut malum, id referimus vel ad facultatem Adpetitivam, quæ voluptatis percipiendæ, aut moleſtiæ capax eſt; vel ad ideas archetypas rerum, ex quibus, quid conveniat cuidam rei, eiusque naturæ, quid non conveniat, iudicamus. Priore reſpectu bonum dicitur delectabile, honeſtum, vel utile: Malum vero moleſtum, turpe, noxium; altero reſpectu bonum æque, ac malum vocatur Metaphyſicum, Phyſicum, Morale. Utraque huius denominationis origo nunc inveſtiganda eſt.*

### §. V.

Qualis ea ſit animæ adfectio, quæ voluptas, & moleſtia nuncupatur, cuique multo eſt manifeſtius, quam verbis explicari queat. Experimur enim, quam volupe ſit leni aura afflari inter æſtivos calores; commodo ſtrato componere membra laſſula; cibo, potuve famem pellere, ſitimve: viridantium pratorum amænitate relaxare animum, dulci harmoniæ præbere aures, veritatem arduam, ac diu quæſitam attingere, teſtimonium habere bonæ conſcientiæ, ſpemque beatitatis æternæ: quam moleſtum ſit e contrario, potiones ſorbere, quæ nauſeam cient, nimio æſtu torreri, aut frigore, conſcientia patrati ſceleris, aut anxio mali impendentis metu cruciari, quæque ſunt iſtius generis infinita. Siquid ad facultatem adpetitivam referimus, *bonum eſt voluptas, atque id, quod voluptatem excitat, conſervat, auget: Malum vero moleſtia, quodque pariter eandem excitat, conſervat, auget.*

*Spectatis hominum opinionibus vereor, ut iſta vox,* voluptas *eam præciſe ideam excitet in legentium animis, quam deſignatam hoc loco velim, quamque patria lingua fortaſſis aptius nominamus* **das Vergnügen.** *Rationes*

*ſic*

*ſic definiendi bonum, ac malum ſunt,* 1. *Si nulla in nobis voluptatis, ac moleſtiæ perceptio unquam exiſteret, non magis de bono, ac malo proprie dicto cogitaremus, quam cæcus de luce, & coloribus; Nunc vero ſicut ex cognitionibus, quarum conſcii nobis ſumus, primo innoteſcit, quid ſit cognoſcibile, & Metaphyſice verum; ita ex perceptione voluptatis ac moleſtiæ intelligimus, quid bonum ſit, & adpetibile. Nam poſita voluptate oritur adpetitus, ſeu inclinatio, aut niſus quidam verſus rem, & conatus eius intuendæ, ac voluptatis conſervandæ: poſita vero moleſtia ſequitur averſatio rei, ſive declinatio quædam, & conatus intuitum eiusdem abrumpendi, eamque defugiendi. Sicut igitur obiectum facultatis cognoſcitivæ eſt veritas, & cognoſcibilitas; ita facultatis Adpetitivæ obiectum eſt bonitas, & adpetibilitas. Ac ob id ipſum, ob quod bona dicitur res, eſt adpetibilis, & viciſſim quatenus adpetibilis, etiam bona eſt, quoniam entitas rei connotat, vel reſpectum habet ad adpetitum, voluptatis ac moleſtiæ capacem.* 2. *Non eſt prætermittenda auctoritas, quæ ſtabilita veritate, ſeu poſſibilitate notionis plurimum valet in definiendo. Veteres paſſim bonum vocarunt id, quod omnia adpetunt: adpetitum vero rei ſuavis, & delectabilis dixerunt eſſe. S. Thomas, qui ſubtiliter ſpeculatus eſt res Metaphyſicas, pluribus locis rationem boni in eo poſitam eſſe ait, quod adpetibile ſit quidquam. „ Ipſum autem adpetibile, inquit P. 2. Q. 26. Art. 2. „ dat adpetitui primo quidem quandam co- „ aptationem ad ipſum, quæ eſt quædam complacentia ad- „ petibilis (ſeu* voluptas) *ex qua ſequitur motus ad adpeti- „ bile ( id eſt*, adpetitio, inclinatio, proſequutio ) - - - „ *prima ergo immutatio adpetitus ab adpetibili vocatur „ amor, qui nihil eſt aliud, quam complacentia adpetibi- „ lis: & ex hac complacentia ſequitur motus in adpeti- „ bile. Similia apud Platonem extant in Gorgia, & confirmantur in Cratilo ex notatione vocis; cum vox* αγαθον *ducta cenſeatur* απο τȣ αγειν, *quod eſt ducere, & alliicere ad ſe adpetitum.*

## §. VI.

Perceptio voluptatis, ac moleſtiæ ſoli quidem animæ ineſt; eſt tamen alia voluptas ſenſuum, alia mentis intellectivæ, ſeu rationis. Hinc *bonum delectabile adpelant*

*Prima ætate, quando ratio necdum evigilavit, non niſi ex ſenſuum voluptate, ac moleſtia, quid bonum ſit, malumve, æſtimamus. Ea voluptas, ac moleſtia potiſſimum ex ſenſu tactus, guſtus, & odoratus pendet. Quæ cum ſenſione viſus, atque auditus connexa eſt voluptas, aut moleſtia, ſi ſingularis dolor abſit, uſum quendam rationis videtur poſcere; ſiqua enim res, quæ ſub viſum, vel auditum cadit, voluptate nos adficit, ea* pulchra *dicitur a nobis, quatenus in illa ordinem, proportionem, ſymmetriam diſtincte intuemur; recteque Leibnitius Muſicam adpellavit exercitium arithmeticæ occultum neſcientis ſe numerare animæ noſtræ. Ad eiusmodi autem exercitium, vel ad pulchritudinem diſcernendam vi quadam rationis opus eſt. Ad moleſtiam, quæ a ſenſibus pendet, maxime pertinet dolor, ſive ſenſio illa, quæ ex nervorum in noſtro corpore ſciſſione, aut inſolita tenſione oritur. Ei contraria eſt titillatio. Si de voluptate, ac moleſtia, quæ a ratione, atque intelligentia proxime pendet, agendum eſt, da mihi hominem contemplationi veritatis & ſtudio virtutis deditum, qui res caducas huius vitæ faſtidiat, miſerias deploret, æternitatem deſideret; is intelliget, quæ ſit ea voluptas a ratione pendens, quæve eidem oppoſita moleſtia. Delectatur mens noſtra rerum ordine, ac perfectione, perſpectoque nexu: tenetur cognitione præſtantium, ac novarum rerum: adficitur ſimilitudine, aptaque imitatione, uti ſi quod ectypon quam proxime accedere ad prototypon, aut hominum mores apte exprimi in ſcena videat; „Non hæc parva vis naturæ „ eſt, rationisque, ait Tullius L. I. Offic. c. IV. quod hoc „ unum animal (homo) ſentit, quid ſit ordo, quid ſit id, „ quod deceat in dictis, factisque qui modus; itaque eorum „ ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal „ pulcritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſen„ tit; quam ſimilitudinem natura, ratioque ab oculis ad „ animum transferens multo etiam magis pulcritudinem, „ conſtantiam, ordinem in conſiliis, factisque conſervandum „ putat. „ Quam mirifice hominem ingenuum ſapientiæ ſtudium oblectat; quæ quidem, ſi oculis cerneretur, incredibiles, ut Plato ait, ſui amores excitaret? Ex his igitur voluptas gignitur, quæ ad rationem tota pertinet: talia enim probat mens intellectiva: ea laudat, in iis contemplandis acquieſcit, eorum cognitione paſcitur; quod quid eſt aliud, quam ea honeſta eſſe, ſive delectabilia ſecundum rationem?*

*Eius-*

*Eiusmodi voluptatem in eloquentia ineſſe Tullius eleganter indicavit L. II. de Orat. „ Tanta oblectatio eſt, inquit, in „ ipſa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, „ aut mentibus iucundius percipi poſſit. Quis enim cantus „ moderatæ orationis pronunciatione dulcior inveniri poteſt? „ quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? quis „ actor in imitanda, quam orator in ſuſcipienda veritate „ iucundior? quid autem ſubtilius, quam acutæ, crebræque ſententiæ? quid admirabilius, quam res ſplendore „ illuſtrata verborum? quid plenius, quam omni rerum „ genere cumulata oratio? „ Similiter de malo, ſive eo, quod moleſtum eſt ſenſibus, quodve deforme, turpe, inconcinnum, ineptum dicimus vi rationis, differendum eſt. Sapientiſſime vero a ſummo Conditore conſtitutum eſt, ut cum plurimis rebus, earumque ideis voluptatis, aut moleſtiæ perceptio connexa in nobis, & quædam rerum, & adpetituum congruentia ſit præſtabilita; nam voluptatis, aut moleſtiæ perceptione ad adpetenda, quæ naturæ noſtræ conſentanea ſunt, fugiendaque contraria ſtimulamur, quia adnexus rebus dolor periculi nos admonet, quod incolumitati noſtræ, aut vitæ imminet ex ſciſſione, vel tenſione nervorum iis a rebus effectæ, „ Præter hæc omnia, ut Lockius ait de Int. Hum. L. II. C. VII. §. 5. „ alia invenienda eſt ratio, cur Deus per res omnes, quæ nos circumſtant, & adficiunt, voluptatis, & doloris varios gradus hinc inde paſſim diffuderit, eosque inter ſe commiſcuerit in iis propemodum omnibus, circa quæ cogitationes, & ſenſus noſtri verſantur; ut nos meram imperfectionem, amaritudinem, nec ullam omni ex parte perfectam beatitatem in iis voluptatibus, quæ a rebus creatis oriuntur, experti, eas in illius fruitione quærere- „ mus, apud quem gaudii eſt plenitudo, & cuius ad „ dextram ſunt voluptates in æternum. . .*

## §. VII.

Hactenus oſtendi denominationem boni, aut mali, quam tribuimus rebus, originem ſæpe ducere ex relatione earundem rerum ad voluptatem, aut moleſtiam, quam excitant in nobis, vel excitare poſſunt; eſtque hæc genuina, ac per ſe completa boni, ac mali expoſitio, niſi fallor. At ob inconſtantiam loquendi, & inopiam vocabulorum ſæpe boni, ac mali nomen tribuimus

rebus

rebus alio præterea ſenſu, nullaque voluptatis, ac moleſtiæ habita ratione, ſed referendo res ipſas ad ideas earum archetypas, quas ſenſu, vel ratione, aut ſtudio acquirimus; id quod in præſenti exponam. Iam inde a pueritia ideas generales ope abſtractionis & generalium vocabulorum paulatim acquirimus, easque crebro uſu penitus familiares nobis reddimus, mentique infixas tenemus. Iſtiusmodi ideas una cum nominibus deinceps haud conſiderare ſolemus ceu ectypa a rebus ipſis particularibus deſumta, nec quomodo, unde, aut quibuscum ideis aliis advenerint, cogitamus; verum easdem, uti in mente intellectiva iam ſunt, ſpectamus ceu archetypa, vel exempla rerum particularium, quas, ſi conformes illis ideis, aut difformes reperimus, dicimus: hic eſt equus: hoc non eſt aurum; iſtud eſt ædificium, propugnaculum &c. §. VII. Schol. Progreſſu dein ætatis, quando plura in rebus diſtinguimus, ad notas earum partiales, & proprietates adcuratius attendimus, ac præſertim fines rerum, partium nexum, ordinem, perfectionem perſpicimus, atque ob eam cauſſam ideas iſtiusmodi archetypas paulo perfectiores, & plures concipimus; fit, ut bonum quidquam, aut malum nuncupemus, uti id hiſce ideis conforme, aut difforme eſſe cognoſcimus. Sic bonum poema, orationem &c. vocamus. Singulæ partes relate ad totum, notæ & proprietates comparate ad eſſentiam, & quidquid omnino ad rei integritatem, & perfectionem ſpectat, quidquid ad finem, cui quidpiam deſtinatur, conducibile eſt, *bonum* dicitur, quatenus ideis archetypis, in quibus tum notæ internæ rei, tum finis eiusdem, atque media continentur, reſpondet; eodemque modo opus confectum intuens artifex, ſi id cum idea archetypa, vel exemplari congruit, bonum adpellat; ipſe adeo ſummus Conditor rerum, cum lucem feciſſet, firmamentum, terras, maria &c. *vidit, quod eſſent bona,* uti in libro Geneſis proditum nobis eſt. Item, quod alias bonum dicimus, alias vocamus rectum, conveniens rei, eius naturæ conſentaneum, aliquando etiam perfectum; quæ quidem expreſſiones regulam quandam, ceu menſuram, aut normam poſcunt, nempe ideas rerum archetypas, quibus ſi congruat res, bona, aut recta nominari poterit.

*Huic*

*Huic expoſitioni lucem affundent conſectaria quædam:* 1. *Pro diverſitate idearum, quas ſenſu, aut vi rationis, aut præiudiciis educationis, ſectarum &c. efformant homines, diverſa ſunt eorum de bono, & malo, de recto, & pravo, de perfecto, aut imperfecto iudicia, & opiniones.* 2. *Quidquid in idea cuiusdam rei continetur, ob quod una cum aliis notis res eſt talis, qualis in idea archetypa repræſentatur, id bonum dicitur eius rei. Hinc aiunt; durities bona eſt ferro, calor igni, fluiditas aquæ: canaliculi plantis.* 3. *Inprimis fines rerum particulares, & proximi conſiderantur, ex iisque determinantur regulæ, ſecundum quas eæ adfectæ, aut conſtitutæ eſſe debeant, Hi fines, atque iſtæ regulæ, ſeu cognitiones practicæ ex natura, & ex finibus rerum deductæ in ideis rerum archetypis, quas mens intellectiva format, ita elucent, ut ignorato fine de bonitate rei, & rectitudine iudicium ferri nequeat. Quidquid igitur ad finem rei facilius, citius, perfectius adſequendum, eſt conducibile, id bonum dicitur: eademque res finium varietate & bona, & mala nuncupari poteſt. Satis ex his intelligitur, bonitatem hanc, vel malitiam nihil eſſe, niſi conformitatem rerum, vel difformitatem cum ideis archetypis.*

## §. VIII.

De negatione, & nihilo nulla habetur vera idea; Non poteſt igitur id, quod nihil eſt, alio referri, aut conformari ideæ cuidam archetypæ, aut bonum dici. Hinc bonum latiſſima ſignificatione acceptum, ſeu *metaphyſicum* adpellatur, quidquid in ſe vere cognoſcibile eſt, & ad quandam ideam referri poteſt: Malum Metaphyſicum eſt negatio rei, defectus, vel imperfectio. Et quoniam in quovis ente creato, aut finito aliquis perfectionis defectus neceſſario ineſt, ita, ut omnis creaturæ perfectio ſit mixta quadam imperfectione, idcirco hæc malitia metaphyſica nuncupatur differentia perfectionis finitæ ab infinita, ſive diſtantia rei creatæ ab ente increato, & infinito. Bonum Metaphyſicum, perinde ac perfectio, aut verum eſt, aut adparens; *Verum* eſt, quod alteri maiori bono non opponitur: *Adparens*, quod maiori opponitur, ſive eius conſequutionem impedit; Hinc excluſio boni adparentis, ſeu veri mali, bo-

num eſt, atque id, quod verum bonum impedit, etſi poſitivum ſit in ſe, malum dicitur.

## §. VIII.

Bonum, ac malum duplici modo ſpectatur, in genere naturæ, & morum; ob quam cauſſam aliud phyſicum, aliud morale eſt. *Bonum Morale* ad mentes intellectivas, ac ratione præditas, earumque actiones, & habitus pertinet, ob quas eæ mentes ſpectata natura ſua & capacitate ſeu potentia, ac fine naturali recte & laudabiliter agere, vel adfectæ eſſe dicuntur. Ex cognitione theoretica naturæ mentis intellectivæ, potentiæ eiusdem operandi, ac fine facile per ſeſe cognitiones, ac dictamina practica deducuntur de iis, quæ eam decent, quæ eius naturæ conſentanea ſunt, vel quæ actiones, vel propenſiones rectæ, honeſtæ, laudabiles cenſeri debent. Quidquid igitur hiſce ideis archetypis, ac dictaminibus tum ſpeculativis, tum practicis conforme, aut difforme eſt, id moraliter bonum, aut malum nuncupatur. Alia quævis bona, aut mala, quæ aliis rebus ratione deſtitutis, aut menti intellectivæ ita competunt, ut ad mores, eorumque honeſtatem, aut turpitudinem non referantur, *Phyſica* adpellantur.

*De Moralitate, deque obligationis natura aptior erit in Theologia Naturali differendi locus. Nunc quidem explicata boni, maliquenotione haud difficile erit de legibus adpetitus agere.*

## §. IX.

Leges Adpetitus ſunt: 1. *Nihil adpetimus, niſi ſub ratione boni; nihil averſamur, niſi ſub ratione mali.* Si voluptate, aut moleſtia bonum, malumque æſtimamus, ex illa per ſeſe, & vi naturæ noſtræ inclinatio quædam, propenſio, ſeu adpetitio: ex hac declinatio, & averſatio oritur: Si vero bonum, ac malum ex conformitate, vel difformitate cum ideis archetypis metiamur, non aliter quidquam adpetimus, vel eligimus, niſi quatenus ideis conſiliorum, aut finium noſtrorum conforme, & conſequenter ut bonum repræſentatur: nec aliter averſamur, niſi quatenus iisdem difforme, ac proinde ut malum exhibe-

hibetur. Quoniam ratio, vel repræſentatio, ſeu ſpecies boni, ac mali ſeu veri, ſeu adparentis, *Motivum* dicitur, idcirco inſtar axiomatis eſt apud omnes Philoſophos; *nihil adpetimus, vel averſamur ſine motivis*: adpetitio enim, & averſatio ſine cognitione rei, quam adpetimus, vel averſamur, concipi non poteſt. Hinc trita ſunt illa: nihil volitum, niſi cognitum: ignoti nulla cupido: Voluntas eſt potentia cæca, cui quædam cognitio prælucere debeat. In mente autem intellectiva, uti in homine, ſi cum uſu rationis operatur, ea inprimis ſpectatur prævia cognitio, qua de bono, vel malo morali, id eſt, de honeſtate, vel inhoneſtate actionis iudicat. Hoc prævium iudicium, quo non niſi honeſtas, vel inhoneſtas actionis enuntiatur, vocatur *dictamen ſpeculativum*, ceu furtum eſt turpe, ac difforme rationi: illud vero iudicium, quo enuntiatur, quid faciendum, vel omittendum ſit, *dictamen practicum*, ceu, furtum patrandum eſt, cum ſit utile: eſt fugiendum, quia turpe, & periculoſum: Id iudicium, ſi generale eſt, vocatur dictamen practicum *remotum*, ſeu univerſale; aliud eſt dictamen practicum particulare, ac *proximum*, ſeu practice practicum, quo enuntiatur, quid hoc tempore, in his circumſtantiis ſingularibus ſit agendum, vel omittendum. Idem vocatur dictamen practicum ultimum, intimatio practica &c. Ex his intelligitur, cur easdem res non æque adpetant, vel averſentur homines; non enim eodem modo de bono, ac malo iudicant. Qui rerum cognitione expertes in turpi ignavia vitam degunt, plurimis, ac honeſtiſſimis voluptatibus privantur per omnem vitam, quibus eruditi viri, laboriſque amantes fruuntur. Qui veritatis, aut virtutis ſtudio, rerumque gravium tractatione alios adfici, tantoque opere teneri mirantur, hi quidem ignorantiam produnt, vixque ullam voluptatem ingenuam deguſtaſſe videntur.

II. *In cognitione boni fere adiuncta eſt ratio quædam mali, & in mali cognitione ratio quædam boni; ſive & bonum plerumque repræſentatur ut mixtum aliquo malo, & malum aliquo bono mixtum.* e. g. cibus ſapidus, at noxius ſanitati: virtus, & ſcientia pulcræ: ſed difficiles; medicina amara, verum ſalubris. Siqua igitur & boni, & mali ratio perſpicitur, uti cum quidpiam ſenſibus gratum ad-

adparet, ſecundum rationem vero malum, aut turpe; tum hi adpetitus inter ſe colliduntur, habenturque motiva abſterrentia, & allicientia; unde adpetituum pugna exiſtit. Nec vero in *diverſis* duntaxat hiſce adpetitibus, ſed in *eodem* quoque videtur pugna ineſſe poſſe, uti ſiquis ſenſu trahitur ad amorem, malo autem illato retrahitur, aut ſiquis in gravi negotio rationem adhibens in conſilium ob motivorum conflictum, quid decernendum ſit, dubitet, ceu dux, cum hæſitat, pugnare debeat, an pedem referre. Idem igitur adpetitus boni, malique repræſentatione diſtrahi poteſt in diverſas partes, haud ſecus, ac intellectus propoſitis motivis probabilibus tum adſenſus, tum diſſenſus, huc illuc ſæpe inclinatur.

III. *Quando pugna in adpetitu exiſtit, motiva ſe debilitant mutuo, non tamen mutuo ſe tollunt, aut perimunt;* poſito autem adpetituum conſenſu, ſiquid nempe eodem tempore & relate ad ſenſum, & ad rationem ceu bonum, aut malum repræſentatur, uti ſicui medicina & guſtui grata, & ſalubris offertur, multo quam alias fortius cietur hominum adpetitus; vix tamen is conſenſus adhibita attentione, ac deliberatione diu conſervari unquam poteſt, quia in omni bono finito, præſertim ſi cum bono comparetur infinito, cuius adpetendi, atque amandi capax eſt humana mens, defectus quidam, & ratio mali ineſt, & in malo præſertim abſente ratio quædam boni; Ac poſſumus quidquam ſub ratione boni eligere, etſi rationem, ac ſpeciem mali cognoſcamus, & ab hac attentionem avertere non poſſimus; neque enim, qui medicinam amaram ſorbet, vel membra præbet ſecanti, vel urenti ferro, ſpeciem mali facile repellet.

## §. X.

Commotio, vel perturbatio animi, ſive ut vulgo aiunt, *adfectus*, vel *paſſio* non quævis eſt adpetitio, vel averſatio, ſed quæ cum peculiari ſanguinis, & fluidi nervei agitatione iungitur; proinde ad adpetitum ſenſitivum pertinent adfectus, qui inſignis voluptatis, aut moleſtiæ perceptionem continent; unde eorum diviſio in *iucundos* ac *moleſtos*, gratos & ingratos, ſive adfectus proſequutionis, & averſationis ſponte enaſcitur; ſuntque *ſimplices*, ſi inſignis voluptas, aut tædium ex re unica: *compoſiti*,

ſi ex rebus pluribus, vel diverſis eiusdem rei perfectionibus, aut rationibus boni oriuntur. *Compoſiti homogenei* ſunt, quando plures voluptates ſine moleſtia (uti in ſtatu beatarum mentium) vel plures moleſtiæ ſine voluptate (uti in ſtatu damnatorum) concurrunt; compoſiti *Heterogenei*, ſi voluptas cum moleſtia, & moleſtia cum quadam voluptate miſcetur, uti fere in hoc mortali ſtatu ſaltem intra tempus paulo longius contingit; vix enim adfectum in hominibus ſolitarium, ac ſimplicem, & a conſortio aliorum penitus ſeiunctum reperies, etſi vulgo denominatio ſumatur ab eo, qui præ reliquis magis extat, vel dominatur, vel a quo cæteri imperantur. Pleraſque etiam adpetitiones vehementiores, vel averſationes comitatur anxietas quædam, & ſollicitudo, imo & deſiderium ſeu conſervandi boni, ſeu mali avertendi; neque bonum, aut malum abſens vim habet commovendæ mentis, adfectusque ciendi, niſi anxietatem quandam efficiat, & moleſtiam faceſſat, quæ nos urgeat, ſtimuletque ad quærendum abſens bonum, vel malum imminens arcendum. Eiusmodi anxietas per ſeſe ad adfectus ingratos, atque ad moleſtiam, ſeu tædium pertinet; quod quidem ſi præſens eſt, multo plus valet in animum noſtrum, quam quævis boni repræſentatio, aut voluptas actualis, quæ modica moleſtia ſæpe tota extinguitur.

## §. XI.

Partitio adfectuum petitur

I. *Ex obiecto.* 1. *Amor* eſt voluptas inſignis orta ex perfectione, aut felicitate alterius perſonæ: eſtque *amor concupiſcentiæ*, ſi voluptatem ex alterius bono capimus, quatenus id redundat in bonum, vel commodum noſtrum; *Amor benevolentiæ*, ſi voluptatem capimus, quatenus alterius perfectio, & bonum eſt. *Gratitudo* eſt amor erga perſonam ob beneficia nobis iam collata; contra *odium* eſt voluptas inſignis orta ex imperfectione, aut infelicitate alterius: eſtque *odium malevolentiæ*, ſi voluptatem ex alterius malis capimus ſine ullo noſtro emolumento: *odium concupiſcentiæ*, ſi voluptatem ex iis capimus, quatenus ea nobis utilia videntur. Ad odium pertinet *irriſio*, ſive voluptas percepta ex alterius opprobrio, vel ex comparatione noſtræ perfectionis cum imperfectione alterius. Differt vero

odium

odium tum a quavis moleſtia, vel tædio quocunque, tum ab *invidia* quoque, ſive moleſtia, ac tædio orto ex perfectione alterius perſonæ; vel a tædio illo, quod oritur, ſi imperfectionem, & infelicitatem non deprehendimus in eo, quem odio habemus. 2. *Acquieſcentia* eſt voluptas inſignis orta ex rebus a nobis recte geſtis. 3. *Gloriatio* voluptas ex bono aliorum de nobis iudicio. 4. *Hilaritas* voluptas ex fine mali, vel metu mali dilapſo. 5. Moleſtia, vel tædium inſigne ortum ex malo potiſſimum morali a nobis patrato, eſt *pænitentia*: ex ſiniſtra aliorum de nobis opinione, *pudor*: ortum ex eo, quod ante amabamus, *faſtidium*: ex alterius malo vel miſeria, *miſericordia*: ex interitu eius, quem amabamus, *luctus*: ex bono alterius, quo ipſi potimur, *obtrectatio*: ex bono alterius, quo caremus ipſi, *æmulatio.*

II. *Ex tempore.* Voluptas inſignis orta ex bono præſente, eſt *gaudium*: ex bono futuro poſſibili *deſiderium*, ac ſpeciatim deſiderium honorum, & dignitatum vocatur *ambitio*: ex bono abſente licet arduo, & ex præſente quadam perſuaſione eius obtinendi, *ſpes*, & pro maiore gradu eius perſuaſionis, *fiducia.* Contra tædium, vel moleſtia inſignis ex malo præſente, eſt *triſtitia*; ex malo abſente, & poſſicili, *fuga*: ex futuro, & imminente, *metus*

III. *Ex Intenſione.* 1. Gaudium intenſum dicitur *exultatio*, vel geſtiens lætitia: triſtitia nimia ex malo præſente, & improviſo, *terror:* fuga præceps ex præviſo malo ingente, *horror.* Intenſio, ſive vehementia adfectuum oritur potiſſimum ex claritate cognitionis, apta conſtitutione organorum, attentione, ſevocatione animi ab aliis cogitationibus, & adfectibus, atque in primis ex habitu, ac conſuetudine concipiendi certos adfectus; tum enim phantaſia voluptates vel moleſtias præteritas adiungit præſentibus, iſtasque auget. Bona ſenſuum, vel moleſtiæ præſentes fere maiore impetu mentem agitant, quam bona, aut mala, quæ ſola ratione attinguntur, niſi virtute, & conſtantia roboratus ſit animus. Hæc fere ad homogeneos adfectus pertinent,

## §. XII.

Adfectus compoſiti heterogenei ſunt 1. *Deſperatio*, quæ tum deſiderium boni abſentis, & ardui, tum triſtitiam ortam ex certitudine de eo non obtinendo continet: tædium ex ſola boni obtinendi difficultate ortum dicitur *Puſillanimitas*. 2. *Audacia* complectitur fugam mali abſentis, & gaudium ortum ex perſuaſione id evitandi; ſi hæc perſuaſio non ſatis firma eſt, non audacia, ſed *animoſitas* dicitur. 3. *Zelus* continet gaudium ex præſente bono, & fugam iacturæ eiusdem, ſive animoſitatem impediendi iacturam. 4. *Ira* involvit triſtitiam de malo præſente, præſertim de iniuria nobis, vel aliis illata, & deſiderium, vel ſpem id malum repellendi. Adpellatur hæc ira ſimplex, & differt ad odio malevolentiæ, & cupiditate vindictæ.

*De adfectibus, eorumque partitione maxima eſt inconſtantia loquendi, neque quisquam ſibi facile arrogare poteſt, ut ſuo ore, ac ſenſu loquantur omnes. Philoſophi eſt originem eorundem, ac naturam boni & mali; circa quæ velut cardines animus agitatur, adcommodate ad mentis naturam contemplari. Si in iudiciis de bono, ac malo, & in ideis archetypis error eſt, is primo in adpetitiones, & averſationes, tum in adfectus gratos, ab his in actiones, denique in mores dimanat. Etſi autem non quævis adpetitiones, atque averſationes ſint in poteſtate noſtra; at teſte experientia easdem, etſi cum impetu quodam, & agitatione ſanguinis, ac ſpirituum coniunctæ ſint, quoad executionem, ſive expletionem ſuſpenſas tenere poſſumus, attentionemque noſtram ad eas examinandas, remque obiectam penitius introſpiciendam convertere; in quo uſus libertatis noſtræ maxime conſiſtit, & quo neglecto, ſi volitiones, ſeu decreta, & conſilia mentis temere præcipitamus, maximi errores, & turpiſſima vitia naſcuntur in omni vitæ noſtræ regimine, & vera felicitate perſequenda. Propenſio naturalis, ac neceſſaria mentis noſtræ ad bonum, & felicitatem, incitamento nobis eſſe debet, ut diligenter caveamus, ne adparens bonum, ac ſpurium leviter amplectamur, & ignaviſſimus in deliberationibus, & particularibus actionibus regendis, quæ media ſunt adipiſcendæ veræ felicitatis. Atque in hoc vertitur cardo libertatis noſtræ, de qua deinceps agendum eſt.*

CAPUT

# CAPUT III.

## *De Dominio Mentis in Facultates Cognoſcendi, & Adpetendi.*

*Dominium mentis noſtræ in uſu facultatum ſuarum expoſiturus ſola experientia, & communi prope hominum ſenſu nitor, adcuratius poſtmodum de libertate, eiusque vera notione acturus. Videtur autem præſens tractatio non modo ad veritatis cognitionem, ſed ad vitæ quoque regimen, & informationem morum permagni momenti eſſe.*

## §. XIII.

*In noſtra poteſtate poſitum* dicimus, quod ita a nobis fit in certis adiunctis, ut perinde non fieri poſſit. Hinc Aristoteles L. III. Ethic. c. 1. *quibus in rebus*, ait, *in noſtra poteſtate ſitum eſt agere, in iis & non agere; & in quibus non agere, in iis eſt* & *agere.* Hiſce de rebus, quæ in noſtra ſunt poteſtate, deliberare, ac conſultare ſolemus; *Nemo autem,* ut idem obſervat VI. Ethic. *de iis rebus conſultat, quæ aliter ſe habere non poſſunt,* Sentire famem, ſitimve, aut inclinationem quancunque ex repræſentatione boni &c non dicimus in noſtra eſſe poteſtate, neque iis de rebus conſilia exquirimus. *Dominium* mentis eſt poteſtas eiusdem ita ſe determinandi, vel agendi quidquam, ut in iisdem adiunctis non determinare nos, aut non agere poſſimus. Ac poteſtas ita ſe determinandi, vel agendi quidquam, quod immediate & proxime ab ea determinatione pendet, *dominium directum*: Poteſtas vero eo modo agendi quidquam, ex quo aliud dein mediate ſequitur, vel impeditur, *dominium indirectum* adpellatur.

## §. XIV.

I. *Dominium mentis in ſenſus.* Si homo ſui compos eſt, & corpora extranea in organa rite comparata agunt, non eſt in dominio, & poteſtate mentis ſenſatio, nec ſenſationis genus, aut intenſio. Neque enim apertis oculis, auribusve pro libitu videre, & audire; aut non videre, non audire poſſumus. At ſæpe in poteſtate noſtra eſt adplicare ſenſus ad obiecta, aut ab iis removere, ſitumque corporis mutare; neque fruſtra

 præ-

præcipitur in Philoſophia Morali, ut a noxiis, aut periculoſis rebus, dictis, aut factis ſenſus noſtros diligenter cohibeamus.

## §. XV.

II. *Dominium in Phantaſiam, & Memoriam.* Imperium, quod mens in phantaſiam exercet, non deſpoticum eſt, ut aiunt, quale herus in ſervum, aut mancipium ita exercet, ut is illud detrectare haud poſſit: ſed eſt regium, ac politicum, quale Principi in cives competit, qui ipſi quoque audiendi aliquando ſunt. Sic Phantaſmata ſæpe invitis nobis veniunt in mentem, neque id ſemper impedire poſſumus, niſi indirecte, quatenus primam ſenſationem, aliamve impedimus perceptionem, ob quam ea propter legem adſociationis idearum redirent. Quapropter ſi animum phantaſmatis minus turbatum, & contemplationi aptum habere velimus, neceſſe eſt, ut inutilium rerum perceptione abſtineamus. Eſt tamen in poteſtate noſtra ad recurrentia phantaſmata attendere, vel ea repellere, aut alia revocare, aliisve ſenſationibus exturbare, quia imaginatio, uti & ſenſatio fortior opprimit debiliorem. Ac ſi iterato redeant, iterato repelli, atque excuti poſſunt. Viri prudentis eſt, ſollerter invigilare phantaſiæ ſuæ, præſertim ſi vivaciorem dederit natura, eiusque vim, atque impetus quoquo modo frænare. Maximas enim pernicies adfert inſtar immanis, atque indomitæ beſtiæ, niſi mens poteſtate ſua utatur. Etſi phantaſmata ſæpe iniuſſu noſtro reviviſcant, tamen etiam iuſſu noſtro redeunt; poſſumus enim teſte ſenſu intimo has præ aliis ideas revocare, uti ſi veſperi repetam animo actiones præterlapſæ diei, aut quod Seneca præcepit, ſcientiæ quoque, & progreſſus examen inſtituam. Eorum intenſio quoque, ac claritas remotis ſenſationibus, in locis ſolis, aut tenebris, vel ope ſenſationis iisdem reſpondentis, aut denique crebro intuitu, ipſaque vi cogitandi augeri poteſt. Imaginatio non niſi reproducit ideas ſimplices ſenſu jam acquiſitas: nulla autem vi novas ipſa ideas ſimplices valet primo producere; cæcus quidam referente Lockio L. III. de Int. Hum. C. IV. Qui imaginari ſibi res viſibiles conatus eſt, atque amicorum etiam explicationes adhibuit ad lucis, & colorum nomina intelligenda,

glo

gloriatus aliquando eſt, ſe, quid ſit coccineum, iam didiciſſe. Roganti dein amico, quid eſſet, cæcus reſpondit, ſimile id eſſe tubæ ſonitui. Quemadmodum vero non eſt in poteſtate noſtra, ullam novam effingere ideam ſimplicem citra adminiculum ſenſuum, aut reflexionis; ſic nullam ſimplicem alterare, vel delere, animove eiicere poſſumus, niſi ea paulatim veluti ſua ſponte effluat. Aliquando revocaturi priſtinam quamdam ideam, in omnem partem vertimus cogitationes, variasque alias ſimiles ideas revocamus, donec quæſita menti ſuccurrat. Hæc facultas ideas reproducendi ope aliarum in mentem revocatarum adpellatur *reminiſcentia*, vel recordatio, ac paullum differt a memoria.

## §. XVI.

III. *Dominium mentis in attentionem.* Si plures ſimul perceptiones per quoscunque ſenſus ſubeant animum, aut plura concurrant phantaſmata, complexum ex omnibus *perceptio totalis* dicitur: ſi vero in re eadem plures notæ diſcerni poſſunt, *compoſita.* Eſt autem in poteſtate noſtra efficere, ut in perceptione totali, vel compoſita ad unum præ alio figamus attentionem, ſive unius præ alio magis conſcii nobis ſimus; ac tum eo ipſo, quod uni adfigatur attentio, ab alio removetur, quia ob limitatam perfectionem nequit mens eodem tempore plura diſtincte intueri. In adpetituum pugna, in conſiliis capiendis, ac deliberationibus pro arbitrio attentionem huc illuc transferimus, & motiva quodammodo reciprocamus, nunc unum adprehendimus, alterum repellimus, ut interea omnis determinatio voluntatis ſuſpendatur, donec mens pro libitu unam partem arripiat, ſeu motivum quoddam cum ſuo decreto iungat, ac tum reliqua motiva repellit, ac ſi ea moleſte obverſentur menti, iterato id facit, vel ab incæpto deſiſtit, & actionem interrumpit. Ea actio, quam mens in poteſtate habet, quaque attentionem in uno figit, ab altero avertit, cum ſe determinat, aut quidquam eligit, *motivorum quædam adprehenſio* ac *repulſio* eſt: translatio vero attentionis in aliam, atque aliam partem, idearum, ac *motivorum reciprocatio* dici poteſt. Ob iſtuc attentionis dominium conſilia nobis, ac præcepta dantur a viris ſapientibus, non attendendi ad noxia, vel pericu-

 loſa

loſa phantaſmata, quæ adpetitum cient, attentionemque transferendi ad res ſerias, & honeſtas. Obſunt attentioni, niſi exercitio, ac tractatione ſcientiarum præſertim mathematicarum roborata ſit, ſenſationes clariores, commotio animi, maxime tædium rei, cui ea adfigenda eſt.

## §. XVII.

IV. *Dominium mentis in rerum veritate agnoſcenda.* Mens humana argumenta etiam maxime efficacia pro poteſtate ſua ſæpe eludit his cogitationibus: *fortaſſis fallacia ſubeſt argumento* (præſertim ſi longior eſt ratiociniorum deductio) *Non omnia adhuc comperta ſunt, quæ adferri in contrariam partem poſſunt: Non perſuadebis, etiamſi perſuaſeris* &c. atque ita hæſitatio, & refragatio non ab intellectu, ſed voluntate ſæpiſſime oritur, & ignorantia quædam culpabilis, craſſa, vel ſupina, & adfectata dicitur. Sæpe nolunt homines intelligere, ut bene agant; a veritate, ut ſacræ literæ exprobant, auditum avertent; ad fabulas autem convertentur &c. Mentes humanæ ceu muri lutei validiſſimos impetus ſæpe immotæ excipiunt, ac veritatem, ceu hoſtem repellunt, ne victas dare manus cogantur, præſertim ſi commotio quædam, aut perturbatio animum agitat. In argumentatione, qua avarus vel amans utitur, ſit pecunia, vel res amata ex una parte: argumenta oppoſita ex parte altera; quæ ſit pars præponderatura, facile coniicimus. Si mens facultates ſuas ab inquirendo vero cohibet, tam cogitatio, quam adſenſus impeditur, ſecus nullum eſſet in ignorantia, errore, infidelitate crimen.

## §. XVIII.

V. *Dominium mentis in adſenſu probabili præſtando.* Si ad habitudinem binarum idearum velimus attendere, earumque convenientiam, vel repugnantiam clare percipiamus, non magis in poteſtate noſtra eſt, veritatem intueri, quam obiecta luci meridianæ ſubiecta apertis oculis videre, aut non videre; neque præter ipſam attentionem ad ideas, novo motivo ad adſenſum opus eſt. At ſi habitudo idearum clare haud perſpicitur, vel ſi motiva in utramque partem tum ad adſenſum, tum diſſen-

ſenſum offeruntur; tum & nova diſquiſitio, ac conſultatio, & ipſe etiam adſenſus ab imperio voluntatis pendet. Eſt autem ea ſapientum lex, ut a rebus incertis omnis adſenſio cohibeatur, fugiaturque temeritas, & præcipitantia iudicandi: quod præcipi haud poſſet, ſi etiam iis, quæ minime evidentia ſunt, ſed incerta, aut obſcura certe quidem, neceſſario adſentiremur; nunc autem, quia in dubiis rebus, vel obſcuris adſenſus in poteſtate noſtra eſt, & temeraria iudicia vitio vertuntur, & adſenſus dogmati revelato præſtitus ob auctoritatem Dei revelantis, laudi, ac merito eſt, ſi is rite fiat. Si pro una tantum parte adſentiendi motivum præſto ſit, nequit mens oppoſitam partem ceu veram ſerio amplecti, etſi cohibere adſenſum queat, ſi illud plene ſufficiens non ſit. Caſus is, quo omnis adſentiendi ratio pro utraque parte abeſt, ad neſcientiam pertinet, & differt a caſu, quo motiva oppoſita, & æqualia concurrunt, uti ſi bini teſtes paris auctoritatis inter ſe pugnent; tum mens noſtra non perinde ſe habet, ac ſi omni motivo in utramque partem deſtitueretur, ſed titubatio quædam, & reciprocatio inclinationis ad adſenſum, & diſſenſum oritur. Si denique motiva inæqualia ſint, & oppoſita, adſenſus in poteſtate noſtra relinquitur, præſertim ſi cogitemus, quanta ſit ſapientum in æſtimandis gradibus probabilitatis diſſenſio, aut quam ſæpe falſa maiorem veris ſpeciem probabilitatis præ ſe ferant. Univerſe mens pro arbitrio ſuo motiva unius partis arripit, ad ea attendit, alia negligit, & repellit quodammodo, ut adeo diverſitatis opinionum, quæ inter homines vigent, ratio non in ſolo intellectu, ſed præterea in voluntate quærenda ſit.

## §. XIX.

VI. *Dominium mentis in adpetitum.* Ea eſt mentis intellectivæ conſtitutio, ſeu natura, ut voluptatem, ac felicitatem, quæ ſtatum perdurabilis, ac completæ voluptatis denotat, neceſſario adpetat, ac naturaliter. Hinc cum ea ad beatitatem ſibi haud ſufficiat, ad quamvis boni ſpeciem, niſi fixa iam ſit in alio maiore bono, ſe inclinat, quaſi in eo felicitatem repertura. Sæpe ob eam beatitatis ſitim, propriamque pauperiem in adfectus etiamvehementiores proruit. Adpetitus igitur, uti inci-

inclinationem denotat, quæ ex boni, malive propoſiti ratione oritur, non eſt directe in poteſtate mentis, uti nec ſenſus & imaginatio, in quibus fundatur adpetitus ſenſitivus, directe in poteſtate noſtra eſt. At in dominio mentis eſt, obſequi iis inclinationibus, aut iisdem refragari; unde dictum eſt nobis: *ſub te erit adpetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Recte obſervat Lockius L. II. de Int. Hum. c. 21. §. 53. *Nec dicat aliquis, ſe non poſſe moderari, & obſtare adfectibus, quo minus ab iis abripiatur, & ad agendum concitetur; quod enim coram Principe poteſt, idem poteſt in ſolitudine, ac Dei præſentia agere.* Bonum infinitum *clare* cognitum mens intellectiva non poteſt non ſumme adpetere, atque amare, cum illud attentionem in ſe penitus rapiat, ac menti ex omni pare omnino conſentaneum ſit, eiusque adpetitum felicitatis perfecte expleat. Idcirco amor Beatorum, qui clara infiniti boni cognitione gaudent, maximam adpetitus rationalis propenſionem continet, ſummeque voluntarius eſt, ut ab illo amando bono deſiſtere nullo modo velint, aut poſſint. In hoc mortali ſtatu, quo clara eiusdem cognitione deſtituimur, atque ab eius attentione extranearum rerum impreſſionibus, variisque phantaſmatum, ac curarum anxiarum turbis identidem abſtrahimur, amor ſummi boni a dominio, & libertate mentis pendet. Bonum aliud quodcunque extra Deum, dum homo rationis uſu gaudet, adpetitionem noſtram non ita trahit neceſſario, ut cogitationem, amoremque ab eo avertere haud poſſimus, tum quia mens noſtra capax eſt adpetendi, atque amandi boni maioris quocunque finito, nempe infiniti, tum quia quodvis finitum bonum mali cuiusdam, ſeu defectus rationem, quæ attentionem noſtram quodammodo repellit, in ſe continet. Siqua repente boni, vel mali repræſentatio in nobis exiſtit, quæ adpetitum inferiorem vehementius commovet, omnemque in ſe attentionem primo rapit, ii dicuntur *motus primo-primi*, neque in poteſtate mentis ſunt, donec ea ſpeciem quandam boni in malo repræſentato, vel ſpeciem quandam mali in propoſito bono deprehendat.

## §. XX.

VII. *Dominium mentis in volitiones ſuas.* Cum velle,

le, aut non velle in poteſtate noſtra eſſe dicimus, id non de quacunque inclinatione, propenſione, vel averſatione intelligendum eſt, ſed de illa volitione, vel determinatione, aut electione mentis, quæ in iisdem adiunctis, poſitoque eodem actu primo proximo æque dari, ac non dari poteſt, ſive de volitione libera; de qua re mox infra diſſeram. Neque vero talis volitio ita eſt in noſtra poteſtate, ac ſi illa ab alia penderet volitione diſtincta; ſecus enim hæc diſtincta volitio, cum pariter in poteſtate noſtra ſit, rurſum ab alia diſtincta volitione penderet, atque hæc ab alia denuo, ut ad finem perveniri haud poſſet. Sed volitio, quæ in poteſtate noſtra eſt, immediate a voluntate procedit, & ita procedit, ut iisdem adiunctis poſitis poſſit non procedere. Verum ut confuſio idearum vitetur, adnotandi quædam de adpetitu, & voluntate aptus iſte videtur eſſe locus. Etſi ob diverſitatem operationum adpetitus inferior, & ſuperior, tum ſenſus, ac ratio diſtinguantur, & ſeorſim explicentur; haud tamen exiſtimandum eſt, eas facultates ſeorſim operari quovis tempore. Qui rem ſenſibilem, veluti cibum guſtui gratum, at ſanitati noxium adpetit, id quidem adpetitu ſenſitivo facit: dum autem is incommodum valetudinis eodem tempore providet, dum nexum huius actionis cum periculo ſanitatis, aut ſequuturæ moleſtiæ videt, dum eiusdem actionis imprudentiam, aut malitiam agnoſcit, eamque conquiſitis motivis excuſare conatur, & periculum elevat, aut contemnit: hæ quidem cogitationes propriæ ſunt rationi, & ad ſuperiorem hominis partem pertinent. Idemque contingit eodem modo, quotiescunque adpetimus quidquam, vel averſamur ita, ut ad convenientiam ſeu honeſtatem, aut turpitudinem actionis advertamus animum. Quapropter, cum in mente humana ratio, qua ſupra beſtias eminemus, adiuncta ſit facultati adpetendi, idcirco eidem menti, non item beſtiis *voluntas*, id eſt, *adpetitus rationalis* tribuitur. Hoc modo voluntatem definiunt tum VV. Peripatetici, tum Stoici, ac ætate noſtra Philoſophi plerique omnes. Neque vero id ita accipiendum eſt, ac ſi omnis adpetitio, quæ in mente humana exoritur, ſemper cum uſu, & advertentia rationis coniungeretur: ſubiacet enim motibus concupiſcentiæ repentinis, indeliberatis, rationem

præ-

prævertentibus: multo etiam minus voluntas adpellatur adpetitus rationalis, ac ſi omne id, quod adpetimus, vel averſamur, dictamini rectæ rationis eſſet conſentaneum. Qui cibum ſumit, quem noxium ſanitati videt, ſane vult eum ſumere; at refragante ratione. Quapropter fugienda æquivocatio eſt; differunt enim hæc duo: *velle quidquam cum uſu, & advertentia rationis: & velle ſecundum dictamen rectæ rationis.* Habet voluntas, quocunque ſe volverit (niſi motibus indeliberatis præveniatur) rationem comitem; non quod ſemper ex ratione, ſed quod non abſque ratione moveatur (ſi motus ii indeliberati, & prævenientes abſint) ita, ut multa faciat per ipſam contra ipſam, hoc eſt, quaſi per eius miniſterium contra eius conſilium. Nam & fur, & latro, & qui ſenſuum voluptates aucupantur, etſi contra dictamen rationis agant, tamen ratione utuntur in exequendis conſiliis ſuis. Hac facta animadverſione, ut penitiorem noſtri ipſorum cognitionem adipiſcamur, quædam notiones huc pertinentes præterea diducendæ ſunt. Mens noſtra actiones voluntatis ſuæ aliquando ita habet in poteſtate, ut in iisdem adiunctis poſſit non agere: aliæ autem voluntatis inclinationes, & propenſiones non ſunt in poteſtate mentis. Hinc ad voluntatem, uti ea facultas eſt mentis intellectivæ referuntur, 1. voluptas & moleſtia. 2. Inclinatio ac propenſio ad bonum: averſatio mali. 3. Omnis adfectuum turba, quorum alii iucundi ſunt, alii moleſti. 4. Pugna adpetituum, qua voluntas hac illac impellitur, ſtimulatur, movetur tum ex cognitione ſenſuum, & phantaſiæ, tum a ratione. 5. Volitio, vel determinatio, aut electio talis, ut eodem poſito actu primo proximo mens non velle, non determinare ſe, non eligere poſſit. Atque hi dicuntur *actus eliciti*, ſeu immediate pendentes a voluntate. 6. *Actus imperati*, ſive actus aliarum facultatum, quæ impulſu, determinatione, ſive ut aiunt, imperio voluntatis fiunt: uti attentio, indagatio veritatis, membrorum motus ii, qui vi ſtructuræ, & ob ſolam unionem mentis cum corpore non determinantur. 7. Effectus ſequuti ex actu quodam elicito, vel imperato voluntatis, ceu homicidium, quod ex percuſſione imperata a voluntate ſequitur. *Voluntarium* igitur dicitur, quod quaqua ratione a voluntate pendet, ceu ambulatio ſanitatis cauſ-

cauſſa: *non voluntarium*, quod a voluntate non pendet, etſi voluntas eidem non refragetur, ceu motus ſanguinis: *involuntarium*, cui refragatur voluntas; uti ſiquis invitus trahitur, aut impellitur.

*Sunt, qui adpetitum rationalem a voluntate, alii, qui voluntatem a libertate ſegregandam putant. Qua de re iudicium ferri poterit, poſteaquam de libertate tractaverimus.*

## §. XXI.

VIII. *Dominium mentis in habitus.* Quoniam *habitus* eſt facilitas agendi frequente actuum repetitione acquiſita, intermiſſione vero actuum debilitata, & paulatim extincta; manifeſte ſequitur, ut mens noſtra idem dominium in habitus acquirendos, vel extinguendos habeat, quod eidem in actiones eas, ex quibus pendet habitus, competit. Imprimis id dominium ad phantaſiam, ac memoriam pertinet, indeque pendentes adpetitiones, vel averſationes, voluptatem, aut moleſtiam. Paradoxum quibusdam videbitur, ſiquis adferat, penes hominem eſſe, efficere, ut, quod iucundum videbatur, moleſtum adpareat, quodque moleſtiam creabat, deinceps voluptatem adferat. Atqui id ipſum effici perſæpe, certa experientia docet. Quibus enim virtus, ſapientiæ ſtudium, labor, ſolitudo &c. moleſta accidit, iidem mirifice poſtea hisce rebus delectantur accedente uſu, & conſuetudine. In immutandis autem habitibus mentalibus maxime neceſſarium eſt, ut mens contemplationi rerum, circa quas novus verſatur habitus, diligente, & maximo ſtudio intendat, ac contra inclinationem prioris habitus nitatur.

# CAPUT IV.

## *De Libertate Indifferentiæ.*

*De dominio, & poteſtate mentis adcuratius nunc diſputandum eſt, quia ea res non modo multis æquivocationibus, ſed etiam turpiſſimis erroribus, maximeque noxiis pervertitur, ac fœdatur. Quidam principio rationis ſufficientis temere, atque incaute arrepto, cum eius vim ac poteſtatem nunquam philoſophice indagarunt, malunt a communi Philoſophorum, atque adeo omnium prope hominum, & ipſius naturæ iudicio diſcedere, quam ſuſceptæ methodi, ac ſyſtematis præconcepti patrocinium deſerere. Hi libertatem ore,*

*& calamo iactitant: reipſa tollunt. Alii aperte bellum movent contra dominium, ac ius mentis intellectivæ, quod ei a natura, ac natura Conditore conceſſum eſt. Cum enim, ut Lockius ait, conſcientiæ, ac ſceleris reatum removere a ſe ſtudeant, libertatem negant, etſi ea re conditionem ſuam multo efficiant deteriorem. Libertatis igitur ius tuendum eſt contra iniuſtos adgreſſores.*

## §. XXII.

*Neceſſitas in agendo eſt ea agentis determinatio ad unum, ut in his adiunctis non poſſit aliud, aliove modo agere.* Per actionem intelligo motum, vel cogitationem, vel adpetitionem, aut volitionem; idea igitur actionis abſtracte ſpectata ad plura pertinet, vel ad plures modos actionis; poteſt enim motus fieri hac, illave directione, aut celeritate; produci, conſervari, abrumpi, aut non produci, non conſervari, non abrumpi: cogitatio hac illac tendere: attentionis ope conſervari, vel repelli, animoque eiici poteſt: Pariter adſenſus, & diſſenſus, adpetitio, vel averſatio, amor, aut odium, volitio aut nolitio actionis nomine exprimuntur. In actione igitur plura, aut plures, & diverſi modi concipi poſſunt. *Neceſſario* autem agit, quod in his adiunctis ita eſt determinatum ad unum ex pluribus, ut in iiſdem adiunctis nequeat ſe determinare ad agendum aliud, aliove modo. Hæc determinatio ad unum, vel neceſſitas, ſi a principio externo oritur contra agentis inclinationem, adpellatur *violentia*, vel ſi ea, quæ hoc modo determinantur, cognitione, & adpetitu pollent, *coactio.* Si vero ea determinatio ad unum ex ipſa natura agentis, vel quocunque ex alio principio contra inclinationem non cogente oritur, *ſimplex neceſſitas* vocatur. Neceſſitati opponitur libertas naturæ, ſeu immunitas a neceſſitate; ac coactioni quidem, & violentiæ *ſpontaneitas*, ſeu facultas agendi ex intrinſeca determinatione citra vim externam: neceſſitati ſimplici vero *libertas indifferentiæ*, *quæ eſt facultas mentis intellectivæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis ſe determinandi*, vel *non determinandi*, ſive, ut alii aiunt, agendi, vel non agendi; eſtque hæc *libertas contradictionis*, quia reſpicit contradictoria, actionem, vel omiſſionem actionis; facultas vero mentis poſitis omnibus requiſitis ſe determinandi ad alterutrum ex contrariis e. g. amorem, vel odium;

vel

vel ex diverſis e.g. ad lectionem, ſtudium, ambulationem, nuncupatur *libertas contrarietatis*, vel *diverſitatis*, aut ſpecificationis. Ea, ad quæ mens determinare ſe poteſt poſitis omnibus requiſitis, nempe actio, vel omiſſio eiusdem, vel actio contraria, aut diverſa apte dicuntur *extrema libertatis*, quia inter illa mens ceu media verſatur, ita, ut ad hanc illamve partem ipſa ſe poſſit convertere. *Libertas in actu primo* remoto eſt ipſa voluntas, uti poteſtate eligendi unum præ alio, ſeſeque determinandi pollet. *Libertas in actu primo proximo* eſt eadem voluntas omnibus ad agendum, vel non agendum requiſitis inſtructa, vi quorum eſt proxime expedita ad utrumlibet, non, ut ea poſſit ſimul coniungere, e.g. agere eodem tempore, & non agere, vel eligere contraria, ſed ut alterutrum ex utroque perinde queat eligere. Talia requiſita, quæ actum primum proximum conſtituunt præter ipſam voluntatem ſunt, 1. Cognitio prævia boni, vel mali, ſeu motivum. 2. Adplicatio divinæ omnipotentiæ, ſive omne id, quod Dei omnipotentia conferre debet, ut cauſſa creata convenienter naturæ ſuæ poſſit agere. 3. Iudicium indifferens, ſive talis rei cognitio, ut deliberatio habeat locum, neque tota mentis attentio neceſſario in obiecto figatur. 4. Abſentia omnis impedimenti, aut principii cujuscunque mentem determinantis ad unum; quid præterea ad actus liberos ſalutares requiratur, Theologis explicandum relinquimus.

*Spontaneitas rebus quoque inanimis aliquando tribuitur; dicimus enim: ſponte lapis cadit, ſi obſtaculum removetur: maxime ea tribuitur beſtiis; canis enim proiectum bolum ſponte arripit, etſi libertate careat. Qui præveniente animi perturbatione agit quidquam ſine deliberatione, ſponte & maxima inclinatione, ac propenſione agit, non item libere, quia in his adiunctis, ſeu poſito hoc actu primo proximo non poteſt non agere. Coactio ne cadit quidem in mentem intellectivam; quia fieri non poteſt, ut mens volens nolit, aut nolens velit: cogi poteſt homo ad actus externos; non autem mens, ut velit eam externam actionem, ad quam vi externa compellitur; hinc nequit iſte externus actus vocari imperatus, quamdiu mens eundem non vult; neceſſario igitur libera eſt a coactione tum quoad actus elicitos, tum imperatos. Improprie vulgo dicimus, cogi quempiam vi*

 *tor-*

*tormentorum ad confeſſionem ſceleris. Reipſa, qui ob tormenta fatetur ſcelus, ipſe vult, & eligit confeſſionem ceu medium finiendis doloribus neceſſarium, vel opportunum. Non igitur omne voluntarium eſt liberum; at quod liberum, id voluntarium. Hæc libertas a neceſſitate, cuius notionem, & requiſita expoſuimus, libertas indifferentiæ nuncupatur, quia poſitis iam omnibus requiſitis mens necdum determinata eſt ad unum potius, quam aliud, ſed ad utrumlibet indifferens eſt, donec ipſa tollat hanc indeterminationem, & indifferentiam ipſo actu, vel exercitio, quod actus ſecundus dicitur. Eadem dicitur libertas electionis, quia mens in his adiunctis ex pluribus poſſibilibus, quæ in eius poteſtate ſunt, adſumere unum poteſt relicto altero; quæ eſt genuina electionis notio; ubi enim eſt determinatio ad unum, locum non habet electio; ob eandem cauſſam vocatur facultas ſuorum actuum domina, quia nulli determinationi ſubiacet, præterquam ſuæ. Hinc S. Thomas* I. *P. Q,* 82, *Art.* 1. *ad* 3. *ait: „ Sumus domini noſtrorum „ actuum, ſecundum quod poſſumus hoc, vel illud eligere. „ Electio autem, ut idem ait L.* 2. *q,* 13. *Art.* 2. *eſt reſpe- „ ctu plurium, quæ eligi poſſunt; & ideo in his, quæ ſunt „ penitus determinata ad unum, electio non habet locum. ;, Dein I. P. q.* 83. *Art.* 4. *Liberum arbitrium nihil eſt, quam „ vis electiva; & Art.* 3. *Ex hoc enim liberi arbitrii eſſe „ dicimur, quod poſſumus unum recipere, altero recuſato.*

## §. XXIII.

Propoſitio. *Menti Humanæ competit libertas a neceſſitate*, eo, quo expoſuimus, ſenſu. Prob.

I. Ex ſenſu intimo cuivis, qui paullum modo ad actiones mentis ſuæ reflectit, perſpicuum eſt, ſe poſitis iam omnibus ad agendum requiſitis poſſe æque velle, ac non velle, determinare ſe, aut non determinare ad agendum, idque ſiquis neget, vel in dubium vocet, ipſo facto demonſtrari poteſt. Nec vero cogitare nos, aut vivere, ſenſu intimo magis percipimus, quam nos hac indifferentia electionis, ac libertate a neceſſitate præditos eſſe.

II. Deliberationes, obiurgationes, exhortationes, laudes, vituperia, præmia, ſupplicia, leges &c. quæ recte, ſapienterque in uſu ſunt apud homines, apertiſſime requirunt libertatem indifferentiæ, vi cuius actiones ita ſunt in poteſtate noſtra, ut eas pro arbitrio ponere,

aut

aut non ponere poſſimus. Quis enim deliberat de eo, quod non poteſt fieri, aut fit neceſſario e. g. an velit, vel non velit creſcere quoad ſtaturam? quis recte exhortatur claudum, ne nutante greſſu incedat, vel militi vulnere proſtrato exprobrat, quod hoſtem non perſequatur; quis eum laudat, quod non fugiat? Si neceſſario quidvis fit, non maiore laude dignus erit vir probus, quam improbus, cum uterque faciat, & omittat, quod non poteſt non facere, aut non omittere? Poſita neceſſitate actionum omne ſcelus excuſationem, nullaque virtus meritum habet, cum actio agenti non ſit imputabilis. Legum, ac præmiorum, vel ſuppliciorum finis adæquatus non eſt in futurum duntaxat proſpicere, & homines ad bonum impellere, vel abſterrere a malo; ſed ob præteritas quoque actiones condignum præmium, aut ſupplicium rependere; id & teſtimonium bonæ, & remorſus malæ conſcientiæ apud omnes homines ratione utentes, qui non penitus obbrutuerunt, indicat: Id iuſtitia vindicativa, quæ actus præteritos reſpicit, ipſa dictante ratione poſtulat: Id exempla comprobant eorum, qui ob admiſſum ſcelus clam omnibus pæna, & ipſa adeo morte adfecti ſunt. Supplicia non modo terrori ſunt aliis, ne peccent, ſed ſatisfactionem continent ob patratum ſcelus; quemadmodum grati animi teſtificatio non tantum impetrationem novi beneficii reſpicit, ſed potius accepti beneficii memoriam, atque officium palam facit.

III. Unicum diſcrimen, ſed idem palmare inter cauſſas neceſſarias, ac liberas in eo conſiſtit, quod illæ poſitis omnibus requiſitis non poſſint non agere: nec lapis cadit, niſi obſtacula remota ſint, & potentia proxima ponatur: neque ignis accendit, niſi poſitis omnibus requiſitis, ac diſpoſitionibus: Beſtiæ non niſi factis certis impreſſionibus ad adpetendum, vel fugiendum abripiuntur; & univerſe potentiæ, quas neceſſarias vocamus, poſitis omnibus requiſitis, neceſſario, & ſemper agunt, & quamprimum omnia requiſita ſunt poſita, & quanto tempore, & quantis poſſunt viribus, agunt; neque omnino ullam ideam potentiæ liberæ nobis præbent; quam duntaxat experientia domeſtica, & reflexio ad actiones noſtræ mentis nobis ingerunt, qua diſcimus, eam eſſe mentis noſtræ in ſuas actiones poteſtatem, ut ope ſolius cogitationis ſuſcipere actionem, omittere, continuare,

abrumpere, vires noſtras magis, minusve intendere, præſentes ideas intueri, vel ab iis attentionem avertere, redeuntes iterato repellere valeamus. Quam ob rem niſi quis conſcientiæ ſuæ refragari, & ſtudioſe, atque impudentiſſime mentiri velit, hanc libertatem indifferentiæ menti humanæ adiudicet, neceſſe eſt.

## §. XXIV.

### Satisfit Argumentis Oppositis.

I. *Fieri poteſt, ut quis decipiatur ſenſu intimo, ſeque liberum putet, etſi agat neceſſario; hoc modo decipiuntur, qui ex ſenſu intimo probant, animam noſtram vere agere in corpus, aut toto corpore diffuſam eſſe; Ergo ſenſus intimus non eſt idoneum veritatis criterium.* R. d. a. Fieri poteſt, ut quis ſenſu intimo decipiatur, hoc eſt, ut aliquis falſo putet, ſe experiri quidquam ſenſu intimo, quod reipſa non experitur, c. a: fieri poteſt, ut, ſi recte intelligat, quid ſit ſenſus intimus, atque ad eum attendat, nihilominus decipiatur, n. a, &c. Senſu intimo cognoſcimus ea, quæ intra nos ipſos intus in animo contingunt; atqui id contingit in animo noſtro, ut poſito iam toto actu primo nondum actio detur, niſi mens ad eam, cogitationem ſuam adiiciat, eamque eligat, vel decernat: ut propoſito quocunque motivo attentionem poſſimus alio transferre, vel ad conſiderandum prius motivum redire: ut ipſa mens non modo velit, ſed propria determinatione, ac vi velit, & ita velit, ut omittere volitionem poſſit: ut adpetitio vel inclinatio quæcunque tamdiu quoad executionem maneat ſuſpenſa, donec mens eam ſequi, vel non ſequi decernat; Hi ſunt actus immanentes animi: hos reflexione facta mens in ſe cognoſcit, eaque perſpicuitate, & certitudine cognoſcit, ut abſolute falli non poſſit, ſicut eadem abſoluta certitudine, & evidentia cognoſcit, ſe cogitare, vel dubitare, & vivere. Motus in corpore effectus non eſt actus immanens animæ, multo minus exiſtentia eius in toto corpore; hæc igitur ſub ſenſum intimum non cadunt; quique ea ſenſui intimo adſcribit, vitio ſubreptionis decipitur, id eſt, falſo putat, ſe experiri, quod reipſa minime experitur.

II. *Siquod ens externum volitionem nobis imprimeret, etiam tum eſſet in mente noſtra volitio, & volitionis conſcien-*

*ſcientia intima; & tamen mens noſtra eo caſu ageret neceſſario: Ergo neceſſitas agendi cum ſenſu intimo volitionis coniungi poteſt.* R. N. a. Senſus intimus non tantum in eo conſiſtit, quod ſentiamus, nos velle quoquo modo, ſed quod ita velle nos ſentiamus, ut volitio ab anima proprio delectu ac propria determinatione fiat, & ita fiat, ut in iisdem adiunctis perinde non fieri, & omitti poſſet. Talis conſcientia locum non haberet, ſi volitio aliunde imprimeretur, aut mens quavis neceſſitate ageretur. Experimur certe manifeſtum diſcrimen inter propenſiones, & inclinationes naturales ad iram, amorem &c. quæ non ſunt in poteſtate noſtra, & inter liberas volitiones, ſeu conſenſum, vel diſſenſum voluntatis iis inclinationibus præſtitum. Siquis fallente veſtigio labatur, lapſumque animadvertat, vel incitato per prærupta curſu motum ſiſtere cogitet, perſpicue agnoſcit, id non ita in poteſtate ſua eſſe, ac dum nullo abreptus eiusmodi impetu greſſum ad dextram, vel lævam deflectere poteſt. Quapropter falſo, & inepte, ut ſemper, Spinozza ait, lapidem quoque, ſi moveri ſe cogitaret, liberum ſe eſſe opinaturum. Quid? inquiunt, *ſi fores cubiculi, in quo quis verſatur, tacite obſerentur; is liberum ſe putat, ut pro arbitrio manere poſſit, vel egredi; igitur conſcientia intima cum neceſſitate coniungitur.* R. Diſtinguenda eſt libertas ad actus internos, ſeu ad volendum (quæ ſola datur in iſta hypotheſi) a libertate ad actus externos, qui non modo neceſſitati, ſed etiam coactioni ſubiacent.

III. *Fieri poteſt, ut Deus poſito actu primo proximo neget concurſum ad alterutrum, e. g. ad volitionem; hoc caſu nolitio eſſet neceſſaria, & tamen libera nobis adpareret.* R. d. a. Fieri hoc poteſt ita, ut ſentiremus actum primum proximum mutari, præſertim ſi ſæpius, aut conſtanter contingeret, c. c. ut iſtuc non ſentiremus, ſed nos liberos eſſe conſtanter putaremus, n. a. Quamdiu ad motiva tam impellentia, quam abſterrentia libere poſſum attendere (id quod ſenſu intimo exploratiſſimum eſt,) tamdiu in negotio libertatis, quod totum conſtat actibus immanentibus, nihil turbatur; ſi vero ea attendendi facultas tolleretur, & attentio aliena determinatione ſic figeretur in uno, ut transferri ad aliud non poſſet, tum id, præſertim ſi ſæpius contingeret, neceſſario animadvertere deberem.

IV. *Beſtiæ, etſi libertate careant, tamen præmio adſiciuntur & pœna: 2. Occidere nobis licet hominem furioſum in nos irruentem, ſi alia evadendi via nobis non ſuppetit; ut proin pœnam det homo, etſi neceſſitate peccet. 3. Amor beatorum in cælo, etſi neceſſarius ſit, tamen honeſtus eſt, & laude dignus; igitur ſine libertate indifferentiæ honeſtas moralis concipi poteſt. 4, Leges, præmia, ac ſupplicia conſtituuntur, ut homines moraliter neceſſitentur ad faciendum bonum, fugiendumque malum. 5. Poſita fatali neceſſitate omnium actionum ipſa conſtitutio legum, præmiorum, & ſuppliciorum eſt neceſſaria, & ad immutabilem cauſſarum, & eventuum ſeriem pertinet: ergo ex legibus, præmiis & ſuppliciis non concluditur libertas.* R. ad 1. Beſtiæ adſiciuntur præmio & ſupplicio vere ac proprie tali, quod ob actus præteritos, & ex iuſtitia vindicativa imponitur. n. improprie tali, ut impreſſis quibusdam ſpeciebus deinceps determinentur ad agendum quidquam, vel omittendum c. Nemo ſanus neci dat beſtiam, ut actum iuſtitiæ exerceat, & ob præteritos actus pænam, & vindictam ſumat. Ad 2. cædes hominis furioſi non pænæ rationem habet, ſed medii ſeſe defendendi, & gravius impendens malum avertendi. Ad 3. Amor beatorum eſt honeſtus obiective, quatenus maxime convenit menti intellectivæ veram felicitatem adpetenti: non autem formaliter honeſtus eſt ratione meriti; cum enim omitti haud poſſit, nequit is imputari ad meritum, cuius idea non niſi ad actiones liberas refertur. Ad 4. Leges &c. imponunt neceſſitatem moralem agendi, ſive obligationem, qua quis, niſi miſer eſſe velit, adſtringitur ad obſervationem legis; non autem imponunt neceſſitatem in genere naturæ, uti fit in beſtiis factis impreſſionibus; quapropter ea neceſſitas moralis, ſive obligatio cum libertate naturæ minime pugnat, quod vel experientia, ac frequens legum transgreſſio palam facit. Ad 5. quod conſtitutio legum, ac præmiorum &c. nulla neceſſitate fiat, ſatis patet ſenſu intimo, ipſaque mutatione, ac difformitate plurimarum. Sed quomodocunque fiat illa conſtitutio, quando ex legibus, præmiis, ac ſuppliciis conſtitutis argumentum pro libertate deducitur, illud duntaxat ſumitur: eas leges iuſte, ſapienterque conſtitutas eſſe, & pænas iuſte, recteque infligi. Id quidem negare haud quisquam audebit; atqui nec leges, nec pænæ inflictæ forent iuſtæ, ratio-

nique

niquo conformes, niſi actiones hominum eſſent liberæ; id oſtendimus .in prob. 2da.

V. *Homines iiſdem adiunctis, & propoſitis iiſdem motivis operantur eodem modo, ac uniformiter; Nam ambitio, avaritia, amor proprii emolumenti, vanitas, privatæ amicitiæ, voluptas ſenſuum hoc etiam ævo cauſſæ impulſivæ, & elateres ſunt humanarum actionum, uti fuere iam inde a mundi origine; Ergo, ſicut in natura corporea ex uniformitate naturalium actionum infertur neceſſitas agendi in naturalibus cauſſis; ita ex uniformitate humanarum actionum eadem operandi neceſſitas in hominibus colligi poteſt.* R. Homines uniformiter operantur, eodemque modo in iiſdem adiunctis, ſi ſpectetur ſortaſſis ſola inclinatio adpetitus, quæ libera non eſt: ſi actiones conſiderentur duntaxat ſecundum ideas abſtractas omiſſis circumſtantiis ſingularibus: ſi maior duntaxat actionum pars, & aliæ etſi pauciores, tamen innummerabiles non attendantur, c. uniformiter operantur eo modo, quo id fit in cauſſis naturalibus, vel ut coniectura fieri poſſit de neceſſitate actionum, n. Omnes homines generatim adpetunt bonum, ac fugiunt malum, idque vi naturæ, non electionis: in delectu autem bonorum, vel modo, quo adpetunt, maxima eſt diverſitas, quanta eſſe poteſt, cum circa pauca bona datur optio. Alii bona ſenſuum, at diſpari modo, inæquali intenſione adpetitus, nec conſtanter, & omni tempore, alii honeſtatem eadem difformitate ſequuntur: omnes utuntur cibo, potu, ſomno; at ſumma diverſitate in ipſo uſu, quatenus a ſola libertate pendet. Humanæ actiones, uti non exiſtunt abſtracte, ſic neque abſtracte, & ſecundum notas generales ſimiles, ſpectandæ ſunt, verum ſecundum ſingularia adiuncta, in quibus ſumma etiam ſimillimarum actionum difformitas eſt; alius eandem rem magis, alius minus, alius ob hoc, alius ob aliud motivum, aliumve finem, alius ſæpius, alius rarius adpetit, & ſequitur; nec citra iniuriam plurimorum virtutis amantium dici poteſt, omnes homines adpetitum ſenſuum ſequi, vel ambitione, vanitate, avaritia, amore proprii emolumenti &c. duci; verbo, nec unicus caſus oſtendi poteſt, in quibus exiſtente pugna adpetitus ſenſitivi, & rationalis omnes homines uniformiter operantur, quemadmodum poſitis iiſdem adiunctis idem eventus in natura corporea ſequitur: nam corpus, ſi

labi poteſt verſus centrum, ſemper labitur, & ignis rite adplicatus aptæ materiæ ſemper accendit.

VI. *Diverſitas actionum ex ſola indolis, & habituum diverſitate oritur.* R. Aliquando id verum eſſe aio; ſemper autem, omnique in caſu, nego; ipſa indoles, ac ipſi etiam habitus magnam partem dominio, ac libertati mentis ſubiacent; (§. XXI.) ſæpe cum homines diſpari modo operantur, adiuncta externa admodum ſimilia ſunt; unde igitur conſtat, interna adiuncta, ſive animi habitum eſſe diſſimilia? vel ſi tanta eſt indolis, & habituum animi diverſitas, quomodo uniformitas humanarum actionum iactari, earumque neceſſitas inferri poteſt? Exemplum, quod Auguſtinus commemorat L. XII. de civit. Dei c. 6. & quo Theologi ob alium finem ſæpe utuntur, frequentiſſime inter homines occurrit: *Si duo æqualiter adfecti animo, & corpore videant unius corporis pulcritudinem, qua viſa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur; alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret; - - - quid aliud adparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere?* Quæ eſt igitur uniformitas actionum, aut difformitas indolis, & habituum, quam fingunt nonnulli, at comprobare omnino nequeunt?

VII. *Si nulla daretur uniformitas humanarum actionum, fieri non poſſet, ut experientia duce formarentur regulæ practicæ de futuris hominum actionibus; atqui formantur eiusmodi regulæ a ſenibus, Politicis, Philoſophis moralibus, perinde ac ab agricolis diu verſatis in ſuo opere de cultura terræ.* R. De futuris hominum actionibus nullæ aliæ regulæ formari poſſunt, niſi ut indoles, & inclinatio tum nationum, tum ætatum, tum individuorum ſpectetur; dein in caſibus ſingularibus circumſtantiæ, rationes, ac fines explorentur; ex quibus dubiæ quædam regulæ, ſeu potius coniecturæ probabilitatis practicæ colligi poſſunt. Qui de quovis individuo certæ nationis, ætatis, ſexus, conditionis omnes ſimiles actiones exſpectare, ac prædicere aut præſumere vellet, quas maiori etiam parti familiares eſſe novit, is non modo temerarius, ſed ſtultus haberetur a quovis ſapiente viro.

*Hactenus diſceptatum eſt contra apertos libertatis hoſtes; neque ea admodum laborioſa, aut dubia dimicatio erat. Maiore ingenio, atque acumine opus eſt, dum contra Leibnita-*

*nitianos agitur, qui principium illud ſuum rationis ſufficientis, quo utramque paginam implent, ultra iuſtos limites extendentes admodum periculoſas libertati divinæ & humanæ inſidias ſtruunt; Ea enim, niſi caveamus, opinionis eorundem conſequutio erit, ut Dei æque, ac hominum actiones ineluctabili, atque inſuperabili fato ſubiiciantur. Neque tamen iidem de pravitate animi (boni enim viri ſunt, & veritatis amantes) ſed de errore arguendi ſunt. Agam hoc loco de hominum libertate; quæ ad Dei actiones pertinent, Theologia Naturalis ſibi vendicat.*

## §. XXV.

Leibnitianorum hæc eſt ſententia: quotieſcunque libertas ſeu divina, ſeu humana ſe determinat ad aliquid, ratio ſufficiens haberi debet, cur *potius* ad eligendum quidpiam, quam non eligendum ſe determinet; quia repugnat, ut determinatio, ſeu volitio ſine ratione ſufficiente exiſtat; atqui, aiunt, nulla ratio ſufficiens, cur *potius* ſe determinet, quam non determinet, excogitari poteſt, præter repræſentationem boni, quatenus id, quod eligitur, adparet melius, ſeu magis placet. Hinc negant fieri poſſe, ut inter bona, quæ ut penitus æqualia proponuntur, fiat electio, niſi pro altero ratio potior, ſeu prævalens, ſaltem extrinſeca, & levicula, ut Wolfius ait, accedat; & quia poſita ratione ſufficiente ponitur rationatum, fieri non poteſt, ut in his adiunctis, propoſita hac ratione potiore, vel prævalente aliud eligatur, quam quod ea ratio potior, vel prævalens ſuadet. Ob hanc cauſſam diſplicet ipſis ea libertatis notio, qua mens poſitis omnibus requiſitis ad agendum, & propoſitis quibusvis motivis, ſeu rationibus etiam tum indifferens ad utrumlibet, nempe ad ſe determinandum, vel non determinandum ſtatuitur; Nam inter omnia requiſita ad agendum eſt repræſentatio boni, vel mali: hæc ratio eſt ſufficiens volitionis: poſita ratione ſufficiente nulla indifferentia concipi poteſt, an detur, vel non detur rationatum. Libertas igitur, ut opinantur, rectius dicitur facultas entis intelligentis ex pluribus poſſibilibus, vel contingentibus ſponte eligendi id, quod ipſi maxime placet; vel facultas eligendi id, quod ex repræſentatione bonitatis finis practice intimati maxime placet.

Agimus enim propter finem, qui repræſentatur ut bonus, & quidem in his circumſtantiis ut melior, & præferendus. Hæc igitur libertatis notio id involvit: determinatio, ſeu volitio pendet ex motivo ſeu ratione potiore, aut prævalente, quam etiam repræſentationem boni, intimationem practicam, iudicium practicum ultimum adpellant.

## §. XXVI.

Propoſitio II. *Notio libertatis, qua determinatio, ſeu volitio ex ratione prævalente, ſeu potiore pendere ſtatuitur, non eſt genuina.* Prob. Illa notio libertatis genuina non eſt, quæ vel libertatem tollit, vel progreſſum in infinitum involvit, vel non omni actui libero competit; talis eſt ea, quam Leibnitiani adſignant, libertatis notio: igitur genuina non eſt. Prob. m. vel ratio prævalens, ex qua pendet volitio A, pendet ab actu libero præcedente, vel non pendet; Si ea non pendet ab actu libero præcedente, mens per eam eſt determinata ad unum, ac proin expers libertatis. Nam ſi menti liberum non eſt, ut hæc potius, quam alia ratio ipſi proponatur, & ſi propoſita ratione in his adiunctis, non poteſt aliud eligere, quam id, quod ratio prævalens dictat, mens noſtra antecedenter, id eſt, ante propriam determinationem eſt determinata ad unum, & neceſſario in his adiunctis agit id, ad quod illa ratio inclinat; neque culpandus quisquam, aut laudandus erit, quod egerit id, quod poſita ea ratione a ſuo arbitrio non pendente non agere in his adiunctis non potuit; ſed aget beſtiarum more, quæ factis certis impreſſionibus non poſſunt aliter agere, vel ſe determinare, quam ſecundum factas impreſſiones; imo nulla eſt cauſſa neceſſaria, quæ agat, niſi poſitis omnibus requiſitis. Si ergo mens noſtra poſitis omnibus requiſitis, & propoſitis quibuscunque rationibus non eſt indifferens in his ipſis adiunctis ad ſe determinandum, haud maiore libertate pollet, quam beſtiæ, vel quævis cauſſa neceſſaria, quia eiusmodi ratione prævalente quæ non pendet ab actu voluntatis, determinatio ad unum, & neceſſitas infertur ſimillima illi, qua bruta, & res inanimæ, ſiquas habent vires motrices internas, rapiuntur ad agendum hoc potius, quam aliud. Perſpicuum igitur, atque

atque indubitatum mihi videtur, rationem prævalentem, motivum præponderans, intimationem practicam Leibnitianorum ſenſu acceptam, ſi ea a prævio actu libero voluntatis non pendeant, libertatem ſubvertere. Eiusmodi ratio non eſt in poteſtate mentis, utrum proponatur *in his adiunctis*, vel non proponatur: eadem ſi propoſita eſt, eſſentialiter connectitur cum determinatione mentis; quia vi principii contradictionis, id eſt, abſolute, & metaphyſice neceſſarium eſt, ut poſita ratione ſufficiente ponatur rationatum: ergo *in his adiunctis* determinatio mentis hæc potius, quam alia adſtringitur ad unum: ergo libera non eſt.

Si autem ea ratio prævalens, ex qua pendet volitio A, iam pendet ab actu libero præcedente B; quæro, an ad hunc actum liberum præcedentem B, prærequiratur alia ratio prævalens, an nulla prærequiratur? ſi nulla: exiſtet actus liber ſine ratione prævalente; conſequenter adſignata notio libertatis non competit omni actui libero. Si alia ratio prævalens prærequiritur, &, ne libertatem tollat, ab alio iterum pendet actu libero prævio; fit progreſſus in infinitum. Nam pendeat volitio A a ratione prævalente B; hæc ratio prævalens B, ne libertatem tollat, ab actu libero præcedente C; hic actus præcedens C ab alia ratione prævalente D; atque ita porro; quis non videt, nullum rationum, & actuum liberorum finem reperiri poſſe, niſi actus liber ſine ratione prævalente admittatur; id quod datam definitionem reddit mancam; vel ratio prævalens non pendens ab actu libero præcedente; id quod libertatem, ut ex primo dilemmate patet, penitus evertit.

*Videndum nunc eſt, quo modo Leibnitiani noſtram impugnent argumentationem: dein quomodo ſuam confirment ſententiam.*

## §. XXVI.

### Responsa Leibnitianorum.

I. *Quidam Wolfii Epitomator ſic ait: ſi me talia ſcribente vir honoratus, cui magnam admodum reverentiam a me deberi certus ſum, in conclave meum intrat, abiecto protinus calamo ad eum cum veneratione excipiendum*

*dum propero ; An forte non adeſt facti mei ratio ſufficiens ? an non eſt , cur hoc potius faciam , quam oppoſitum ? an ideo neceſſitate agendi compulſus libertate excidi? Si homini indigo datur optio eligendi inter donum unius aurei , & unius crucigeri ; quis dubitat , dari rationem ſufficientem , cur ad aureum potius , quam crucigerum manus extendat ? An autem neceſſitate compulſus id facit? ſi ex ratione ſufficiente manaret neceſſitas , oportebat eam in utroque exemplo adeſſe ; non adeſt ; ergo inde non manat.* R. Hæc quidem hominibus, qui intra unius ſectæ anguſtias omnem ſuam continent cogitandi vim, aut adoleſcentibus iis , qui ultra id , quod ex ore docentis excipiunt , progredi cogitando non ſolent , ſpecioſa videri poſſunt ; reipſa nulla ſunt: Ac mutemus modo paullulum poſitos caſus; quid ? ſi ego, cum vir ille honoratus intrat , citra acerbum dolorem pedes commovere haud poſſim, ut tantundem doloris metus me cohibeat , quantum obſervantiæ leges ad ſurgendum impellunt? quæ erit potior ratio tam manifeſta , & independens a libera mea determinatione ? certe aut me commovebo , aut officii intermiſſionem excuſabo ; cumque perinde fieri utrumque a me poſſit ; utrum fiat, unice a voluntate mea pendet. Quid? ſiquis hominem egentem, cui moderata cupiditas eſt, & bona mens, ſciſcitetur, quot nummos habere velit, iſque duodecim æque, ac ſex nominare poſſit; quæ erit ſufficiens ratio , ut ſex nominet , non quinque , non ſeptem ? an ea ratio in indiviſibili ſita eſt neceſſario ? Siquis optionem det mihi, ut, quot opus eſt, aut velim , calamos arripiam, quos ad uſus præparem , alia ſcilicet ratio ſufficiens pro tribus, alia pro quatuor, pro quinque calamis alia detur, neceſſe eſt? & ſi plures æque apti , & præparati præſto ſint , alia nempe ratio ſufficiens requiritur , ut calamum A, alia , ut calamum B arripiam. Quis unquam ſatis probabit potiorem ſaltem leviculam rationem pro uno potius, quam altero non modo adeſſe poſſe, ſed reipſa adeſſe , & neceſſario , ut ea abſente electio fieri non poſſit ? Sed poterat Auctor multo luculentiora exempla proferre , ac dicere : ſiquo ex tecto videam decidentes tegulas, ſane ratio ſufficiens adeſt diſcedendi ex eo loco , vitandique periculi ; num , ſi diſcedo , libertate excido ? ſi fame , & ſiti crucior , ratio ſufficiens urget ſu-

ſumendi cibi, potuſque; num ergo, qui comedit, & bibit, vel ſomno ſe dat ſtato tempore, propterea libertate ſe ſpoliat? hæc quidem non magis favent Leibnitianis, quam Humio, qui ex uniformitate humanarum actionum neceſſitatem earundem concludit; de qua re dictum eſt §. XXIV. n. V. Quis enim negat, homines non modo motiva, & rationes ſuas habere in agendo, ſed ſæpe etiam habere & uniformia, & prævalentia motiva, ad quæ vulgo adiicere animum, & uniformiter operari in ſimilibus adiunctis ſolent, maxime iis in rebus, in quibus adpetitus ſenſitivus, & rationalis fere conſpirant, uti ſunt conſervatio vitæ, fuga incommodi, quod nihil utilitatis adfert, tranquillitas ſocietatis, & fama viri boni, honeſti, ac civilis; vel in iis, quæ mediorum inſtar ſunt ad eiusmodi fines adſequendos; nam amore finis e. g. vitæ, tranquillitatis, famæ &c. ſemel concepto amor, vel electio mediorum ad eum finem neceſſariorum non concipi quoque non poteſt. Hinc ea, quæ conſuetudine, & conſenſu hominum, inter quos degimus, ſtabilita ſunt, uti humanitatis officia, de quibus auctor agit, ceu media tranquillitatis, aut famæ conſervandæ, admodum uniformiter ſequuntur homines, cum præſertim nulla contraria ratio abſterreat, & quisque contemtum eorum fugiat, quibuscum communitas eſt ipſi, & vitæ ſocietas, ut non raro malint homines famem, ſitimque ferre, & ſomno reſiſtere, quam in urbanitatis leges peccare. Si ex hac operandi conſuetudine, & uniformitate nulla neceſſitas legitime concluditur, neque pro principio rationis ſufficientis quidquam confici poteſt. Sed preſſius reſpondendum eſt: *In poſitis caſibus datur ratio ſufficiens, ac prævalens: & tamen nulla datur neceſſitas: ſequor rationem potiorem; & tamen libere ago: ergo ratio ſufficiens non obeſt libertati: ſi enim in uno caſu non obeſt, nec in aliis oberit.* R. d. a. Datur ratio prævalens, nulla autem datur neceſſitas, ſi ponitur, mentem etiam poſita ratione prævalente in iisdem adiunctis poſſe non agere, & pro arbitrio ſine alia ratione poſſe attentionem ab ea avertere, transferre ad aliud, idque etiam eligere, c. a. ſi iſtuc non dicitur, uti a Leibnitianis dici non poteſt, quia poſita ratione ſufficiente neceſſario, & vi contradictionis ponitur rationatum. n. a, & c. Sequi rationem

præ-

prævalentem per ſeſe non obeſt libertati, uti nec prudenter eligere libertati electionis obeſt; at adfirmare, eam eſſe mentis proprietatem, ut in electione a motivo potiore naturaliter pendeat, aliudque agere haud poſſit, quam quod ratio potior dictat, iſtuc certe libertatem tollit.

II. *Si datur ratio ſufficiens agendi A potius, quam B; non datur quidem actu in mente ratio ſufficiens agendi B potius, quam A; poſſet tamen dari, ſi anima vellet ſe adplicare ad alia in obiecto conſideranda. Similiter Baumeiſterus inquit: „ Concedo equidem, quod anima poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere contrarium, ſed ſi contraria motiva acceſſerint. „. Ergo poſita etiam ratione potiore manet potentia non agendi, conſequenter & libertas.* R. c. a. n. c. quæro: an poſita ratione prævalente in his ipſis adiunctis poteſt anima pro arbitrio, & ſine alia ratione prævalente velle, ut ſe adplicet ad alia in obiecto conſideranda, vel iſtuc velle in his adiunctis non poteſt? ſi primum, dabitur volitio ſine ratione prævalente, neque iam principium rationis ſufficientis ad liberas actiones ſenſu Leibnitianorum pertinet; ſi alterum: non datur potentia proxima non agendi in his adiunctis, ſed remota, qualis ad libertatem haud ſufficit. Qui repentinis & indeliberatis motibus agitur, pariter potentiam remotam non agendi habet, ſi nempe abſint ii motus; ſed quid iſtuc ad libertatem confert, ſi, ut in his adiunctis abſint, efficere non poteſt? Sine dubio admittendum eſt, poſita quavis ratione prævalente, quæ cum libertate conciliari poſſit, poſſe animam velle ad alia conſideranda ſeſe adplicare, attentionem ab intuitu illius avertere, ad oppoſitum transferre; at in hiſce actibus pro poteſtate ſua ſine alia ratione prævalente mens agit; ut adeo illa ratio prævalens cum idea rationis ſufficientis minime conveniat, quia poſita ratione prævalente poteſt actio non poni: poſita autem ratione ſufficiente non poteſt non poni rationatum.

III. *Libertas agendi, eligendique inter bona æqualia, vel inæqualia in eo ſita eſt, ut quis conſultare, deliberare, novas rationes, & nova motiva conquirere, atque illud dein amplecti poſſit, pro quo maior ratio pugnat; ergo ſalva libertate uſus principii rationis ſufficientis retineri poteſt.*

R.

R. c. a. n. c. Sola deliberatio prævia ſecundum principia Leibnitianorum libertati explicandæ non ſufficit. Si enim ea a libera volitione antecedente non pendet, erit neceſſaria, & quia ex illa pariter ſequitur ratio maior, vel prævalens, ex hac autem volitio, perſpicuum eſt, hanc volitionem non eſſe liberam, ſed neceſſariam; per deliberationem enim non liberam determinatur ratio prævalens pariter non libera, per hanc volitio: igitur mens eſt determinata ad unum. Si autem ea prævia deliberatio a libera volitione antecedente pendet; prior quæſtio redit: vel enim hæc antecedens volitio aliam prærequirit deliberationem, & rationem potiorem: atque hæc, ne libertati obſit, aliam volitionem antecedentem; ſeries infinita rationum, vel deliberationum, & volitionum obtinetur, quod abſurdum eſt; ſi vero ea antecedens volitio in ſola poteſtate eſt animæ, nullaque ratione potiore eget, habebitur denuo volitio libera ſine ratione potiore. Supra iudicavi, attentionem, deliberationem in arbitrio mentis eſſe, neque per ſeſe motivo prævalente indigere. At enim quemadmodum mens noſtra ſine ſpecie maioris boni ſeſe determinare poteſt, ut attentionem huc illuc transferat, in uno figat, ab altero avertat; ſic eadem pro ſuo arbitrio ſine ſpecie maioris boni, vel ſine ratione prævalente determinare ſe poterit ad obiectum, quod ut bonum repræſentatur, immediate volendum, eaque deliberatio ad electionem non qua liberam, ſed qua prudentem, ſi res gravior agitur, neceſſaria eſt; id quod experientia confirmat; homines enim vulgo nimis præcipitanter, ac temere ad agendum proruunt, neque deliberationem ſemper adhibent momento rei proportionatam.

IV. *Poſitis motivis ipſa voluntas ſe determinat, ipſa agit: ergo libera manet.* R. c. a. d. c. libera manet ſecundum hæc principia a coactione, c. c. libera manet a neceſſitate. n.c. Animæ quoque belluarum poſitis impreſſionibus ipſæ ſe determinant, idque etiam mens noſtra in motibus indeliberatis facit; nec tamrn alia in his libertas habetur, niſi a coactione, & vi externa, ſive ſpontaneitas. Si quæras, quomodo motiva, quæ phyſice non agunt in animam, eius libertatem tollant; R. Non ſola motivorum repræſentatio in ſe libertati obeſt; ſed ea proprietas ſive ea determinatio, quæ men-

ti

ti humanæ adfingitur, ſequendi rationem potiorem, illa inquam, cum libertate conciliari nequit.

V. *Ratio ſufficiens ſolum inducit veritatem determinatam, hypothetice, non abſolute neceſſariam, ut nempe determinate verum ſit: actio ponatur, ſi ponitur eius ratio ſufficiens: igitur libertati non officit.* R. d. a. inducitur veritas determinata, hypothetice, non abſolute neceſſaria, quæ tamen neceſſitas eſt antecedens, & oppoſita libertati, c. a. quæ hypothetica neceſſitas conciliari queat cum libertate indifferentiæ, n. a. & c. Evolvendæ hic ſunt notiones quædam. *Neceſſitas abſoluta* ex ipſa rerum natura, & eſſentia oritur; eſtque abſolute neceſſarium, cuius oppoſitum intrinſecus repugnat. *Neceſſitas hypothetica* aliunde derivatur; eſtque neceſſarium hypothetice, cuius oppoſitum non niſi poſita quadam conditione repugnat. Hoc modo neceſſarii ſunt eventus naturæ poſitis certis viribus, ac legibus, quibus tamen potentia divina per miraculum refragari poteſt. Hæc igitur neceſſitas hypothetica abſolutam contingentiam non tollit; ut lapis ſoli æſtivo expoſitus calefiat, hypothetice neceſſarium, idem tamen abſolute contingens eſt, quia calor non niſi ex hypotheſi, & quidem ita ineſt, ut eum non ineſſe lapidi in ſe conſiderato, non repugnet, At enim quis dicet, non aliam in actionibus liberis, quam in eventibus naturæ contingentiam ineſſe? quapropter & neceſſitas hypothetica, & contingentia porro ſubdividenda eſt, ut vocibus diſtinguantur præſertim in cauſſa tam gravi ea, quæ re differunt. *Neceſſitas hypothetica antecedens* dicitur, quando conditio, ex qua neceſſitas oritur, ab ente intelligente, quod neceſſitatem ſubit, impediri, vel evitari nequit. Eiusmodi neceſſitas certe obeſt libertati, tollitque potentiam proximam non agendi; uti patet in motibus indeliberatis concupiſcentiæ. Eadem oritur ex principio rationis ſufficientis ſenſu Leibnitianorum accepto, ſi mens propoſitis motivis ab eius arbitrio non pendentibus non poteſt in his adiunctis non agere, ad quod ea motiva inclinant. *Neceſſitas hypothetica conſequens*, ſi conditio, ex qua neceſſitas oritur, ab ente intelligente, quod neceſſitatem ſubit, impediri, vel evitari poteſt. Eſt igitur antecedens neceſſitas, vel conſequens, prout conditio, ex qua illa oritur, antecedit, vel con-

ſe-

ſequitur liberam determinationem entis intelligentis, quod neceſſario quidquam agere dicitur. Hac diviſione & Theologi, & plerique Philoſophi, quorum præconceptæ opinioni ea non obeſt, utuntur. Ipſe Anſelmus L. II. cur Deus homo. c. 18. ait: *Eſt præcedens neceſſitas, quæ cauſſa eſt, cur res ſit; & eſt neceſſitas conſequens, quam facit res.* Nihil adeo contingens eſt, & expers neceſſitatis, ut ex hypotheſi, quod ſit, non ſit neceſſario, quia idem ſimul eſſe, & non eſſe, non poteſt. Porro ut contingentia actuum liberorum a contingentia naturalium eventuum ſegregetur; *contingens ſimpliciter* adpellant, quod procedit a cauſſa libera, ſeu tali, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis ſe determinare ad agendum, vel non determinare poteſt: *contingens ſecundum quid*, quod a cauſſa neceſſaria procedit, ſic, ut divinitus fieri poſſit oppoſitum.

*Hæc ſunt fere reſponſa Leibnitianorum, quibus fruſtra, niſi vehementer fallor, argumentationem ſuperius poſitam infringere conantur. Supereſt, ut argumenta audiamus, quibus adducti principium illud ſuum ad libertatem mentium intellectivarum extendunt.*

## §. XXVII.

### Argumenta Leibnitianorum.

### *Pro Principio rationis ſufficientis in negotio libertatis.*

I. *Nihil eſt ſine ratione ſufficiente: principium eſt generale, quod probatione non eget; neque reſtringi debet, cum latiſſime pateat; ergo nec voluntas libera agit ſine ratione ſufficiente.* R. d. a. Eſt id principium generale, quod tamen adcommodate ad rem, de qua agitur, explicandum eſt, c. a, quod eodem ſenſu ad res maxime differentes adplicari poteſt, n. a. & c. De actionibus externis, vel quibuscunque imperatis (§. XX. n. 6.) nulla controverſia eſt; hæ enim rationem ſufficientem habent, qualem Leibnitiani poſtulant; lis tota pertinet ad actiones immediate liberas, ſive ad volitiones mentis intellectivæ. Si iam quæritur, cur volitio libera A exiſtat; reſponderi debet, quia ea a mente intellectiva, quæ facultate pollet ſeſe determinandi poſita eſt; atque ita redditur ratio ſufficiens phyſica, ſive cauſſa, aut principium exiſtentiæ vo-

litionis. Si porro quæritur, cur a mente intellectiva potius volitio A, quam volitio B poſita ſit, & cur una præ alia; hic iam ratio ſufficiensphyſica non quæritur, ſed moralis, aut finalis, quæquidem generice ſumta neceſſaria eſt, ut mens agere poſſit (quia nihil volitum, niſi cognitum) non, ut actu agat unum præ alio. Sicut igitur in genere naturæ, & cauſſarum phyſicarum nihil eſt ſine ratione ſufficiente, ſic tamen, ut ens quodvis, quod ab alio pendet, rationem, & cauſſam a priori habeat: id vero Ens, quod independens eſt, & a ſe, rationem, & cauſſam a priori non habeat, eo ipſo quia eſt a ſe, & independens; ſic in genere cauſſarum moralium actones mentis intellectivæ, quæ neceſſariæ ſunt, rationem habent a priori: quæ ſunt liberæ, rationem moralem a priori non habent, ſecus liberæ non eſſent, quia talis ratio a priori neceſſario connecteretur cum actione, eiusque libertatem tolleret. Vidit iſtuc Tullius L. de Fato ita differens: *Ad animorum motus voluntarios non eſt requirenda cauſſa: motus enim voluntarius eam naturam in ſe continet, ut ſit in noſtra poteſtate, nobisque pareat: nec id ſine cauſſa; eius enim rei cauſſa ipſa natura eſt.* Quapropter cum negamus, relate ad liberam volitionem motivum quodcunque rationem a priori, & antecedenter ad determinationem mentis dici poſſe, non tam principium, quam principii huius expoſitionem improvide factam a Leibnitianis reſtringimus. Si ratio ſufficiens ea eſt, quacum connectitur rationatum, ita, ut non ſit ratio ſufficiens, niſi connexa ſit cum ratiocinato; nullum motivum liberam determinationem antecedens, & in ſe ſpectatum adpellari poteſt ratio ſufficiens eiusdem determinationis; quia poſito quocunque motivo poteſt non dari rationatum, ſeu volitio libera. Si vero motivum non in ſe tantum ſpectetur, ſed ut coniunctum cum determinatione libera, id per me dicatur ratio ſufficiens; modo admittatur, id ita coniunctum eſſe cum libera determinatione, ut poſito eodem actu primo proximo, poſitis iisdem requiſitis potuiſſet non coniungi; neque quæri poteſt, cur voluntas id motivum cum ſua determinatione potius coniungat, quam non coniungat; ſi enim eius rei daretur ratio a priori, determinatio libera careret omnino ratione ſufficiente poſſibilitatis, ſive eſſentia actionis liberæ.

II.

II. *Si motivum non eſt ratio a priori volitionis, talis volitio erit caſus purus, & abſolutus, uti declinatio atomorum in ſpatio inani Epicuri; id vero abſurdum eſt, & inſtar monſtri.* R. 1. Si motivum eſt ratio a priori volitionis, omnia inſuperabili fato ſubiacent, uti ex primo probationis membro intelligitur, & uberius declarabitur in Theolog. Nat. 2, Volitio cauſſam phyſicam habet, nec ponitur ſine motivo; id ſatis eſt ad caſum excludendum; qui aliud præterea poſtulant, id probent, non pro arbitrio ſumant. Secus dicemus, eos petere principium.

III. *Abſurdum eſt dicere: volo. quia volo; id vero dicendum eſt, ſi motivum non eſt ratio ſufficiens volitionis.* R. Nego, id abſurdum eſſe, ſi recte intelligatur; idem enim exprimitur vulgato dicto, atque in ipſo naturæ ſenſu fundato: ſtat pro ratione voluntas. Volo igitur, quia volo, id eſt, quia electionem boni in poteſtate mea habeo. Si inter ova ſimillima unum præ alio arripiam, vel ad ſignificandam incognitam quantitatem literam x præ y adſumam; quæro, quæ eſt ratio a volitione, & poteſtate mentis diſtincta? dicunt: eſt aliqua ratio, etſi incognita. Sed quid abſurdius, quam velle ob rationem incognitam?

IV. *Dum voluntas ſe determinat ad unum præ alio, reipſa unum præfert alteri: ergo vel habet rationem potiorem, vel caret omni motivo præferendi.* R. d. a. unum præfert alteri exercite, ſive ipſo exercitio, & actu ſuo, dum ad unum attendit, idque arripit, alterum relinquit, vel negligit; c. a: unum præfert ſemper ſignate, ut aiunt, ſive ex prævio iudicio: hoc eſt melius altero, n. a, &c. Attentio ad unum præ alio in liberrima poteſtate mentis eſt, nec ratione potiori eget. Neque ſi deeſt ratio potior, propterea omnis ratio, vel motivum deeſt; Si enim ovum C æque bonum eſt, ac ovum A, non ceſſat eſſe bonum, & ob eam præciſe cauſſam, quod unum ſit æque adpetibile, ac alterum, neutrum ſit minus adpetibile; igitur qui in concurſu plurium æqualium bonorum alterum adprehendit, alterum relinquit, non agit ſine repræſentatione boni, id eſt, ſine motivo. Cæterum hæ voces: *præferre: hoc placet*, non ſemper rationem præponderantem, ſed ſolum dominium mentis ſæpe denotant. Qua-

propter hæc vocula, *placet*, quam nonnulli Leibnitiani definitioni libertatis inferunt, æquivoca eſt; Si enim ea refertur ad actum intellectus unum alio melius eſſe iudicantis; quivis neceſſario, ac ſemper eligeret id, quod melius eſſe iudicat; quod tam falſum eſt, ut nihil magis; ſæpe enim, quod Medea apud Ovidium ait, locum habet: *video meliora, proboque; deteriora ſequor.* Si vero ea vox ad adpetitum, & voluntatem refertur, nihil concluditur pro ratione prævalente, & ſenſus definitionis fit iſte: libertas eſt facultas eligendi, vel volendi id, quod quis vult; id quod etiam in actus voluntatis neceſſarios, & indeliberatos cadit.

V. *Omnem actionem deliberatam antecedit iudicium practicum, quo dictatur, quid in his adiunctis potius agendum ſit, quam non agendum: ergo ratio potior, ſive prævalens in omni actione deliberata præſto eſt.* a. p. ſpectatis omnibus motivis tam impellentibus, quam abſterrentibus dari non poteſt determinatio voluntatis, niſi prius fiat deciſio intellectus, ſive iudicium practicnm ultimum: Ergo. R. d. a. Actionem deliberatam antecedit iudicium practicum tale, quod vel dependet ab actu libero, ſeu imperio voluntatis, vel ſi ſpectatur ut independens a voluntate, non neceſſario connectitur cum ipſa determinatione, ſeu actione voluntatis, c. a. actionem antecedit iudicium practicum, quod nec dependet a voluntate, & per ſe ſemper connectitur cum determinatione voluntatis, n. a. &c. Duo adnotanda ſunt hoc loco; 1. *iudicium practicum ultimum, quo iudicamus: hoc faciendum eſt in his adiunctis, ſæpe pendet ab imperio voluntatis,* uti ſi electio ſit inter bona æqualia, vel media æque apta ad finem. Sint enim plures calami in promtu, æque apti ad ſcribendum; ſiquod iudicium practicum datur hoc caſu, id in poteſtate mentis eſt, & ab imperio voluntatis pendet. Dein cum deliberamus de re graviore, vel adpetituum pugnam experimur, minime evidentia ſunt talia iudicia, vel intimationes practicæ: *hoc in iſtis circumſtantiis melius eſt, ut agam, vel omittam;* ſecus hæſitatio, deliberatio & reciprocatio motivorum abſterrentium, & impellentium locum non haberet; Cum igitur in iudiciis, quorum veritas non evidenter proponitur intellectui, eius adſenſus ab imperio voluntatis pendeat (§. XVIII) ſequitur manifeſte, ut hæc potius iudicia ultima a voluntate, quam

volun-

voluntas ab iis iudiciis pendeat. 2. *Si iudicium practi- cum ſpectatur ut independens a voluntate, id cum determi- natione, vel actione voluntatis nunquam neceſſario conne- ctitur;* quia poſito quocunque motivo, vel iudicio, atten- tionem avertere, vel ad motiva abſterrentia transferre poſſumus. Sed dices: *Si iudicium practicum cum determi- natione voluntatis non connectitur, nequit ultimum adpella- ri; quia ultimum eſt propterea, quia eo poſito ſequitur determinatio voluntatis: atqui ſermo eſt de iudicio practico ultimo:* ergo quodvis tale iudicium practicum cum de- terminatione voluntatis connectitur. R. d. M. non po- teſt ultimum appellari, ſi præciſe in ſe ſpectetur, c. M. non poteſt ultimum adpellari ex hypotheſi, quod voluntas eo poſito ſe determinet, efficiatque, ut ſit ul- timum, n M. & ſic d. *m*. n. c. Facta deliberatione mens noſtra pro poteſtate denique attentionem in uno motivo figit, idque adprehendit quodam modo, & cum ſua determinatione iungit neglectis motivis aliis.

VI. *Siquod tale iudicium ſit: hoc melius eſt: iſtue po- tius, quam aliud fieri oportet hoc tempore; voluntas non po- teſt non ſe determinare: Ergo neceſſario connectitur cum determinatione voluntatis.* R. n. a. Etiam id, quod melius adparet, bonum finitum eſt, nec totam attentionem mentis in ſe trahit; poteſt igitur mens determinationem ſuſpendere, imo etiam aliud eligere. Sed, inquiunt, minus bonum in comparatione maioris eſt malum; malum eligi non poteſt. R. d. M. minus bonum eſt malum, hoc eſt, defectum aliquem continet, &, quatenus conſequu- tionem maioris boni impedit, eſt malum comparative c. M. eſt abſolute malum, nullamque habet rationem boni, ob quam adpeti poſſit, atque eligi, n. M. Defectus bo- nitatis, qui eſt in minore bono, omnem rationem boni minime obſcurat, vel extinguit. Sicui pauperi unicum dem nummum, alteri binos; nihilne bene facio priori? aut num male omnino facio? urgent: *Nulla excogitari poteſt ra- tio ſufficiens præferendi minus bonum in concurſu maioris.* R. d. a. nulla eſt ratio ſufficiens externa, ſive in obiecto ſic re- præſentato, c. a. ipſa voluntas non habet ſufficiens mo- tivum eligendi minus bonum, n. a. &c. Voluntas, ſi minus eligit, id præfert non explicite intendendo præ- lationem, nec iudicando minus bonum eſſe maius, vel melius maiore, ſed illud volendo, & adprehendendo, al-

terum omittendo. Poteſt autem minus eligere *primo*, quia maius bonum pariter defectum habet, cum infinitum non ſit, nec totam mentis attentionem per ſe attrahat; *ſecundo* quia etiam minus bonum eſt abſolute bonum, & adpetibile. Hinc etſi inclinatio, vel propenſio in id, quod melius adparet, & maiorem voluptatem ciet, non ſit libera, præſertim quamdiu attentio in eo figitur; tamen & attentio averti ab eodem poteſt, idque non eligi.

VII. *Voluntas ad agendum, vel non agendum, indifferens eſt; ergo determinari debet a principio quodam: atqui nullo alio principio determinari poſſe intelligitur, niſi a motivo fortiore, ſeu ratione prævalente; ab hac igitur determinatur.* R. d. a. voluntas eſt indifferens active, ita, ut vi agendi, ſeſeque determinandi polleat, poſſitque ipſa omnem indifferentiam, ſive ſuſpenſionem determinationis tollere. c. a. Eſt indifferens paſſive, & inerter corporum inertium more, n. a, &c. Nota, triplicis generis indifferentiam diſtingui oportere. 1. Alia eſt *indifferentia activa*, quando aliquid ſe ipſum determinare, ſtatumque mutare propria determinatione poteſt. Hæc competit menti noſtræ, ut evidens eſt ſenſu intimo; *ſentit animus ſe moveri*, inquit Tullius QQ. Tuſc. L. I., *quod cum ſentit, illud una ſentit, ſe vi ſua, non aliena moveri.* Huic indifferentiæ opponitur *paſſiva*, vi cuius quidpiam impotens eſt, ac ex ſe inhabile mutando ſtatui; uti corpora inertia, ſi in quiete ſunt, nec motum propria determinatione inchoare, nec, ſi aliunde ad motum determinata ſint, eum abrumpere poſſunt. 2. Alia eſt in mente noſtra *indifferentia æquilibrii*, ſi ea, cum deliberat, in neutram partem magis inclinatur, vel maiore adpetitu incitatur. Huic opponitur *ſtatus præpondii*, ſi mens noſtra in unam magis, quam alteram propendet partem. Nihilominus hoc etiam caſu indifferentia electionis manet, ſeu poteſtas eligendi tum id, quod magis adpetit, tum quod minus adpetit. 3. Alia denique eſt *indifferentia poſitiva, & in actu primo*, quæ in ipſo actu primo proximo completo ſita eſt, ſive in potentia proxime expedita ſe determinandi, vel non determinandi. Huic oppoſita eſt *indifferentia negative ſumta, & in actu ſecundo*, quæ eſt negatio determinationis a mente faciendæ. Hæc indifferentia per ipſam de-

terminationem mentis, ſive per ipſum actum ſecundum tollitur manente indifferentia poſitiva; neque enim actus potentiam agendi, nec determinatio poteſtatem ſe determinandi tollit. Ex his quidem non paucæ æquivocationes ſolvuntur; quare illud etiam ad hunc locum pertinet, alium eſſe *ſtatum indifferentiæ*, in quo mens nec voluptate, nec moleſtia adficitur, & in obiecto nec boni, nec mali rationem cognoſcit; aliam *libertatem indifferentiæ*, & indifferentiam actus primi proximi completi, quæ in eo ſita eſt, ut nulla ſit neceſſaria connexio inter actum primum proximum completum, & actum ſecundum, poſſitque in iisdem adiunctis, ſive poſito eodem actu primo proximo mens ſe determinare ad agendum, vel non determinare; atque hæc indifferentia actus primi proximi tum in ſtatu æquilibrii, tum in ſtatu præpondii datur, non tamen in ſtatu indifferentiæ, in quo mens, cum rationem boni, vel mali non percipiat, omnia ad agendum requiſita minime habet.

VIII. *Si propoſita bona ſunt æqualia, mens in æquilibrio eſt, & perinde ſe habet, ac ante omnem boni repræſentationem: ergo ſe determinare ſine motivo præponderante non poteſt.* R. n. a. Ante omnem repræſentationem boni mens eſt in ſtatu indifferentiæ, quo vel bonitatem rei non percipit, vel non ad ſe refert; ut ignoret, bona ſibi, an mala ea res ſit. Differt igitur hic ſtatus a ſtatu æquilibrii, quia in hoc, non item illo actum primum proximum habet.

IX. *In libra nulla ſit inclinatio, nullus motus, niſi ex alterutra parte ſit pondus maius: ergo inclinatio quoque, & determinatio animi non niſi motivo validiore, ſeu præponderante fit; quia, ut Tullius ait QQ. Acad. L. 4. Neceſſe eſt, ut lancem in libra ponderibus impoſitis, ſic animum perſpicuis cedere.* R. c. a. n. c. Voluntas ex ſe actuoſa eſt, neque motivis, uti libra plumbeis ponderibus trahi debet. Si volitiones, ac nolitiones ſic determinantur in anima a motivis, uti a ponderibus inclinationes in libra, utrobique dabitur par agendi neceſſitas. Tullius loc. cit. addit: *Nam quomodo non poteſt animal ullum non adpetere id, quod adcommodatum ad naturam adparet (Græci id οἰκεῖον adpel-*

*pellant*) *ſic non poteſt oblatam rem perſpicuam non adprobare.* Ex quibus verbis patet 1. Intellectus perſpicuis rebus neceſſario adſentitur; in iis vero, quæ incerta ſunt, Tullius cohibendam eſſe adſenſionem non uno loco præcipit. 2. quodvis animal id, quod bonum, atque ad naturam adcommodatum eſt, neceſſario, & vi naturæ adpetit. At enim, ſi adpetitio, ſeu inclinatio ad bonum non eſt in poteſtate noſtra, certe electio, ac determinatio a ſolo arbitrio pendet. Quid igitur bilance ſua efficiunt Wolfiani? non maiorem adpetitui ſuperiori, ac menti intellectivæ libertatem competere, quam inferiori adpetitui, aut beſtiis, nec maiorem libertatem voluntati, quam intellectui? quod perabſurdum eſt. Quis enim ignorat, intellectum per ſe potentiam eſſe neceſſariam, & neceſſario adſentiri veritati evidenter propoſitæ, cum ea ſit bonum purum, nullaque falſitate mixtum. At bonum, uti eſt voluntatis obiectum, cum ratione quadam mali eſt mixtum, uti quodvis finitum bonum; aut certe quidem, ſi infinitum eſt, non clare cognoſcitur a nobis in hoc mortali ſtatu. Cæterum bilancis paritate etiam Janſeniani utuntur. Sic enim aiunt: bonum agitur ab homine impulſu delectationis cæleſtis prævalentis, malum impulſu delectations terrenæ prævalentis: illam delectationem vocant gratiam, hanc vero concupiſcentiam; ut adeo, ſicut pondus gravius in bilance unam deprimit lancem; ſic delectatio maior, ſeu quæ plures habet movendi gradus, voluntatem inevitabiliter in his adiunctis determinet; quæ eſt damnata ab omnibus Orthodoxis opinio.

*Satis de libertate dictum eſt, ſed pro rei dignitate parum. At enim non verborum farragine res conficitur. Si, quæ diſſeruimus, recte comprehenſa ſint, haud ægre quivis genuinam libertatis notionem animo informabit, ac principia colliget, ex quibus, quid pugnet cum libertate, quid conciliari cum illa poſſit, adcurate diiudicet. Ac notio libertatis in eo ſita eſt, ut habeatur potentia poſitis omnibus requiſitis, atque in his adiunctis agendi utrumlibet oppoſitorum, ſive poteſtas ſe determinandi ad utrumlibet oppoſitorum, non in ſenſu compoſito, ut aiunt, ſive ut oppoſita eodem tempore poſſit coniungere, ſed in ſenſu diviſo. Qui libertatem adpellant poteſtatem faciendi, quod*

*quis*

*quis vult, & non vult; ambigua utuntur oratione, aut pravè ſentiunt; quæritur enim, an in poteſtate mentis ſit, in his ipſis circumſtantiis, poſita hac repræſentatione boni, vel mali, velle, aut non velle? ſi negant, nulla eſt, quam in ore habent, libertas; nam & qui motibus neceſſariis agitur, facit, quod vult. Libertati a neceſſitate repugnat* 1. *Omne id, quod cum uno extremo libertatis infallibiliter connectitur, & a voluntate creata impediri non poteſt. Hoc enim caſu voluntas determinata eſt ad unum, nec potentiam completam habet ad utrumlibet oppoſitorum.* 2. *Quidquid coniungi non poteſt cum potentia proxima omittendi actum, actum facit neceſſarium: & quidquid coniungi non poteſt cum potentia proxima ponendi actum, omiſſionem facit neceſſariam.* 3. *Quidquid in omni exercitio libertatis neceſſario datur, inimpedibile eſt vel inevitabile, & ſimul eſſentialiter connexum cum uno extremo libertatis; id libertatem perimit, quia inducit determinationem ad unum.* 4. *Libertati, de qua loquimur, non ſolum obeſt coactio, aut vis extrinſeca, ſed quævis neceſſitas intrinſeca, & antecedens, ſive determinatio ad unum, liberam voluntatis determinationem, vel electionem antecedens, & ab illa independens; ac quidquid aliam inducit neceſſitatem, quam mere conſequentem, ſive determinationem ad unum ortam ex libera voluntatis determinatione, ſive ex hypotheſi liberæ huius determinationis, id libertati a neceſſitate officit. Ex hisce principiis, quorum certitudo, atque evidentia ex ſuperiore diſputatione liquet, haud difficile erit Theologis ſuas concluſionis deducere, cum de concilianda Dei gratia cum hominis libertate diſſerunt.*

## §. XXVIII.

Supereſt quæſtio, quæ quidem ad loquendi modum potius, quam controverſiæ caput pertinet? *an voluntas, adpetitus rationalis, libertas pro iisdem potentiis habendæ ſint?* Sic enim aiunt: Adpetitus generatim eſt potentia neceſſaria: voluntas eſt libera: igitur hæ potentiæ differunt. Alii adpetitum rationalem, & voluntatem pro potentia neceſſaria habent, & ab utraque ſegregant libertatem, ſeu facultatem arbitram, & ſui determinatricem. R. Hæ potentiæ, utcunque ratione, ac conceptibus diſtinguantur, realiter eædem ſunt, nec a ſimplici natura mentis reipſa differunt; ac fortaſſis hæc po-

tentiarum diſtinctio plus obſcuritatis, quam lucis præſenti tractationi offundit. Libertas a voluntate, & adpetitu rationali eatenus diſtingui poteſt, quatenus non omne, quod adpetimus, ac ſumma etiam propenſione voluntatis amplectimur, id ſemper libere, ſive ita adpetimus, ut in iisdem adiunctis potentia proxima maneat id non adpetendi, & non amplectendi, uti patet in actibus adpetitus indeliberatis & in amore beatarum mentium erga bonum infinitum, quod clare intuentur; Num continuo alia eſt voluntas, alius adpetitus? haud ſane; quia eadem potentia non eodem ſemper modo ſua obiecta attingit; nec quævis operationum diverſitas ad multiplicandas potentias ſufficit, niſi eas indefinite multiplicare velimus. Mens noſtra vult, & adpetit verum diſpari modo; aliquando enim volitiones, & adpetitiones in poteſtate habet, quatenus in iisdem adiunctis, manente eodem actu primo proximo poſſet non velle, & non adpetere: aliquando easdem non habet in poteſtate. Non eſt hæc ſubtilitas hodie primum agitata; recidit enim in notam VV. Theologorum quæſtionem: an libertas ſit actui intrinſeca, vel extrinſeca, ſive an idem quoad ſpeciem actus procedere poſſit a potentia libera, & neceſſaria; adſirmare videtur S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 3. docens, eandem eſſe caritatem & in via, & in patria; atqui illa libera eſt, hæc neceſſaria. Siquis fuſius eam quæſtionem diſcuſſam velit, adeat P. Ant. Mayr Theol. Schol. Tract. IV. D. I. Q. II. Art. IV. Dicunt: *cum quis voluptatem ſenſuum vult, & elegit refragante ratione, voluntas contraria eſt adpetitui rationali: igitur non eadem potentia eſt voluntas, & adpetitus rationalis.* R. 1. Non raro in eodem rationali adpetitu exiſtit pugna, uti cum quis in re gravi & incerta, vi rationis conſilium capit, & oppoſita motiva identidem recurrunt, ac vim quandam in mentem exerunt, atque ad oppoſitum inclinant; num adpetitus rationalis propterea multiplex eſt? 2. Æquivocatio hic ſubeſt: voluntas dicitur adpetitus rationalis, quatenus adpetitus cum uſu rationis coniunctus eſt: & adpetitum rationalem dicitur ſequi, ſi non modo cum uſu rationis, ſed ex dictamine ſanæ rationis operatur. Eſt igitur alia adpetitio neceſſaria, ſeu volitio inefficax, aut velleitas, ut aiunt, quatenus motiva, ſeu ſtimuli ſive bonitas

tas rei cognita voluntatem urget, ſtimulat, inclinat, & vi quadam adficit; alia adpetitio libera, volitio efficax, ſeu libera determinatio, quatenus mens cogitationem ſuam ad rem propoſitam ita adiicit, ut in iisdem adiunctis poſſit non adiicere, non quod ſola attentio ad unam potius, quam aliam partem ſit volitio efficax, vel libera determinatio, ſed quod volitio neceſſaria aliquem cogitationis modum contineat; neque enim concipi poteſt, me velle ſcribere, ſi nulla in me ſcriptionis cogitatio exiſtit. Atque hanc cauſſam fuiſſe reor, cur plures Philoſophi vi cogitandi etiam facultatem adpetendi, & volendi comprehenderint. Si operationem libertatis noſtra ſymbolice, id eſt ope vocabulorum, quæ tacite cogitamus, exprimimus, dicere ſolemus: volo, nolo, quæque ſunt, generis iſtius. Ut libertas a voluntate, ceu peculiaris potentia diſtinguatur, nulla ſufficiens ratio ſuadet. Opinione quidem mea non modo opera danda eſt, ut genuinam notionem, ac vim libertatis ab antiquiſſimis quibusque Philoſophis, & Theologis diligenter explicatam non evertamus, ſed ut in re difficili, & ſcopuloſa a receptis, uſitatisque loquendi formulis ne recedamus. Novæ interpretationes vocum fere novas tricas gignunt.

# CAPUT V.

## *De Simplicitate, & Spiritualitate Humanæ Mentis.*

*Si quæritur, utrum corporea ſit mens humana, an incorporea; utrum ſit, vel eſſe poſſit materia, an ad ſpirituum caſſem pertineat; nihil æque neceſſarium eſt, quam ut ad ideas noſtras, quas de hisce ſubſtantiis, de corpore & de mente, de materia, vel ente materiali & de ſpiritu habemus, adcurate attendamus, ne graviſſima, ſummique momenti controverſia ad inanes de vocabulis lites devolvatur.*

## §. XXIX.

*Corpus* eſt ens compoſitum ex partibus, cuius mutationes fiunt per motum, & vim motricem; Idea igitur, quam vox iſta: *corpus*: denotat, exhibet primo *compoſitionem*, *vel adgregationem partium*, & qualitates, vel proprietates, quas vocant *relativas*, ab hac compoſitione pendentes, ut ſunt diviſibilitas, durities, mollities, cohærentia, fluiditas &c. ſecundo *motum*, *& vim motri-*

*motricem*, ac proprietates, quas adpellant *abſolutas*, quæ non a compoſitione partium oriuntur, ſed ipſis partibus vel elementis in ſe ſpectatis competunt, ceu mobilitas, inertia, vi cuius corpora, & elementa corporum ſtatum ſuum conſervant, eumque ex propria determinatione mutare nequeunt, ita ut nec inchoent motum ſine extrinſeca determinatione, nec abrumpant, ſi extrinſecus ad motum iam determinata ſint: hiſce propretatibus abſolutis addi per me poſſunt vires, quas attrahentes, & repellentes dicimus. Omnes igitur corporum proprietates, adfectiones, mutationes, vel operationes, ſi relativæ ſunt, pendent a compoſitione partium: ſi abſolutæ, a motu, & vi motrice; idque ex Phyſica pro indubitato ſumendum eſt.

## §. XXX.

Propoſitio I. *Mens humana non eſt corporea, nec ullo modo compoſita.* Prob. Corpus eſſentialiter includit compoſitionem partium realium, & poſſibilitatem efficiendi, vel recipiendi mutationes ope motus: mens humana eſſentialiter excludit compoſitionem partium realium, & poſſibilitatem efficiendi operationes ſuas ope motus: ergo. Duo igitur de humana mente demonſtranda ſunt:

I. *Mens humana eſſentialiter excludit compoſitionem.* 1. Illud, quod in nobis cogitat, & adpetit, ſive potius, quod ipſi nos ſumus, quodque exprimit vocula *Ego*, eſt una, & individua natura; nam teſte ſenſu intimo eadem natura & ſe percipit, & res alias; quæ ſentit, *eadem* imaginatur, meminit, attendit; *eadem* notiones abſtrahit, componit, comparat; *eadem* iudicat, ratiocinatur, adpetit, averſatur, moleſtia, aut voluptate adficitur. Hæc omnia in eadem & ipſiſſima, ac ſimpliciſſima natura inſunt, quam denotat vox *ego*. Abſolute repugnat, ut ego harum operationum mihi conſcius ſim, niſi in *eodem* omnes ſubiecto ineſſent, nec comparare, abſtrahere, componere binas ideas poſſum, niſi utraque mihi *eodem* tempore præſens ſit. Atque id cogitans, *ego*, perdurat, & cogitat ſat longo iam tempore, & characterem individuationis ſervat, dum corpus meum identidem mutatur; ac ſiqua iſtius pars interit, ſi caro exſcinditur, ſi oſſicula confracta eximuntur,

tur, nullam propterea *ego*, ſive mens mea ſui partem amittit; & quamvis ea in cogitandi uſu, vel in voluptatis aut moleſtiæ perceptione a corporis ſtatu pendeat; tamen creſcente, vel deficiente corpore minime ſe quoque creſcere animadvertit, vel deficere. Si in diverſis corporis partibus, in pede, & capite, in dextra manu, & ſiniſtra eiusmodi mutationes fiunt, ex quibus dolor exiſtit, non aliud eſt, quod pedum dolorem, aliud, quod capitis, nec aliud, quod ſiniſtræ, aliud, quod dextræ manus mutationem ſentit; ſed idem atque unicum cogitans diverſarum perceptionum ſibi conſcium eſt. Ex his etiam illud denuo intelligitur, mentem eſſe ſubſtantiam, quia eſt ſubiectum perdurans, quod alias conſtantes habet notas, alias variabiles habere poteſt, quodque vel maxime agit attendendo, comparando ideas, nexum, & relationem earum inveſtigando.

2. Ponatur id cogitans: *ego*, eſſe compoſitum; inprimis ſi in ſingulis partibus huius entis compoſiti nulla penitus ineſt vis, & facultas cogitandi, vel adpetendi, etiam in toto compoſito nulla inerit; ſola enim partium compoſitio non niſi modus, vel accidens eſt, quod in relatione poſitionis, & diſtantiæ partium inter ſe unitarum conſiſtit: ergo ſola partium compoſitio non eſt ſubſtantia cogitans, nec ſubiectum perdurans vi activa præditum. Conſequenter, ſi illud cogitans: *ego*, eſt compoſitum, neceſſario in ipſis partibus huius entis compoſiti aliqua vis cogitandi ineſt: porro vel iſta vis, & facultas cogitandi, atque adpetendi in unica, & individua parte ponitur ineſſe, vel in pluribus, ſive ſingulis? ſi primum? eadem unica, & individua pars erit principium operationum, ac totum id, quod animam, vel mentem nuncupamus; nam quidquid non cogitat, anima non eſt; quod definitione nominali ſumitur. Si vero aliqua cogitandi vis non in unica tantum parte, ſed in ſingulis ineſt, ea vel in ſingulis partibus eſt completa, vel incompleta? ſi completa? ſingulæ partes totidem animæ ſunt, cum vi completa, omnibusque facultatibus polleant; atqui mens mea eſt unica, atque ego unicum me eſſe evidentiſſime intelligo vi ſenſus intimi. Nec vero fingi poteſt, in ſingulis partibus ineſſe vim incompletam; nam idem principium cogitans, quod ſentit, etiam imaginatur; quod imaginatur, idem iudi-

iudicat, ratiocinatur, adpetit, delectatur, dolet &c. Ergo in *eodem* principio cogitante vis completa cogitandi ineſt, nec eæ facultates per alias, atque alias partes diviſæ, & diſtributæ ſunt, ſed inſunt in eadem, & individua natura, uti ex n. 1. patet manifeſte, quæ proin aut vim completam, aut nullam habet. Neque dicas, in ſingulis partibus eo ſenſu ineſſe vim incompletam, quod ſingulæ partes animæ ſingulas easque diverſas obiecti partes repræſentent, omnes ſimul, vel tota anima totum obiectum; nam *primo* mens noſtra ſæpe res ſimplices, omnisque compoſitionis expertes ſibi repræſentat, ceu honeſtatem, veritatem &c. *Secundo*, Si perceptiones partium rei ineſſent in diverſis partibus animæ, ex iis non fieret una perceptio, & una idea, nec obiectum cognoſceretur inſtar unius; quia ſimplex idea unitatis poſtulat, ut idem ipſum, atque unicum principium cogitandi ſingulas partes, ex quibus ſit unum, attingat. Præterea reflexione, ſive ſenſu intimo evidens eſt, illud ipſum principium cogitans, quod unam partem repræſentat, etiam repræſentare partem alteram rei; hinc dici nequit, in ſingulis ineſſe vim incompletam ita, ut ſingulæ partes animæ cognoſcant ſingulas partes obiecti, tota anima totum obiectum. *Tertio.* Si una pars animæ unam obiecti partem, alia aliam percipit, nulla partium comparatio ſecundum ſitum, magnitudinem, proportionem, vel quamcunque relationem habet locum; quemadmodum ſi labor horologii conficiendi inter plures artifices dividatur, & alius rotam A, alius rotam B, tertius anchoram &c. ita conficere cogatur, ut de aliorum labore, opereque faciendo nil quidpiam cogitet, vel ſibi repræſentet; nullus eorum intelligere poſſit, partem, quam conficit, proportionatam eſſe aliis partibus, vel toti.

*Attendenti ad cogitationes ſuas perſpicuum eſt, id, quod cogitat, eſſe ſimplex, & unicum in quovis individuo. Etſi igitur operationes mentis, nempe ſenſatio, & abſtractio, dein imaginatio, & ratiocinatio &c. admodum differant; nulla tamen diſtinctio realis principiorum inde confici poteſt, quia ſenſu intimo unusquisque convincitur, omnes operationes, & facultates in eodem ineſſe principio, idque, cui inſunt, eſſe unum, & ſingulare in ſingulis. Quapropter diſtinctio facultatum mentis non niſi*

*for-*

*formalis eſt, ſive rationis ratiocinatæ, quæ fit cum fundamento in re, quatenus diverſitas operationum facit, ut diverſas facultates iisdem reſpondere concipiamus. Reflexione igitur maxime nituntur argumenta, quæ adtulimus, & deinceps adferemus.*

## §. XXXI.

II. *Evidenter repugnat, ut cogitatio ſit motus.* Nam 1. Cogitamus ſæpe de rebus, quæ nullo modo compoſitæ ſunt, nec ullum efficere motum poſſunt, de veritatum nexu, de honeſtate, ſapientia, de iis, quæ deſierunt eſſe, quæ longiſſimo intervallo, ac toto cælo diſtant a nobis, quæ ne extant nunc quidem: ipſas res ſenſibiles ſecundum rationes a materia maxime abſtractas attingimus ſub ratione entis, poſſibilis, contingentis, cauſſæ, effectus. Nec tantum cognoſcimus, ſed etiam adpetimus, vel averſamur, timemus, ſperamus res tales, quæ efficiendo motui incapaces ſunt. 2. Si id, quod cogitat, compoſitum eſt, cogitatio vero motus: in parte A e. g. quæ reſpondet nervo optico, inerit idea, & motus coloris, quem in flore conſpicis; in alia parte B, quæ reſpondet nervo olfactorio, inerit idea, & motus odoris, neque pars A odoris, neque pars B coloris ſibi conſcia erit; fieri igitur non poteſt, ut hæ binæ ideæ inter ſe comparari, & diſcerni poſſint; nam ut quis cogitet: unum non eſt alterum, neceſſe eſt, ut ſibi & unum, & alterum repræſentet. Fac ſcenæ intereſſe binos homines, alterum cæcum, alterum ſurdum; & ſciſcitare ex utroque, utrum theatri, & veſtium adparatus, an harmonia muſica magis placuerit, aut præferri debeat; certe neuter comparationem facere poterit, cum neuter utramque ideam penes ſe habeat. Teſte conſcientia intima diſcernimus ideas differentes; igitur hæ inſunt in eodem principio cogitante, quia ego idem, qui verba loquentis audio, lineamenta vultus eius intueor; id fieri abſolute haud poſſet, ſi ſenſatio nihil eſt, niſi motio in diverſis cerebri partibus exorta. 3. In quovis iudicio præter binas ideas ſubiecti, & prædicati alia adeſt diſtincta mentis perceptio de convenientia, vel repugnantia idearum, quia aliud eſt, rem A, & rem B ſimul percipere, & aliud, earum habitudinem cognoſcere; Si ergo in una parte ineſt

idea

idea, vel motio una, in alia vero idea, & motio alia, nulla per hoc perceptio habitudinis idearum habetur, quæ quidem perceptio ideam ſubiecti, & prædicati eodem tempore reſpicit, vel potius continet. Si ideæ ſunt motus, ideæ pugnantes erunt motus oppoſiti, qui ſe extinguunt: & ideæ diverſæ, quæ relationem quandam, & convenientiam habent, erunt motus diverſi ſimul concurrentes, qui in unum combinantur: atqui peracto iudicio non tolluntur priores ideæ. In ratiociniis præſertim concatenatis, ut nexus perſpiciatur, neceſſe eſt, in eadem natura cogitante, non in diverſis eius partibus & ideas, & iudicia, & perſpicientiam nexus, ac conſequutionis ineſſe, ob quam cauſſam, ſiqua in demonſtrando lacuna relinquitur, cogitationum ſeries abrumpitur. Hæc vero cum motibus tam diverſis, quorum unus non poteſt alium diverſum continere, penitus pugnant.

*Similiter de quovis cogitandi modo, de adpetitione, de voluptate, ac moleſtia differendum eſt: ipſa reflexio, qua ad mentis actiones attendimus, ingens diſcrimen inter Cogitationem, ac motum maxime patefacit, ut, niſi quis verbis abuti, & contra ideas ſuas loqui velit, neceſſario fateatur, ea toto inter ſe genere differre. Nulla igitur compoſitio, nulla concretio, nulla mutatio, quæ ſolo motu fit, in mente, eiusque operationibus concipi poteſt. Non eſt igitur ullo modo compoſita, non eſt materiata, ſive ex materia coagmentata, ſed penitus ſimplex mens noſtra, cuius operationes ſolo motu fieri abſolute nequeant.*

## §. XXXII.

Propoſitio II. *Mens humana non eſt materia.* Idea corporis includit compoſitionem partium realium, de qua ſupra dictum eſt: non item idea materiæ; ſimplicia elementa corporum materia ſunt; corpora non ſunt. Quæ eſt igitur materiæ idea? R. eſt ſubſtantia: pollet vi inertiæ, vi cuius ſtatum ſuum mutare nequit, & fortaſſis vi motrice, qua in aliam materiam mutuo agere poteſt. Cogitationis veſtigium in natura corporum, eorumve elementis nullum penitus reperitur, nec id fingi poteſt ulla veriſimili ratione. At mens humana minime iners, ſed maxime actuoſa eſt: cogitationes ſuas, attentionemque

que huc illuc transfert, poteſtate libera gaudet ſeſe determinandi: actiones ſuas pro arbitrio abrumpit, emendat, retractat, nec duntaxat motus recipiendi, vel efficiendi potentia, ſed præſtantiſſimis facultatibus contemplandi, ratiocinandi, inveniendi veri, & beatitatis, ac voluptatis percipiendæ &c. inſtructa eſt. Siquod corpus labitur, motum vi ſua non ſiſtit, nec fluvius ad caput fontis ſponte revertitur: nec, ſi globus ita dirigitur, ut a meta aberret, ipſe viam mutat: nec ulla machina errores ſuos corrigit. Contraria omnia fiunt in mente; ut adeo plumbei ſint in phyſicis, ſive in cognitione naturalium rerum, quemadmodum Tullius ait, qui mentem nihil ab elementis corporum, ſive a materia differre putant.

## §. XXXIII.

Propoſitio III. *Mens humana ſpiritualis eſt, ſive ad claſſem ſpirituum vero ac proprio ſenſu pertinet.* Non quamcunque ſubſtantiam cogitantem adpello *ſpiritum*, ſed quæ intellectu, & voluntate pollet, ſive operationes habet a ſenſibus, & phantaſia per ſe independentes, ut adeo ſpiritualitas mentem noſtram non modo a materia, ſed etiam a beſtiis, quarum omnis cognitio, & adpetitio ab organis, rebusque ſenſibilibus pendet, longiſſime ſegreget. Prob. Mens noſtra in hoc etiam ſtatu, quo corpus, & impreſſiones extranearum rerum magnopere officiunt perfectiori operandi modo, tamen plurimas actiones habet penitus independentes ab adminiculo corporis, & ſenſuum; nam intelligendo, ratiocinando, imo vel adpetendo quoque extra ſphæram ſenſibilium rerum longe egreditur, resque ab omni materia abſtractas, earumque eſſentias, ordines, perfectiones, nexus, relationes, dein veritatem, honeſtatem, virtutem contemplatur, rebus æternis, ac cæleſtibus inhiat, ſenſuum illecebras æque, ac moleſtias, & acerbiſſimos cruciatus contemnit; in Deo, eiusque infinita perfectione attentionem, amoremque figit, & beatitatem a ſenſibus remotiſſimam adpetit, & quærit. Inter hasce operationes, & organa corporis nulla eſt connexio, quæ quidem in natura harum operationum, vel ipſius mentis fundatur. Nihil ſenſus conferunt, ut quis ſenſuum voluptates adſpernetur, vel

X mole-

moleſtias quærat virtutis cauſſa: nihil phantaſia, ut quis eius ludibria, & blandimenta reprimat, & extinguat, nihil ulla res ſenſibilis, ut quis omnia, quæ ſub ſenſus cadunt, oblivifci velit, & penitus faſtidiat: nihil totum corpus, ut quis eius deſtructionem etiam deſideret, & diſſolvi cupiat. Hæ quidem operationes tanto intervallo non modo a corporibus, & materia, ſed a beſtiis mentem humanam removent, ut eam cum ſummo etiam & infinito ſpiritu coniungant; neque ſi ea rebus ſenſibilibus adhæreſcat ſæpenumero, propterea potentiam perfectius operandi, & naturam ſuam exuit. Satis igitur, quod propoſitum erat hoc loco, demonſtratum arbitror.

*Spiritualitas mentis ex iis elucet maxime, quæ de dominio mentis in ſenſus, phantaſiam, ſuasque facultates, actiones, ac habitus dicta ſunt. In hanc ſententiam elegans extat Athanaſii Epiſc. Alexandrini locus oratione contra gentes: „ Qua ratione illud fit, ut oculus ſecundum „ naturam conditus ad videndum, aurisque item ad audien- „ dum, alia averſentur, alia deligant? quis oculum a vi- „ dendo retorquet? aut quis aurem, cuius officium natura- „ le eſt audire, ab audiendo ſecludit? quis guſtum, cui ex „ natura ſua eſt, ut ſapores delibet, ſæpe refrænat a natu- „ rali impetu? quis manum natam ad id, ut agat, re- „ trahit a tactu? quis item olfactum, & ipſum quoque ge- „ nitum ad odorandum avertit ab odoribus percipiendis? „ quis ab iſtis, quæ ſunt naturalium functionum, deterret? „ aut quomodo fit, ut corpus exhorreat, quod naturæ ſuæ „ eſt, convertaturque ad alterius conſilia, & ad illius nu- „ tum aurigetur? Hæc enimvero nihil aliud, niſi animam „ eſſe rationalem declarant, imperantem corpori. „*

## §. XXXIV.

### Solvuntur Obiectiones.

I. *Etſi cogitatio non ſit motus; tamen dici poteſt, eam eſſe motus adjectionem, modum, vel effectum, eſſe qualitatem corporis, temperationem naturæ, organizationem, actionem, vel reactionem ſubtiliſſimarum fibrillarum cordis, vel cerebri.* R. Poſteaquam demonſtratum eſt, mentem minime compoſitam, ſed penitus ſimplicem eſſe, ac cogitationem a motu toto genere differre, iſtiusmodi figmenta

ta per ſeſe ruunt. Qualitas, vel modificatio entis compoſiti, ceu figura, organizatio, ſubtilitas & agitatio partium &c. in nulla parte ſimplice componente tota ineſt, ſed in omnibus ſimul, & per omnes quodammodo diviſa eſt: quapropter involvit compoſitionem, & poſſibilitatem ſubeundi mutationes ope motus: hæc vero mens excludit. Hinc colliges 1. Utcunque ſubtiles, & minutas, & agitatas particulas fingas, in quibus mens, vel cogitatio conſiſtere debeat; tamen totum id eſt aliquid compoſitum, cuius mutationes ſolo motu contingunt; quod menti, & cogitationi repugnat. 2. Similiter organizatio in ſola partium ſubtilitate, ſitu, figura, nexu, & aptitudine ad recipiendum motum ſita eſt; dein temperatio naturæ, ſiqua intelligitur natura a corpore reipſa diſtincta, erit temperatio, vel adfectio, vel operatio animæ, ſed quæ expers eſt omnis concretionis corporeæ, & compoſitionis. Si vero temperatio naturæ corporis adfectionem denotat, ea eſt modificatio entis compoſiti, quæ compoſitionem includit eſſentialiter. 3. Actio, vel reactio nihil eſt niſi motus, vel conatus ad motum: nihil horum eſt cogitatio, vel adpetitio, vel quæcunque actio immanens animæ, quam ipſa in ſeſe recipit, & continet; cum enim motus ſit aliquid toto genere differens a cogitatione; conatus ad motum erit conatus ad aliquid toto genere differens a cogitatione; quod iſtiusmodi eſt, certe non eſt cogitatio. Præterea terminus, & effectus reactionis non eſt in eo, quod reagit, ſed in incurrente, cui per actionem reſiſtitur; Si ergo cogitatio in reactione ſita eſt, eius effectus non eſt in anima, ſed in iis partibus corporis, in quas ſit reactio: manifeſte autem repugnat, ut cogitatio ſit in ſubiecto ab anima cogitante diſtincto. 4. Si cogitatio non eſt motus, neque effectus alicuius motus; neque modus, vel adfectio eiusdem eſſe poteſt; Nam motus non generat niſi motum, & novam partium compoſitionem: in neutro ſita eſt cogitatio. Dein affectio motus, vel cuiuscunque qualitatis, includit ipſum motum, vel qualitatem; ſic celeritas, quæ eſt adfectio motus, reipſa continet motum, & quivis modus, aut adfectio ſoni, coloris, extenſionis reipſa eſt aliquis ſonus, color, extenſio. Cum igitur repugnet, ut cogitatio ſit motus, vel

qualitas, fieri nequit, ut ea in modo, vel affectione motus, aut qualitatis conſiſtat.

II. *Fieri poteſt, ut in ſingulis partibus entis cogitantis inſit aliqua vis cogitandi, & ſingulæ ita conſpirent, ut fiat una cogitatio, ſicut vires motrices, quæ inſunt in elementis corporis, conſpirant in unam vim motricem corporis totius, aut ſicut partes horologii, quæ ſeorſim ſingulæ horas non deſignant, conſpirant, ut totum deſignet horas. Celeritas quoque corporum individua eſt, & tamen ineſt in corpore diviſibili: Ergo etiam cogitatio reperiri poteſt in ente compoſito.* R. N. Vis cogitandi, quæ in ſingulis partibus ineſſe ponitur, in ſingulis nequit eſſe completa; ſecus tot habebimus animas, quod partes; quod apertiſſime falſum eſt; neque ea cogitandi vis incompleta eſſe poteſt; nam omnes facultates, quas in anima per rationem diſtinguimus, inſunt in eodem principio cogitante: dein ipſa cogitatio non eſt modificatio quædam velut diviſa per plures partes, ſive talis, quæ ex plurium conſpiratione oriri poteſt; quia eadem eſt actio immanens; & quævis pars ſibi cogitat, ſuæque perceptionis eſt conſcia: perceptionum, quæ inſunt in aliis partibus, non eſt conſcia; hinc ex pluribus fieri non poteſt una cogitatio. Vis motrix, quæ ineſt in ſingulis elementis, conſpirat in unam vim motricem totius, quia ſingula elementa motibus ſuis ad eundem terminum externum tendunt: id autem, quod cogitat, agit ad intra, uti dicimus, & cogitationem in ſe tenet, neque cogitando ad terminum externum tendit. *Celeritas actualis* nihil eſt, niſi relatio ſpatii ad tempus, atque ad externum corporis ſtatum pertinet: celeritas autem, *potentialis*, ſive determinatio ad habendum certum motum in ſimplicibus elementis ſimplex eſt, & individua: uti vero ea tribuitur corpori ex elementis compoſito, eſt dividua, quia coaleſcit ex ſumma celeritatum, vel motuum, qui inſunt in elementis. Denique in horologio deſignatio horarum oritur ex figura, ſitu, nexu, mobilitate, & motu partium, atque hoc ſenſu modificatio compoſita eſt, quæ vi notionis coniunctionem partium exigit, & in ente cogitante locum minime habet, uti paulo ante diximus. Si in ſingulis partibus nulla eſſet figura, nullus ſitus, ac nexus, nulla mobilitas, & motus, deſignatio horarum, vel potentia deſignandi horas,

quæ

quæ in motu ſita eſt, non daretur in toto; nunc autem ex figura, & motu oritur id, quod pariter in figura, & motu ſitum eſt, non vero aliud quidquam oritur toto genere a compoſitione, & motu diverſum, uti eſt cogitatio. Neque dicas: *ex non compoſitis fit compoſitum, ergo ex non cogitantibus fieri poteſt ens cogitans*, R. c. a. n. c. compoſitum nonniſi adgregationem, & nexum plurium in ſua notione complectitur: ergo oriri poteſt ex iis, quæ ſeorſim ſingula non ſunt plura, & non connexa, uti ex unitatibus fit numerus. At ſi ſingulæ partes cogitatione, & vi cogitandi carent, adgregatio, vel coniunctio partium non magis habebit cogitationem, aut vim cogitandi, quam ſi ſingulæ partes ſint contingentes, earum collectio neceſſaria: vel ſi ſinguli lapides ratione carent, eorum coagmentatio eſſe rationalis, vel ſi ſinguli zeri nil valent, eorum multiplibatio valorem producere poteſt. Similiter reſpondendum eſt, ſi ex non figuratis fieri poſſe figuratum dicant; poſita enim hypotheſi, dari elementa omnis figuræ expertia, tamen ex eorum poſitione, & reſpectivo ſitu figura quædam totius prodibit.

III. *Mens noſtra ideas habet complexas, & compoſitas: percipit res extenſas: cognoſcit, & adpetit ſenſibilia: ergo ipſa quoque compoſita, extenſa, & ſenſitiva, id eſt, extra ſpirituum claſſem conſtituta eſſe debet.* R. 1. d. a. ideas habet compoſitas, quatenus eadem idea e. g. ſolis, auri, ædificii &c. in plures partiales cogitatione reſolvi poteſt, quarum tamen omnium, & ſingularum eadem natura cogitans ſibi conſcia eſt, c. a. habet ideas compoſitas, quatenus ſingulæ partiales ideæ in diverſis mentis partibus ineſſent, n. a, & c. Ex complexis ideis ſimplicitas entis cogitantis luculenter demonſtratur, quia teſte ſenſu intimo eadem natura cogitans, quæ percipit colorem floris, pariter eiusdem odorem ſentit, & quæ unam partem obiecti e. g. tectum ædificii ſibi repræſentat, partes alias quoque attingit, & inter ſe comparat, earumque ordinem intuetur: Ergo neque ideæ, uti in mente ſunt, partes reales habent, neque id, quod cogitat, compoſitum eſſe poteſt. 2. *Anima percipit res extenſas: ergo ipſa quoque extenſa eſt;* nulla eſt hæc quidem conſequutio: eadem enim calidum quoque, & frigidum, humidum & ſiccum dulce, & amarum percipit? num propterea ipſa quoque iſtiusmodi eſt? dein percipit etiam res inextenſas, virtu-

tem, honeſtatem &c. Reiicitur hoc loco *extenſio quantitativa*, quæ ex partium coniunctione oritur. Sunt enim non pauci, qui menti, atque adeo omnibus ſpiritibus extenſionem *ſimplicem* tribuunt, vi cuius, cum ipſa partibus careat, & indiviſibilis ſit, tamen ſpatium diviſibile occupet. Sed modus exiſtendi ſpirituum, imo omnium entium ſimplicium in hoc quidem mortali ſtatu nobis incognitus eſt, neque exiſtentia *definitiva*, propterea quod imaginatione attingi nequeat, leviter explodenda eſt; & inficite quæritur, qualis animæ, ſi definitive exiſtat, figura competat, angularis, an rotunda? quid enim? ſi imaginationi indulgendum eſt, fortaſſis punctum mathematicum ſedes animæ eſt? idque ita perſpicuum eſt ſcilicet, ut contraria opinio deridiculo ſit, & pro figmento haberi queat. Vereor, ne, qui ita ſentiunt, Deum quoque in puncto mathematico habitare denique iubeant. Quodſi hic ſpiritus infinitus, qui ſummæ ſimplicitatis eſt, alium habet exiſtendi modum, quin propterea figuratus dici debeat, cur eundem exiſtendi modum in gradu quodam finito cum ſpiritibus, & entibus ſimplicibus communicare non potuit, quemadmodum alias perfectiones cum iisdem communicavit? 3. Etſi mens res ſenſibiles cognoſcat, & adpetat, propterea non eſt potentia mere ſenſitiva, nec ad conditionem beſtiarum detrudi poteſt; quia potentia ſuperioris ordinis, qualis eſt mens noſtra comparate ad materiam, & animas beſtiarum, etiam facultates potentiarum ordinis inferioris continet eminenter, aut formaliter (Phil. Prim. Schol. §. XXVIII.) Hinc etſi potentia, quæ ſpiritualis eſt, res materiales, ac ſenſibiles cognoſcat, inferri nequit, potentiam ſenſitivam, qualis in beſtiis ineſt, ad res ſpirituales ſeſe extendere; quia ad potentiam ſpiritualem, quidquid omnino cognoſcibile eſt, pertinet, ad ſenſitivam non niſi ea, quæ ſenſibilia ſunt. De beſtiis paulo inferius differemus. Nec ſi qui homines beſtiarum more vivant, propterea vi intelligendi, & ratione carent; non enim quæritur hoc loco, quid agant homines, ſed quid poſſint, ac debeant agere.

IV. *Mens humana forma eſt corporis organici: ergo proportionem habet cum ſubiecto ſuo: atqui hoc ſubiectum eſt diviſibile, & compoſitum: igitur mens quoque.* R. d. c. for-

forma proportionem habet cum ſubiecto, quæ proportio in ſimilitudine naturarum neceſſario conſiſtat, n. c. quatenus ſubiectum a forma perfici, ad uſus ſuos aptari, & animari debet, c, c. Cum mens humana forma ſit corporis in ſenſu nunc indicato, ipſa ex alia forma, & ſubiecto, ceu partibus eſſentialibus minime componitur; ſubiectum enim ceu iners, & paſſive indifferens a forma perfici, ac determinari debet, in mente autem humana nec ex operationibus, nec aliis indiciis quidquam iners, ac determinabile concipi poteſt.

V. *Si mens noſtra ſpiritualis eſt, ac toto genere differt a materia, concipi non poteſt, quo modo cum materia uniatur; nulla enim ſpiritum inter, ac corpus proportio eſt.* R. d. concipi non poteſt, quo modo uniatur, id eſt, modus unionis diſtincte concipi a nobis, & explicari nequit, c. ipſa unio eſt inconceptibilis in ſe, ſive impoſſibilis, n. Multa ſunt, quorum rationem diſtincte non intelligimus in hoc ſtatu; quid vero inde conficitur? ut negemus, ea eſſe re vera? haud ſane? ſed ut limites cognitionis humanæ intimius noſcamus, & circumſpecte, cauteque feramus iudicia noſtra. Proportio inter ſpiritum, & corpus non ea eſt, ut ſimilis naturæ ſint, ſed ut corpus, ceu ſubiectum a ſpiritu ceu forma perfici, & ex utraque ſubſtantia, etſi toto genere differant, conſtitui poſſit *unum per ſe*, ſive unum compoſitum vivens.

VI. *Si anima eſt forma corporis, neceſſario pendet a corpore, uti rotunditas ceu forma, pendet a globo, cui ineſt.* R. Si rotunditas, aut quævis configuratio forma corporis adpellatur, ea forma non niſi modificatio eſt entis compoſiti. At mens noſtra non in configuratione, vel compoſitione corporis ſita eſt, ſed ipſa ſubſtantia eſt, ſive ens per ſe exiſtens, diciturque forma compoſiti illius, quod ex eius cum corpore unione exſurgit. Hinc Veteres corpus, ſeu materiam relate ad modificationes ex partium ſitu pendentes adpellarunt *ſubiectum ſuſtentationis*; corpus vero organicum, quocum unitur anima, quæ id perficit, animat, ad certam ſpeciem determinat, *ſubiectum informationis.* Proportio, & harmonia, quæ inter corpus, & mentem noſtram intercedit, non in ſimilitudine naturarum (ut hoc ſæpius inculcemus)

ſita eſt, ſed ex unione oritur; Nam mens quidem quoad potentiam remotam operandi, ſive potentiam agendi eam, quam vi naturæ ſuæ continet, independens eſt ab organis, a quibus pro eo tempore, quo corpus informat, ſive pro ſtatu unionis, quoad potentiam proximam relate ad plurimas actiones pendet. Hæc igitur mentis ab organis dependentia eſt duntaxat *mediata*, & *remota*, quatenus plurimas ideas rerum non niſi ſenſibus primo arripit, a quibus dein alias abſtrahit notiones vi intellectus, & citra adminiculum ſenſuum: *oritur ex unione mentis cum corpore*, non ex natura illius, ac *durat duntaxat pro ſtatu unionis*.

VII. *Nulla inter materiam, & vim cogitandi contradictio oſtenditur, ita, ut ne divinitus quidem, ſive per abſolutam Dei potentiam produci poſſit materia cogitans: Ergo ſpiritualitas humanæ mentis nondum demonſtrata eſt.* R. N. a. Nam 1. Qui iſtuc obiiciunt, per vocem *materia* fere non intelligunt ſubſtantiam ſimplicem, & indiviſibilem, ſed rem materiatam, ſive compoſitam ex materia; quia non otioſam ſpeculationem agitant, ſed id agunt, ut mentem humanam vi naturali diſſolvi, ac interire poſſe concludant more aliorum compoſitorum. Contra hos abunde demonſtratum eſt, abſolute impoſſibile eſſe, ut ens cogitans, præſertim quod intellectu, & voluntate pollet, ſit compoſitum, & materiatum, aut ut ex ſola compoſitione partium, quæ ſeorſim vim cogitandi non habent, ens cogitans reſultet. 2. Si voce hac *materia* denotatur ſubſtantia ſimplex, & indiviſibilis, ſic reſpondeo: Materia, cuius ideam habemus, eſt ens deſtitutum vi cogitandi, & præditum vi inertiæ: Anima, cuius ideam habemus, eſt ens deſtitutum vi inertiæ, & præditum vi cogitandi: porro ut idem ens vim cogitandi habeat, & non habeat vim inertiæ, eodemque tempore non habeat vim cogitandi, & habeat vim inertiæ, id abſolute repugnat. Si quæritur, an, quemadmodum hæc duo: *Mens* & *Materia*, tanquam diverſa concipiuntur, & paſſim habentur ab omnibus, ita reipſa penitus differant; ex ideis, quæ de utraque nobis ſuppetunt, atque ipſo uſu vitæ, & rationis nobis adveniunt, philoſophandum eſt, & quia de natura atque eſſentiis rerum non niſi ex proprietatibus, operatio-

tionibus, & mutationibus earundem iudicari poteſt, manifeſtum eſt, naturam, atque eſſentiam materiæ, & mentis toto genere differre, ſi proprietates, operationes, & mutationes toto genere differant; quales enim proprietates exiſtunt, talis ſit earum origo, & ratio ſufficiens, ſive eſſentia neceſſe eſt, & cuiuſmodi operationes ſunt, & mutationes, tale earundem principium internum, id eſt, natura eſt, quia ex perfectione effectuum perfectio cauſſæ, vel principii operantis colligitur; quo ſenſu etiam Veteres dixere; *modus operandi ſequitur modum eſſendi*: & *cauſſa proportionata eſt effectui.* Cum igitur operationes mentis excludant omnem compoſitionem, totoque genere differant a motu, & vi inertiæ oppoſitæ ſint: mutationes vero corporum includant compoſitionem partium, & ſolo motu peragantur, materia quoque vi inertiæ prædita ſit; conſequitur, naturam mentis, & corporum, materiæque & toto genere differre, & opponi inter ſeſe, nec in unam naturam coaleſcere poſſe.

VIII. *Omnes materiæ, ac mentis proprietates cognitæ non ſunt: ergo fieri poteſt, ut inter incognitas materiæ proprietates ſit vis cogitandi.* R. c. a. n. c. Satis eſt, & in materia, & in mente eiusmodi proprietates eſſe cognitas, quæ ſummam utriusque diverſitatem oſtendunt. Nec materiæ competere poteſt vis, quæ pugnat cum cognita proprietate inertiæ, nec menti proprietas talis, quæ cum vi cogitandi, ſtatumque ex propria determinatione mutandi conciliari nequit. Intima natura nec in igne, nec aqua, omnesque proprietates nec in triangulo, nec circulo cognitæ ſunt; num idcirco fieri poſſe dicemus, ut ignis proprietates aquæ, & triangulum circuli proprietates habeat? Nulla maior idearum, & vocum confuſio concipi poteſt, quam ſi mentis & materiæ, cogitationis & motus ideas pro iisdem haberi poſſe credatur. Sic quidem hanc chartæ albedinem eſſe ſapientiam, & ramum arboris, cui inſidet avicula, eiusdem eſſe cantum dicam, & colores naribus percipi poſſe, & odorem oculis, & ſonum guſtu, & ſaporem auribus. Cæterum hoc argumento, quod ex ignorantia noſtra, & anguſtis terminis humanæ cognitionis deſumtum eſt, uſus eſt Lockius L. IV. de Int. human. c. 3. §. 3. Sed fruſtra in auctoritate ſummi Meta-

phyſici patrocinium quærunt ii, qui animam materialem faciunt, quia mortalem eſſe volunt. Idem enim addit: *Non hæc perinde loquor, ac ſi animæ immaterialitati fidem ullo modo demturus eſſem:* ac manifeſtum eſſe, inquit, Deum non modo poſſe, ſed etiam velle ſenſum, & perceptionem conſervare in altera vita, & hominibus retribuere ea, quæ in hac vita fecerit. Puto, ad incudem non revocaſſe graviſſimum virum cogitationes ſuas, quas primo ſpeculandi æſtu in chartam proiecit. Eodem enim libro C. X. §. 14. & ſeqq. adcuratius rem ſpeculatus talia differit, quæ tollunt incautius antea dicta. Oſtendit enim materiam ex natura ſua perfecte deſtitutam ſenſatione, cogitationeque, haud poſſe primum illud ens cogitans eſſe, quod ab æterno eſt, quia nulla ſeorſim materiæ pars eſt cogitans, nullaque proinde collectio partium, aut motus cogitans eſſe poſſit. Denique materiam Lockius pro re materiata, & compoſita ſumit: evidens autem eſt, nulli enti compoſito cogitationem ineſſe poſſe.

# CAPUT VI.

## *De Immortalitate Animorum.*

*Quæ de potentiis humanæ mentis, de libertate, ſimplicitate, ſpiritualitate eiusdem diſſeruimus, ſufficiunt eius immortalitati demonſtrandæ argumento, ut aiunt, phyſico, ſive ex naturalibus animæ facultatibus, & proprietatibus derivato. Quæ ex conſenſu generis humani, ex præmii, ac ſupplicii ratione deducuntur in hanc rem concluſiones, aptius diduci poſſe, faciliusque comprehendi in Theologia Naturali videntur.*

### §. XXXV.

*Corruptibile* eſt, quod diſſolutione partium interire poteſt. Hinc mens noſtra, quæ partibus caret, incorruptibilis eſt. *Vita in actu primo* eſt potentia cogitandi, adpetendi, voluptatem, aut moleſtiam percipiendi; quæ adpellantur operationes vitales, ſuntque *vita in actu ſecundo*. *Immortalitas* eſt vita æternum duratura, eaque *eſſentialis*, ſiquid vi eſſentiæ ſuæ exiſtit, & vivit; quo ſenſu in S. Codice *ſolus Deus immortalitatem habere dicitur*; Timoth. 6. Immortalitas *naturalis* eſt, ſiquid ſpectata ſua natura tale eſt, ut vitam perpetuo continuaturum ſit, neque ulla vi creata, aut lege natu-

ræ

ræ exiſtentia, & vita ſpoliari queat. Hanc menti humanæ ita propriam eſſe oſtendemus, ut ea non tantum extitura ſit ſemper quoquo modo, ſui impos, & cogitationis, voluptatis, aut moleſtiæ expers, velut in ſtatu quodam ſomni, aut ſtuporis, ſed ut reipſa ſemper vivat in actu ſecundo, ut ſui conſcia ſit, ut bene vel male habere ſe percipiat. Immortalitas denique *gratuita* eſt, ſiquod ens cogitans præter naturæ ordinem, & ſingulari favore Creatoris vitam perpetuo conſervaturum ponitur; uti ſiqua hominum defunctorum corpora a corruptione immunia diu conſervantur præter naturæ ordinem, & leges, ea quædam eſt incorruptibilitas gratuita.

## §. XXXVI.

Ut quæſtio, *an mens humana ſit natura ſua immortalis*, ſive an eius exiſtentia, & vita æternum ſit duratura, ex intrinſecis rationibus reſolvatur, ſpectandæ ſunt *primo* naturales proprietates mentis, in primis ſimplicitas, eiusque operandi vis etiam in ſtatu ſeparationis, ſive poſt hominis mortem. *Secundo* quærendum eſt, nullane ſit, vel eſſe poſſit in rebus creatis vis contraria, quæ eius operationes impediat, aut naturæ lex, quæ mentis interitum quaqua ratione exigat. *Tertio* exhibendus eſt finis naturæ mentis adcommodatus, ob quem ea poſſit, atque adeo debeat æternum eſſe, & vivere. Sic enim exiſtimandum eſt: ſi mens humana in ſtatu ſeparationis æque, imo perfectius, ac dum in corpore eſt, operari, id eſt, intelligere, atque adpetere poteſt: ſi nulla eſt penitus in rebus creatis vis contraria, quæ eius operationes impediat, nullaque naturæ lex, quæ interitum exigat: ſi denique mens noſtra finem habet naturæ ſuæ adcommodatum, cur perpetuo exiſtat, & vivat, imo ſi ipſa finem ſuum naturalem ſine æterna duratione complete adſequi nunquam poteſt; tum vero minime dubium, aut obſcurum eſt, quin ea ſit natura ſua immortalis. Nulla enim ſubſtantia finita per ſeſe, & vi ſua ex nihilo emergit; hinc neque vi ſua in nihilum tendit; & quemadmodum nihilum non poteſt eſſe cauſſa, & ratio ſufficiens exiſtentiæ; ita nec exiſtentia poteſt eſſe ratio ſufficiens annihilationis; eſtque hoc evidentiſſimum principium: ut ſe habet creatio re-

relate ad ſubſtantiam non exiſtentem: ita annihilatio relate ad exiſtentem; igitur & creatio non exiſtentis, & annihilatio exiſtentis non præſumenda, ſed poſitivis rationibus comprobanda eſt. Atque hoc quidem modo ſtandum eſſet hac opinione de immortalitate animorum, donec oppoſitis argumentis convelleretur; at ſi præterea oſtenditur, mentem humanam & vim operandi perpetuo habere, nullam vero habere vim, aut legem naturæ oppoſitam, ac finem quoque æternæ eiusdem durationis præfixum eſſe, tum vero hæc de animorum immortalitate ſententia pro certa, atque explorata tenenda eſt: atqui oſtendam, ea, quæ propoſui, ita ſe habere.

## §. XXXVII.

I. *Mens humana in ſtatu ſeparationis æque, imo perfectius, ac dum in corpore eſt, operari, id eſt, intelligere, atque adpetere poteſt.* Mens enim humana eſt ſimplex, ac incorruptibilis, nec interire poteſt, niſi redigatur in nihilum. Univerſa autem natura creata æque caret potentia annihilandi, ac potentia creandi caret. Nam annihilatio eſt ceſſatio conſervationis: conſervatio autem eſt continuata creatio; quapropter uti creatio, & conſervatio, ita annihilatio potentiam infinitam requirit. Vi creata partes corporum diſſolvi, nova modificatio in materiam induci, compoſitum corrumpi poteſt; ſic putrefiunt corpora animantium, exeduntur metalla, atteruntur marmora, aquæ evaporant, ignis diſſipatur, terra in pulverem abit, ac diſpergitur; nec tamen ulla atomus, minimave particula viribus univerſis rerum creatarum redigi in nihilum poteſt: multo etiam minus mens ſimplex, ac ſpiritualis toto genere ſuperior omni corpore, & materia, ſola corporis diſſolutione, & materiæ modificatione poteſt annihilari: ergo diſſoluto, corruptoque corpore mens manet, proindeque vis quoque intelligendi, atque adpetendi manet; quæ eidem non inſtar accidentis adiuncta, ſed certe eſſentialis eſt, & ſine qua mens humana ne concipi quidem poteſt. Dixi autem: *in ſtatu ſeparationis mens noſtra etiam perfectiori modo, ac dum in corpore eſt, operari poteſt.* In hoc enim ſtatu phantaſmata, atque adfectuum turba intellectiones animæ identidem interturbant, easque velut impuras reddunt, ceu lutum aquæ limpidæ admixtum,

tum. Quemadmodum igitur demto onere, quo premebamur, liberius incedimus, diſſipatisque nebulis clarius conſpicimus res obiectas: ſic mens noſtra, quæ operandi vim natura ſua continet, atque ex ſe actuoſa eſt, diſſoluto corpore multo, ac ante perfectius obibit functiones ſuas. Sola compages corporea, quacum unitur mens, eius vim activam maxime reſtringit, ac limitat; ac ſi in humano corpore totidem extarent oculi, quot Argo tribuit fabuloſa antiquitas, una mens omnibus æque ſufficeret, ac ea organo tactus ſufficit per totum corpus diffuſo. Soluta igitur hac compage mens noſtra multo liberius, perfectiusque utetur vi naturali cogitandi, & adpetendi, quam modo utitur, cum corpori alligata eſt.

*Eleganter Tullius de Seneſt. c. 22. „ Mihi quidem „ nunquam perſuaderi potuit, animos, dum in corporibus „ eſſent mortalibus, vivere: cum exiſſent ex iis, emori: „ nec vero tum animum eſſe inſipientem, cum ex inſipienti corpore evaſiſſet: ſed cum omni admixtione corporis „ liberatus, purus, & integer eſſe cæpiſſet, tum eſſe ſapientem. „ Adpoſite Athanaſius Orat. contra Gent. „ Cum anima ſæpe corpore in lecto iacente ſine omni motu ipſa ſuis viribus excubat, transgrediturque corporis „ conditionem, & peregre ab eo diſcedens, manens „ tamen interim in corpore, quæ ſupra terram ſunt, contemplatur, & ſpectat: ſæpe quoque extra terrena corpora Sanctis, & Angelis obviam tendit, & ad eos „ pertingit, mentis ſuæ puritate freta; qui fieri poterit, „ ut eadem non multo magis abſoluta a corpore (quum „ ille, qui eam ita copulavit, voluerit) habeat liquidiorem immortalitatis cognitionem? „*

## §. XXXVIII.

II. *Nulla eſt penitus in rebus creatis vis contraria, quæ mentis operationes impediat, nullaque naturæ lex, quæ eius interitum exigat.* Mens humana in ſe, & vi naturæ ſuæ actuoſa eſt, & præcipue operatur ad intra: ergo impediri in operationibus, ſi ſoluta eſt a corpore, non poteſt. Res enim extranea alteri impedimento eſt, quando ei obiectum actionis tollitur, aut inter vim activam, & terminum, ad quem tendit, obſtaculum obii-

obiicit; neutrum locum habet in mente, quia cogitando, atque adpetendo non ad terminum actionis a ſe diſtinctum tendit. Neque obiecto cogitationum ſpoliari poteſt, cum ea cogitando, atque adpetendo ad remotiſſima quæque, ad abſentia, futura, præterita, ad poſſibilia quævis pertingat, & ſi alia omnia abſint, ex ſui cognitione ad cognitionem entis neceſſarii & infiniti, eiusque illimitatas perfectiones perveniat. Nulla præterea eſt lex, ut, quod finem quemdam exiſtendi habet, in nihilum abeat, imo oppoſita lex in natura obtinet; quemadmodum enim finis, ad quem res deſtinatæ ſunt, ratio erat ſufficiens, ut a ſapientiſſimo Conditore procrearentur; ita perduratio eiusdem finis ſufficiens erit ratio, ut conſerventur. Sed de fine mox diſſeram; Nunc illud expendendum eſt: quævis ſubſtantia finita, cum ſit ens per ſe exiſtens, ſeparatim a quavis alia finita exiſtit, perinde ac ſi ſola exiſteret in rerum natura, neque ulla per ſe inter unam, alteramque quoad exiſtentiam eſt dependentia. Ex diſſolutionibus, & corruptionibus, quæ in natura corporea fiunt, nequit ulla annihilatio inferri; infinito enim intervallo ſeparatio alterius ab altera, & annihilatio cuiuscunque inter ſe diſtant. Nulla igitur naturæ lex eſt, vi cuius ſubſtantia quædam in nihilum abeat, neque mens una intellectiva alterius mentis intellectivæ interitum vi ſuæ naturæ poſcit, cum utraque ſit paris conditionis, & altera ab altera ſeparatim exiſtat, & vivat: multo autem minus inferiores ſubſtantiarum ordines perdurationi, & vitæ mentis intellectivæ obeſſe poſſunt.

## §. XXXIX.

III. *Mens humana finem habet naturæ ſuæ adcommodatum, ut perpetuo exiſtat, & vivat, imo finem ſuum naturalem ſine perpetua duratione complete adſequi nunquam poteſt.* Finis mentis intellectivæ ex intrinſeca perfectione eiusdem, tum ex ſapientia, & bonitate ſummi Conditoris intelligitur; qua de re, etſi Theologia Nat. ex inſtituto tractet; tamen non nulla hoc loco dicenda ſunt. Igitur finis, ob quem mens æternum duret, ac vivat, *primo* eſt *cognitio, & amor infiniti Boni*, in quo huius gloria ſita eſt. Hic finis, ob quem mens condita eſt, in hac vita complete, & quantum ſatis eſt, obtineri

ri nequit; idem vero tota æternitate perdurat, quia neque potentia cognoſcendi, & amandi deficere in humana mente, neque cognoſcibilitas, , & amabilitas infiniti Boni exhauriri, nec cognitio, & amor in faſtidium unquam degenerare poteſt. Si mens intellectiva natura ſua interit; quid erit, quod gloriam det Deo, ob quem finem eadem condita eſt? *Secundo, felicitas mentis intellectivæ eius naturæ proportionata*; neceſſaria enim, & naturalis adpetitio boni, & felicitatis in ea ineſt, quæ exſatiari non poteſt, niſi bono ſummo, & infinito; quia nec vis intelligendi, quæ ad omne intelligibile pertinet, & obiective infinita eſt, ſola cognitione finitarum rerum, nec voluntas amore rerum imperfectarum expletur: eadem felicitas *perfecta* eſſe debet, omnique ex parte ſufficiens, ut omne moleſtiarum genus excludat; denique & *perdurabilis*; nam miſera eſt boni poſſeſſio, cuius iactura timenda, aut poſſeſſio incerta eſt, eoque maior eſt ob amittendi periculum anxietas, vel ob amiſſum dolor, quo maiore id voluptate poſſidetur. Porro in hac vita, quæ anguſtos limites habet, nec perdurabilis eſt mentis intellectivæ felicitas, nec perfecta, quia cognitio, & amor ſummi Boni admodum imperfectus eſt, & cum plurimis miſeriis, ac moleſtiis perpetuo coniunctus. Ergo ne fine ſuo mens intellectiva excidat, neceſſe eſt, ut et naturalis, & neceſſaria felicitatis adpetitio in ſtatu ſeparationis expleatur; Secus beſtiæ, quarum omnis cognitio, & adpetitus ſenſibilibus bonis terminatur, meliore loco, & conditione forent, quam ſpirituales, & intellectivæ mentes; quod quidem qui adſerere audeat, næ ego illum multo deteriorem quavis beſtia, magiſque contemnendum merito putem. *Si pecora eſſemus*, inquit Auguſtinus L. 11. de civit. Dei c. 28. *carnalem vitam, & quod ſecundum ſenſum eius eſt, amaremus: idque eſſet ſufficiens bonum noſtrum, & ſecundum hoc, cum eſſet nobis bene, nihil aliud quæreremus. Item ſi arbores eſſemus, nihil quidem ſentiente motu amare poſſemus; verum tamen id quaſi adpetere videremur, quo feracius eſſemus, uberiusque fructuoſæ. Si eſſemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid eiusmodi, ſine ullo quidem ſenſu, aut vita, non tamen nobis deeſſet quaſi quidam noſtrorum locorum, atque ordinis adpetitus. - - - Quoniam igitur homines ſumus ad noſtri Creatoris imaginem creati, cuius eſt*

*vera*

*vera æternitas, æterna veritas, - - - ad illum redeamus.* Ex his, quæ de fine mentis intellectivæ dicta ſunt, ſic concluditur argumentum. Secundum generalem legem finium, de qua in Phil. Prima loquuti ſumus, quamque ampliſſima inductio non minus evidentem facit, quam quod partialia quævis corpora ad aliquod centrum trahantur, nulla eſt vis, nulla potentia in hoc Univerſo, quæ conſtanter, & quoad totam ſpeciem, in qua ineſt, ſuo fine fruſtretur; ineſt autem in nobis vis, & potentia cognoſcendi, & amandi infiniti Boni, ineſt naturalis, & neceſſaria adpetitio felicitatis, miſeriæque, ac moleſtiæ fuga: Hæc fruſtranea eſſent, ſuoque fine exciderent, niſi perpetuo mens exiſtat, & vivat. Quamobrem ſi manifeſtum eſt naturali ratione, mentem humanam in ſtatu ſeparationis operari poſſe; non poſſe autem ulla vi creata impediri, aut naturæ lege extingui: ſi præterea æternæ durationis, vitæque finem habet, ac finem ſuum niſi æternum duret, ne quidem adſequi poſſit; minime dubium, aut obſcurum eſſe poteſt, eandem natura ſua eſſe immortalem; Si illud conceditur, fore, ut longiſſimo tempore mens vivat poſt hominis mortem, quomodo naturalis immortalitas in dubium vocari poteſt? Forte pro ſingulis temporibus, aut millenariis annorum, quibus mens extitura eſt, ſingilatim demonſtrare me cogent, pollere eam vi operandi & fine, nec vi, aut lege oppoſita extingui poſſe? quaſi vero aut natura mentis intellectivæ, aut naturæ finis, aut finium auctor a tempore penderent, eiusve dimenſioni eſſent alligati, cum nihil ſit tempus, niſi relatio extrinſeca. Sed ſi rem adcurate ſpectamus, mens intellectiva non minus ipſam æternitatem, quam beatitatem adpetit naturaliter; nihil eſt enim, quod poſt extremam, atque æternam miſeriam magis horrere poſſit mens ratione prædita, quam annihilationem; Si amiſſio cuiusdam membri, aut ſenſus, aut præſentis vitæ, niſi illam ſpe maioris boni, aut metu mali gravioris ſoletur, intolerabilis videtur homini: ſi gratia, ſi conſuetudine amicorum ægre caremus, niſi intuitu boni maioris levemus iacturam; quanta nos obrui triſtitia neceſſe eſt, ſi infinitam, & tenebricoſam nihili abyſſum intuentes eo nos præcipites aliquando eſſe dandos cogitemus? Equidem horreſco referens, quantopere mens ſui conſcia, & beatitatis, atque infiniti Boni amandi

capax

capax annihilationem neceſſario naturæ impulſu refugiat. Sapienter igitur Tullius L. 2. de Finib. c. 27. *Si amitti*, inquit, *vita beata poteſt, beata eſſe non poteſt. - - qui diffidet perpetuitati bonorum ſuorum, timeat, neceſſe eſt, ne aliquando amiſſis illis ſit miſer. Beatus autem eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt. - - Neque enim in aliqua parte, ſed in perpetuitate temporis vita beata duci ſolet.* Pariter S. Thomas I. q. 75. art. 6. *Omne habens intellectum naturaliter deſiderat eſſe ſemper: naturale autem deſiderium non poteſt eſſe inane.* Eodemque modo S. Auguſtin. L. 13. de Trinit. c. 8. *Si volunt beati eſſe, qui beati ſunt, beati utique non eſſe nolunt; ſi autem beati non eſſe nolunt, procul dubio nolunt conſumi, & perire, quod beati ſunt, nec niſi viventes beati eſſe poſſunt. Nolunt igitur perire, quod vivunt. Immortales ergo eſſe volunt, quicunque vere beati ſunt, vel eſſe cupiunt; Non autem vivit beate, cui non adeſt, quod vult. Nullo modo igitur eſſe poterit vita veraciter beata, niſi fuerit ſempiterna.*

*Status ſeparationis non modo felicitatis, aut miſeriæ, ſed præmii quoque, & ſupplicii rationem habet; de quo in Theologia Nat. agendum eſt. Ad fines, ob quos mens perdurat poſt hanc vitam, ſine dubio cognitio quoque veritatis pertinet, cui mens fruſtra ſæpe inhiat in hoc mortali ſtatu Adpoſite Mac-Laurinus c. ult. in Expoſ. Phil. Neuton. diſſerit: „ Satis ſuperque ad irritandam, ſed non ad explendam ſciendi cupiditatem noſtram hæc corpora noſcimus. Atque ex his non minus, aliiſque conſimilibus animadverſionibus, quam honeſti, vitioſique contemplatione facile adduceremur, ut, qua nunc ſumus, conditioni, ſortique noſtræ plurima deeſſe exiſtimaremus, niſi eam alius aliquando exciperet ſtatus, qui clariorem, noſtræque aviditati adcommodatam naturæ, magnique eius Auctoris cognitionem ſecum adferat. Haud e dignitate immenſæ illius ſapientiæ, quæ tanta ubique in natura ſeſe prodit evidentia, fuerit arbitrari, tam arctos intelligentiæ limites nos nunquam poſſe transgredi, eoque tantummodo conſilio a tanta rerum creatarum varietate Deum in nobis ſciendi concitare ardorem hunc, ut nunquam ad finem ſuum pertingat. „*

neceſſe eſt, ut Deus, qui res a ſe conditas gubernat, eandem convenienter ad naturales proprietates, & propoſitos fines gubernet, adeoque perpetuo conſervet. *Deus, aiunt, velle poteſt, ut corpus intereat; ergo etiam, ut anima.* R. n. c. Nulla inter corporis interitum, qui partium diſſolutione fit, & interitum mentis connexio, nulla comparatio eſt: corpus ita formatum eſt, ut natura ſua ſit corruptibile, proindeque, cum Deus res adminiſtret ſecundum earundem naturas, velle poteſt, ut id corrumpatur. Anima ſpectatis naturæ ſuæ proprietatibus, ac perfectionibus divinis in nihilum redigi non poteſt.

II. *Finis animæ eſt, ut corpus informet: igitur deſtructo corpore finem, ob quem exiſtat, non habet.* 2. *In operationibus ſuis intime pendet a corpore; viget eo vigente; deficit eodem deficiente, ita ut ob corporis ſtatum male affectum nec ſui conſcia ſit, nec functiones vitales obire poſſit; uti patet in morbis, deliquiis &c.* 4. *Generalis naturæ lex eſt, ut interire poſſit, quod aliquando ortum eſt.* R. 1. Finis animæ proximus, & inadæquatus, non ultimus, & totalis eſt, ut ſit forma corporis, ſive potius compoſiti viventis, quod ex unione animæ cum corpore oritur; idque in concilio Viennenſi deciſum, & in Lateranenſi V. confirmatum eſt. Cæterum ſi anima corpus informat, animatque, id indicio eſt, eam in ſeſe vitam, vimque movendi habere, nec pendere a corpore. In hanc ſententiam contra Gentes Athanaſius inquit: *Si anima movet corpus, multo magis neceſſum eſt, ſibi ſeipſam motricem eſſe: & quia a ſe movetur, neceſſarium eſt, eam poſt mortem corporis vivere, ac ſuperſtitem eſſe.* 2. Si eodem tempore & anima, & corpus oriuntur, non ſequitur, ut eodem tempore intereant, cum omnino diſpari modo oriantur; apte Lucretius id diſcrimen adnotavit: *Cedit enim retro, de terra quod fuit ante, in terram: ſed quod miſſum eſt ex ætheris oris, id rurſus cœli fulgentia templa receptant.* Ita homo Epicuræus *victus eſt veritate* (ut Lactantius ait L. 7. div. Inſtit. c. 12.) *& imprudenti ratio veri ſubrepſit.* 3. Dependentia mentis a corpore eſt remota duntaxat, & mediata, ex unione, non mentis ipſius natura orta, & pro aliquo tempore, nempe ſtatu unionis durans (§.XXXIV. n. VI.) Si hæc unio mentem noſtram ad ſtatum ſtuporis, & lethargi aliquando deducit, inferri non poteſt, mentem ſublata illa unione ſimili ſtupori

per ſeſe obnoxiam eſſe; ſiquis enim ſub impoſito onere prope ſuccumbit, cum gradiendi facultatem habeat; eo demto onere fortaſſis difficilius incedet? aut ſi denſæ nebulæ lumen ſolis mihi eripiant, iis disiectis propterea cæcus ero? Sine dubio pro varia corporis, & organorum diſpoſitione mens quoque non eodem modo diſpoſita eſt ad vitales actiones obeundas, uti nec peritiſſimus artifex eodem modo tractare poteſt inſtrumenta inepta, quo apta, & commoda tractat; ſæpe tamen & languente corpore, ac peſſime adfecto mens vegeta eſt, ſummaque alacritate, & voluptate perfruitur; ac dum lutea compages corporis incurſu extranearum rerum concutitur, & vitium agit, dum progreſſu ætatis vigor ſenſuum, ac membrorum robur hebeſcit; mens tamen, eiusque perſpicacitas, & rationis vis, & prudentiæ, ſapientiæque uſus maxime tum viget; quod manifeſto indicio eſt, eam vi ſuæ naturæ a corpore non pendere. Quapropter morbi, ac ſenectus, quæ ipſa eſt morbus, ad corporis diſſolutionem tendunt, ex qua ne unius quidem elementi, multo autem minus entis intellectivi, ac ſpiritualis annihilatio ſequi poteſt. 4. Quod generatione, & combinatione partium oritur, id interit, vel interire poteſt: non autem quod oritur creatione, & ſimplex eſt, & fines habet naturæ ſuæ adcommodatos, ob quos perpetuo exiſtat. Sed inquiunt: *quod capax eſt contrariorum, id deſtrui poteſt: mens autem capax eſt contrariorum, nempe amoris, odii, gaudii, triſtitiæ &c. ergo deſtrui poteſt.* R, d. M. quod compoſitum eſt, & contrarias qualitates recipit, id deſtrui poteſt. c. M. quod omni compoſitione caret, n. M. & d. m. Mens capax eſt contrariorum, id eſt, actuum, qui inter ſe contrarii ſunt, c. m actuum, qui ipſi naturæ mentis adverſantur, n. m & c.

III. *Adpetitus felicitatis aut non provenit ab ipſa natura ( unde enim id ſatis conſtat? ) ſed præiudicio tribui poteſt, aut expleri non debet, uti aliæ cupiditates e, g. honorum, divitiarum, ſcientiarum &c. non explentur; certe quidem æternitas felicitatis non ratione naturali, ſed ſola revelatione hominibus innoteſcere poteſt.* R. Homines felicitatem adpetere æque certum eſt, ac quod cibum, & potum adpetant quævis animalia; idque naturale eſt menti

intel-

intellectivæ ; quod enim ſemper, & ubique, & conſtanter fit, id neceſſario fieri, & quadam naturæ lege cenſetur; in illis enim, quæ per accidens contingunt, aut a libero arbitrio pendent, nulla conſtantia ineſt, nulla uniformitas. Si adpetitus felicitatis præiudicio tribuitur, eſt hoc præiudicium naturæ, quod ipſo vitæ, ac rationis uſu omnibus advenit neceſſario, totique humano generi commune eſt, & ſemper perdurat, perque ætates omnium ſeculorum confirmatur. Nemo eſt enim doctorum, vel rudium, iuvenum, vel ſenum, pauperum, vel divitum, qui beatus eſſe non cupiat. Eſt igitur hæc adpetitio ab ipſa natura, vel naturæ Auctore nobis indita, proindeque otioſa eſſe, aut fruſtrari perpetuo non poteſt. Aliæ cupiditates e. g. divitiarum &c. in hac vita non explentur, quia nec communes omnibus, nec naturæ mentis intellectivæ conſentaneæ ſunt; neque enim ad ea bona poſſidenda conditi ſumus. At explentur eminente quodam modo in ſtatu perfectæ felicitatis, quæ poſt hanc vitam nos manet. Poſito in nobis naturali adpetitu boni, & felicitatis, mens noſtra ob infirmitatem, cæcitatem, & inopiam ſuam ad quamvis fere boni ſpeciem inclinatur, quaſi beatitatis quandam partem in eo repertura, qua perpetuam ſitim felicitatis explere, vel reſtringuere quoquo modo queat. Sed provide factum eſt a ſapientiſſimo Conditore, ut caduca, & finita bona non modo animum noſtrum non expleant, ſed etiam crucient, & adfligant, ut ad alia maiora, ac vera bona naturæ mentis noſtræ, eiusque fini conſentanea ſectanda incitemur. ( Schol. §. VI. ) Denique æternitas felicitatis *ſupernaturalis* ſola revelatione cognoſcitur, c. æternitas felicitatis *naturalis*, n. Hæc naturalis felicitas per ſe ſita eſt in cognitione, & amore Dei abſtractivo, ſatis claro, ac tali, quo adpetitus mentis penitus exſatietur, & omne moleſtiarum genus arceatur. Hæc felicitas vi naturali & cognoſci, & deſiderari, & obtineri per ſe poteſt. Felicitas ſupernaturalis in ſupernaturali, & intuitiva cognitione, & amore Dei conſiſtit; ordinem proin naturæ longe ſuperat, nec cognoſci ſine revelatione, & illuſtratione divina, nec ſine gratia ſupernaturali obtineri poteſt. Naturalis beatitudo homini in ſtatu naturæ pu-

ræ competeret: ſupernaturalis eidem ad ſtatum ſupernaturalem elevato promiſſa a Deo eſt.

IV. *Animæ beſtiarum ſimplices ſunt; & tamen in nihilum abeunt deſtructo corpore; igitur mentis humanæ par conditio eſſe poteſt.* R. Qua ſint conditione animæ beſtiarum deſtructo corpore, non explorata ſententia eſt; nec vero ſapiens Philoſophus, qui multa ignorare ſe in hoc ſtatu intelligit, rebusque utilibus, & honeſtis intendit, ea de re magnopere angi poteſt. Si diſſoluto corpore in nihilum abeunt ( in qua opinione haud video, quid abſurdi inſit ) ea annihilatio, quia lege quadam naturæ fit ſecundum ordinem ejusdem, & curſum, *naturalis* dici poteſt, haud ſecus, ac creatio humanæ mentis, cum ea fœtui ſatis diſpoſito infunditur, *naturalis* a multis vocatur, non quod vi quadam activa naturæ creatæ, ſed quod lege ſtabili, & conſueto ordine a naturæ Auctore ſtabilito fiat. Dices: *Si animæ beſtiarum naturaliter abeunt in nihilum; in natura creata ineſt vis annihilandi: ergo annihilari mens etiam humana poteſt.* Nulla hæc eſt conſequutio. Quid enim? ſi fœtui humano naturaliter infunditur anima, ob hanc cauſſam in natura creata vis creandi ineſt? haud ſane; aliud enim vi, & potentia creata, aliud lege, & ordine naturæ a Conditore ſtabilito fit. Sed deſtrui poteſt corpus beſtiæ; unde annihilatio animæ ſequitur; deſtrui poteſt & corpus hominis; cur non eodem modo annihilatio mentis humanæ conſequetur? R. Annihilatio animæ in beſtia ſequitur deſtructo corpore, quia finem exiſtendi non habet, & quia tota vis operandi in beſtiis ad organa, & res ſenſibiles alligata eſt: annihilatio mentis humanæ corpore diſſoluto non ſequitur, quia finem exiſtendi habet, imo quia finem ſuum, niſi poſt hominis mortem exiſtat, complete adſequi non poteſt, & quia præterea vis operandi in humana mente ad organa, & res ſenſibiles minime adſtricta eſt. Sunt, qui miris modis vociferantur, quando animæ beſtiarum vocantur *ſpiritus*; quia conſequi aiunt, ſpiritum natura ſua mortalem eſſe: alii non minores tumultus cient, ſi easdem animas adpellari materiales audiunt; putant enim id adfirmari, materiam cogitare poſſe. Sed utrique aerem verberant, & cum vocabulis digladiantur prætermiſſis ideis. Animæ beſtiarum ſpiritus ſunt, ſi hoc nomine non niſi quodvis ens cogitans denotatur; quid inde conſici-

ficitur? ergo aliquod ens cogitans, quod ab organis pendet natura ſua, ſine organis operari, & durare nequit. Nihil contra immortalitatem mentis humanæ hinc quidem concluditur. Si eædem vocantur materiales, non continuo cogitat materia, ſed *aliquod* ens cogitans, quod nec materia eſt, nec materiatum, non niſi de rebus materialibus cogitare poteſt? quid tum vero? mens humana ultra ſphæram omnium materialium rerum operando progreditur. Illud addo: ſi animæ beſtiarum in nihilum abeunt quadam naturæ lege, id mox contingit deſtructo corpore: mentem humanam aliquo ſaltem poſt mortem tempore naturaliter perdurare, ac vivere, evidentiſſime ex neceſſitate præmii & ſupplicii demonſtrat Theologia Nat. Sed ex dictis non quæcunque perduratio, ſed æterna, ſatis quidem opinione mea confirmari poteſt.

# CAPUT VII.

## *De Commercio Mentis, & Corporis.*

*Actiones mentis, ac mutationes corporis inter ſe conſentire, ſive harmonicas eſſe, tam apertum eſt, ut nihil magis. At ratio huius conſenſus, vel harmoniæ iis implicatur tenebris, ut pro naturæ myſterio habeatur, cuius nemo Philoſophorum genuinam interpretationem adhuc dedit, quæ ſatis comprehendi poſſet.* „ Naturam animi intuenti, *inquit Tullius L. I. QQ. Tuſcul. c. 22.* „ multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obſcurior, qualis animus in corpore ſit, tanquam aliena „ domo, quam qualis cum exierit, & in liberum cælum, quaſi domum ſuam venerit. „ *Qui veritatem ſectatur, humanæque conditionis infirmitatem habet præ oculis, id agit, ut ex ipſa rei obſcuritate, & ignorantia ſua fructum aliquem potius colligat, quam ut deſperatione quadam abripi ſe ſinat, & in abſurdas opiniones præcipitem ſe det.*

## §. XLI.

*Senſationes, phantaſmata, varii ſtatus vigiliæ, ſomnii, deliquii, aut cum homo ſui compos, vel extra ſe raptus dicitur, dein perceptio doloris, vel titillationis, diverſæ paſſiones, ſive perturbationes tum in anima exiſtunt, cum fiunt certæ mutationes in corpore; ac varietas earum animi adfectionum reſpondet varietati mutationum in corpore factarum;* atque hoc ſenſu actiones, vel mutatio-

nes mentis conſentiunt, vel harmonicæ ſunt cum mutationibus corporis. De ſingulis ſeorſum agendum eſt;

I. *De ſenſationibus.* Per omnes propemodum firmas partes corporis animalis diffunduntur nervi, ſeu faſciculi tenuiſſimarum fribillarum craſſiores, ac tenuiores, qui ex medulla cerebri, ac cerebelli ceu radice orti, & ex medulla oblongata, ac ſpinali ceu trunco provenientes, dein ramorum inſtar, non tenſi, ſed ubique laxi propagantur. Iidem fluidum vehunt ſpirituoſum (*ſpiritus animales* vocant) quod ad reliquas corporis partes tum pro ſenſationibus, & motibus ſpontaneis, tum pro digeſtione reliquorum humorum derivatur. Nervi, qui ad organa ſenſoria pertingunt, vel potius ipſa organa pro varia ſtructura conſtituunt, a ſuo quique organo denominantur, optici, acuſtici, olfactorii, guſtatorii, tactui ſervientes. Cerebrum, ex quo oriri nervos diximus, eſt viſcus ex meris vaſculis, canalibus, fibrillis mirifice contextum, varioſque habens anfractus, ſinus, cavitates. Anterius bina hemiſphæria efformat, quod eſt proprie cerebrum: huic ex poſtica parte velut novum cerebrum adiacet, quod cerebellum vocant Anatomici. Bina cerebri hemiſphæria inferius eadem baſi iunguntur, nempe ſubſtantia quadam fibroſa, & duriuſcula, ſeu *calloſa*, ut aiunt, in qua fibrillæ medullares ex anterioribus binis hemisphæriis poſt varios ſinus, & cellulas, & ex latere fibræ cerebelli concurrunt: atque hæ quidem fibræ ex cerebello ortæ ad naturales actiones pertinent, uti ſunt motus cordis, arteriarum, inteſtinorum: quæ vero ex cerebro prodeunt, ſenſationibus, & motibus ſpontaneis deſtinantur; hinc ſecto nervo ex cerebro prodeunte ſenſationes, & motus ſpontanei ceſſant: ſiquis autem nervus ex cerebello proveniens rumpitur, actiones naturales ceſſant; ut adeo ſine vitæ amiſſione cerebrum perforari & eximi poſſit; dum contra cerebello perforato, etſi cerebrum maneat integrum, vita illico extinguatur. Senſationum igitur præcipua inſtrumenta ſunt nervi; nam primo fit motus a re extranea in organo, qui ſpecies impreſſa, vel ſenſibilis dicitur; is propagatur verſus cerebrum, nervorum, & ſpirituum ope: atque is motus in ſubſtantia calloſa, quam commune ſenſorium vocant exiſtens, *idea materialis* nomine maxime improprio nuncupa-

cupa-

cupatur: nihil enim ea eſt, niſi motus: quo poſito ſequitur ſenſatio in anima tanta celeritate, ut inter impreſſionem rerum factam in organo, inter hanc & propagationem motus ad cerebrum, inter iſtam, & ſenſationem in anima nulla temporis differentia notetur. Claritas ſenſationis tum perfectioni organi, tum impreſſioni magis, aut minus validæ reſpondet.

II. *De phantaſmatis, & memoria.* Phantaſiam æque, ac ſenſus, ideam materialem in ſenſorio communi poſtulare multi pro certo tenent; nam hebetatur morbo cerebri, hoc reſtituto reſtituitur, eo deſtructo prorſus tollitur perinde, ac ſenſatio deſtructo organo: in eodem homine pro varia ætate, maiore vel minore ſpirituum copia, partium duritie, vel mollitie varia eſt. Excitantur igitur priſtinæ ideæ, quando ſpiritus animales eodem modo, eademque via, ac in ſenſatione, moventur, ita ut facultas reproducendi ideas antea habitas ab immutatione quadam cerebri, & veſtigiis in eo relictis pendeat. Hæc veſtigia differunt ab ideis materialibus, quæ in actuali motu ſitæ ſunt. Motus, qui ad phantaſmata requiritur, non actu, ſed poteſtate manet. Sicui incredibile videatur, tantum in cerebro veſtigiorum numerum, quantus eſt phantaſmatum, contineri poſſe, expendat neceſſe, Frideric. Schreiberum in quadrato cerebri pollice 49 billiones vaſculorum obſervaſſe. Ex vi Phantaſiæ, motuque ſpirituum innumeri errores, præiudicia, enthuſiaſmi, morbi, maternæ in prolibus maculæ, aliaque generis iſtius ortum ducunt. Siquis admodum vivaciter, aut ſæpius rei intendat vi imaginationis, aut ſi a quacunque cauſſa interna, eadem fiat, & æque vivida impreſſio in ſenſorium commune, quæ ab externo obiecto fieri ſolebat, cogetur mens æque imaginationi, ac ſenſibus ſolebat, credere; atque ita phantaſma habebit pro ſenſatione; unde continget, ut homo cætera ſanæ mentis in uno quodam genere inſaniat, ſive ut aiunt, in certa linea ſtultus ſit: uti ſiquis ſibi perſuadeat, ſe acum deglutiiſſe. Memoria, uti Phantaſia ſtatui cerebri reſpondet; in pueris mollior cerebri ſubſtantia impreſſiones non diu retinet: durior in ſenibus non facile recipit; hinc pueri cito addiſcunt, ſed mox obliviſcuntur: ſenes ægre admittunt nova, etſi præteritorum facile, & adcurate recordentur; & uni-

verſe, qui tardioris memoriæ ſunt, diutius retinere ſolent ſemel percepta; quae enim multa repetitione ſolidiorem penetrant cerebri maſſam, veſtigia relinquunt non facile delenda. Iuvenis novem annorum ob ingentem capitis dolorem omnium rerum memoria paullo poſt exſpoliatus eſt, ut nec loci, nec amicorum, nec vernaculæ amplius linguæ eſſet memor.

III. *De variis ſtatibus animæ. Somnus* eſt ſtatus hominis, in quo omnes claræ ſenſationes ceſſant; cui opponitur vigilia, ſive ſtatus, in quo ſenſationes claræ ſunt. Somnus, in quo etiam clara phantaſmata ceſſant, *profundus* dicitur, inter quem, & vigiliam medius eſt ſtatus ſomnii, in quo anima claris ſenſationibus deſtituta, res tamen ſenſibiles abſentes clare percipit. Teſte Boerhavio vigilia pendet a præſentia ſpirituum bonorum copioſorum in cerebro, nervis, & muſculis, tum a recta conſtitutione partium firmiorum cerebrum, nervos, & muſculos conſtituentium: ſomnus autem, id eſt, quies, & remiſſio in ſenſibus, & motibus animalibus, oritur, ſi fibræ flacceſcant ea potiſſimum de cauſſa, quod ſuccus nerveus a ſua expanſione & elaſticitate remittit: ſi hic ipſe ſuccus deficit vel ob labores, vel ob defectum ſucci nutritii ſpirituoſi, ut in ſenibus, vel ægris: vel ſi lentorem, fixitatem, & cruditatem habet, ut in phlegmaticis: aut denique ſi nimis abundet, & agitetur, ut in ebriis. Mobilitatem ſucci nervei etiam medicamenta oppiata, venena, & ſimilia impedire, vel tollere poſſunt. Quamprimum is per quietem reſtauratur ex ſanguine, id quod fere intra ſex, aut ſeptem horas contingit, eo ipſo fibras, & nervos replet, ut ad officium redeant. *Deliquium* eſt ſtatus, in quo ad ſenſuum quietem notabilis quoque motuum vitalium remiſſio accedit. *Sui compos* dicitur homo, ſi, cum valetudine pollet integra, ſenſuum, phantaſiæ, & intellectus operationes ſecundum leges conſuetas fiunt: *Extra ſe rapi* cenſetur, ſi eæ perceptiones aliter, quam ſecundum conſuetas leges fiunt, uti ſi quadam ſenſatione præter ordinem omnis aliorum ſenſuum impreſſio obſcuretur, vel ſi quieſcente ſenſu phantaſia ob ſingularem impreſſionem in cerebro factam ad morem ſomniorum cietur, vel ſi denique mens ad cognitiones ſpirituales contra uſitatas abſtrahendi, & componendi le-

leges determinatur. Primi generis raptus D. Paulo obtigiſſe creditur Damaſcum proficiſcenti, & S. Stephano cælos apertos intuenti: alterius generis ſunt viſiones, quæ per ſomnia fuiſſe facta in S. Scripturis memorantur: tertii generis exemplum eſt raptus S. Pauli in tertium cælum, qui contra omnes phantaſiæ leges, atque ordinem mortalis ſtatus eas habuit cognitiones, ut neſcierit, utrum in corpore mens fuerit, vel extra corpus.

IV. *De perceptione doloris & voluptatis.* Cum ſenſationibus quibusdam dolor, cum aliis voluptas connexa eſt; cuius rei rationem, & cauſſam finalem expoſui in Schol. §. VI. Perceptio voluptatis exiſtit, ſi fibræ, & papillæ nerveæ ab obiectis minus rigidis, vel aſperis, ſed tenerioribus, & mollioribus blandius attinguntur, & quaſi fricantur, ut ſpiritus verſus commune ſenſorium leniter moveantur. E contrario dolor percipitur, ſi fibræ a corporibus valde acutis, aut maiore vi incurrentibus inclementius premuntur, tenduntur, vel omnino dividuntur, & lacerantur; quo caſu ſpiritus animales non ſolum maiore impetu verſus commune ſenſorium moventur, ſed ſiqua ruptura eſt facta, extra limites excurrunt, & maiorem fibrarum ſeriem usque ad cerebrum hoſtiliter irritant.

V. *De paſſionibus.* Pro varia corporis conſtitutione, quæ ab ætate, ratione victus, aeris temperie, aliisque plurimis cauſſis materialibus pendet, mens humana ad alios, atque alios adfectus, & perturbationes proclivior eſt, nunc ad tædium, iram &c. nunc ad amorem, lætitiam &c. Siqua ſanguinis, & fluidi nervei agitatio ſit præter ordinem, in anima quoque perturbatio cogitationum, & idearum confuſio oritur. Huc indoles naturalis, ac temperamenti ratio pertinet. Eſt enim *indoles* generatim diſpoſitio, vel proclivitas ad certi generis adfectus præ aliis concipiendos, eaque *naturalis*, quæ ex ipſa hominis natura pendet: *habitualis*, quæ exercitio & actibus certorum adfectuum ſæpius repetitis quacunque ex cauſſa, acquiritur: *actualis*, ſi præſens hominis ad certos adfectus diſpoſitio ſpectatur. Indoles naturalis diverſæ cerebri, & organorum ſenſoriorum diſpoſitioni, ac temperamento texturæ nerveæ, & humorum corporis reſpondet. Nam ex organorum, ner-

nervorum, & humorum conſtitutione pendet tum maior claritas ſive intenſio in ideis ſenſuum, & phantaſmatis, tum facilior, citiorque commotio ſanguinis, & humorum, in quo proclivitas ad adfectus certi generis conſiſtit. Hinc etiam homines diverſarum nationum fere diverſam, ac talem habent naturalem indolem, quæ cum temperie cæli, ac ſoli indole congruit. Satis igitur patet, quomodo adfectus, & proclivitas ad eos concipiendos conſentiant cum adfectione, vel conſtitutione corporis.

*Ex numero I. Conieƈtura fieri poteſt de ſede animæ in corpore, quam in calloſa cerebri ſubſtantia ſitam eſſe, communior hac ætate Philoſophorum opinio eſt. Cel. de La Peyronie ( ut in Hiſt. Acad. Pariſ. ad ann.* 1741 *adnotatur ) homini, cui iam quædam cerebri pars exemta fuerat, digito leniter admoto ad ſubſtantiam calloſam omnem illico ſenſum abſtulit, qui amoto rurſus digito mox rediit. Admodum veriſimile autem eſt, ibi animam reſidere, ubi ſentit, & unde nervi ſenſationibus, & motibus ſpontaneis deſtinati oriuntur; quod fit in ſubſtantia calloſa cerebri. Hinc communiter exploſa eſt Carteſii ſententia, qui animam in Conario, ſeu glandula pineali collocavit.*

## §. XLII.

*In corpore humano motus complurium partium ſequitur ad nutum, ſeu volitionem animæ*, ita ut inter volitionem mentis, & motus corporis ſæpe nulla temporis differentia notetur, & ortus eorum motuum, duratio, intenſio, direƈtio, ceſſatio prorſus cum volitione animæ conſentiat ſola habita ratione ſtruƈturæ partium corporis; ſic motus cruris vi ſtruƈturæ retrorſum tendit, non antrorſum. Multæ adpetitiones, & averſationes mentis, perceptiones moleſtiæ, aut voluptatis coniunƈtæ ſunt cum ſignis externis, & mutationibus corporis, atque extraordinaria ſanguinis, & fluidi nervei agitatione, uti obſervatur in triſtitia, ira, amore &c. Si hæc adfeƈtuum mentis in corpus derivatio conferatur cum proclivitate ad certos adfeƈtus, quæ ex corporis conſtitutione oritur, ratio intelligitur, cur aliæ paſſiones dicantur *prævenientes*, quarum prima origo in corpore eſt; uti ſi corpore male adfeƈto tædium in mente, triſtitia

&c.

&c. oritur. Hæ præveniunt cognitionem mentis; aliæ *reflexæ*, quarum prima origo in mente eſt, eiusque cognitione quadam, & adpetitione, quam conſentaneæ, & harmonicæ mutationes in corpore, aliæ in iucundis, aliæ in moleſtis adfectibus, conſequuntur.

*Hæc quidem, atque alia generis iſtius ad commercium mentis cum corpore pertinent, quod nihil eſt aliud, niſi conſenſus mutationum corporis & operationum animæ; quem quidem experientia conſtans, & uniformis, certa atque evidens nobis exhibet. Experimur enim, cum his mutationibus corporis has & non alias coniungi operationes animæ, cum his operationibus animæ has & non alias coniungi corporis mutationes, ſive utrasque coexiſtere, vel tanta celeritate ſibi ſuccedere, ut nobis coexiſtere videantur. Quæritur modo, an corporis mutationes, quæ in ſolo motu partium materiæ conſiſtunt, reipſa quidquam conferant, ſeu Phyſice influant in perceptiones, aliasque indeliberatas animæ operationes, & anima viciſſim agat in corpus, in eoque mutationem, ſeu motum efficiat. Hæc realis dependentia mentis, & corporis ad phænomena commercii non pertinet, neque ex ſola experientia immediate nobis innoteſcit, quæ ſolum conſenſum operationum, non rationem, & cauſſam eius conſenſus oſtendit. Sunt autem tres diſcrepantes Philoſophorum ſententiæ de cauſſa, & ratione huius conſenſus, ſive commercii, e quarum numero unam aliquam certo veram eſſe debere, vulgo opinantur. Sic enim aiunt: Si bina horologia in horis deſignandis adcurate, & conſtanter conſentiant, eorum conſenſus oriri poteſt I. ab aſſiſtentia artificis, qui harmonice utrumque movet, ac dirigit. Hoc modo Carteſiani volunt, Deum in mente noſtra, ac corpore conſentientes, ſeu harmonicas mutationes efficere, ipſam vero mentem æque, ac corpus omni vi agendi carere. Atque hoc eſt* Syſtema aſſiſtentiæ, ſive cauſſarum occaſionalium, *quatenus Deus occaſione mutationum in organis factarum ab externis rebus ſenſationes in anima, & occaſione volitionum animæ conſentaneos in corpore motus propria actione efficit ſecundum generalem legem a ſe conſtitutam. II. Conſenſus duorum horologiorum oriri poteſt ex interna cuiusque ſtructura, quæ ad conſenſum ab artifice adcommodata eſt. Atque hoc modo Leibnitiani mentem noſtram automaton eſſe ſpirituale dicunt, quod vi interna, & ſerie non interrupta*

*omnes*

*omnes perceptiones, & adpetitiones citra ullam ad corpus relationem, vel dependentiam a corpore efficit, & ita efficit, ut quivis ſtatus præſens ſemper futuro gravidus ſit, uti aiunt, ſive ut in ſtatu mentis antecedente ſemper ratio ſubſequentis contineatur. Pariter corpus eſſe automaton materiale volunt, quod ob mechanicam ſtructuram, & vi interna omnes motus, etiam eos, quos voluntarios dicimus, continua ſerie ſine ulla ab anima dependentia reali producit. Harmoniam inter mutationes, vel operationes utriusque automati a Deo præſtabilitam eſſe volunt, quatenus is ex omnibus poſſibilibus corporibus tale ſelegit cuivis animæ, quod motus eiusdem perceptionibus, & volitionibus conſentaneos vi interna effecturum, per infinitam ſapientiam ſuam prævidit. Hoc igitur eſt* Syſtema harmoniæ præſtabilitæ. *III. Conſenſus horologiorum ex mutua & reali utriusque dependentia oriri poteſt, quatenus alterum ad alterius mutationes concurrit reipſa, & phyſice influit. Sic omnes ante Carteſium, & Leibnitium mentis perceptiones ab organis* revera *dependere, mentemque agere in corpus iudicarunt; quod eſt* ſyſtema influxus phyſici, *non craſſo modo intelligendum, quaſi vero ex corpore in animam, & ex anima in corpus quidquam influeret, vel transfunderetur, ſed quod unum ad alterius mutationes phyſice, & realiter quidquam conferat, quoquo modo id fiat.*

## §. XLIII.

Propoſitio. *Inter mutationes corporis, & actiones animæ vera eſt, & realis, & mutua dependentia,* ſpectando mutationes, & actiones eas, quæ ad phœnomena commercii pertinent, ac ſupra expoſitæ ſunt. Probatur 1. Facile quisque ſibi perſuadet, mentem humanam. quæ vi volendi, ac ſeſe determinandi, tum cognoſcendi, & attendendi prædita eſt, etiam vi movendi corpus pollere; neque enim hæc nobilior eſt vi electiva, & cognoſcitiva, quæ teſte ſenſu intimo menti competit. Idem comprobat adparatus nervorum, ac ſpirituum in corpore animali, fabrica organorum, ac cerebri, mira eorum ſubtilitas, textura, ac nexus; quæ corporis modificationes, uti ex ſe vim activam non habent, ita ad potentiam moderatricem, & activam adcommodatæ ſunt. Conſenſus autem operationum mentis cum corporis, & organorum ſtatu, & mutatio-

nibus

nibus tam arctus eſt, tamque conſtans, ut vim ſibi inferat, neceſſe ſit, & contra naturalem concludendi, & ratiocinandi facultatem agat, qui dependentiam realem mentis a corpore ſerio in dubium vocare velit. Quis enim vel ipſe ſibi perſuadeat talia: ſi ſolem video, nec lux, nec oculus quidquam reipſa conducit, ut perceptio ſolis in mea mente exiſtat: ſi vi, & ardore ignis, ſi vehementi contuſione, ſi acuto ferro corporis mei partes læduntur, nihil iſta læſio, vel corporis mutatio phyſice confert, ut perceptionem doloris habeam; ingurgitatio nimia potus, hauſtus veneni, aut potionis medicatæ nullum realem nexum cum mutationibus iis habent, quas homo ebrius, vel qui venenum hauſit, in ſtatu perceptionum, & adpetitionum ſuarum animadvertit: mutatio nervorum, ac ſpirituum non influit realiter in ſtatum mentis, qui obrepente ſomno, deliquio,delirio, phreneſi in ea obſervatur: ieiunium, refrœnatio ſenſuum, & corporis caſtigatio non plus conferunt ad moderandas animi adpetitiones, quam gula, ſenſuum illecebræ, & corporis blandimenta. Quotiescunque poſito A ponitur B, & variato A variatur B, vel ſublato A, etiam B tollitur, inter A, & B veram, ac realem dependentiam intercedere, concludimus, niſi manifeſta ratio obſit, vel utrumque a tertia cauſſa pendere palam fiat; ergo ex conſenſu mutationum corporis, & operationum mentis idem legitime concludendum eſt; quid enim obſtat? certe poſſibilis eſt ea dependentia, ita ut anima, etſi toto genere diſſideat a materia; tamen ob unionem cum corpore non niſi mutationibus organorum ad has potius, quam alias perceptiones determinetur, cum ad quamvis vi naturæ indifferens ſit, & illæ ab arbitrio animæ minime pendeant.

Prob. 2. Certum eſt, atque indubitatum (§.XL.n.II.) animam vere uniri cum corpore, veramque, & phyſicam hominis formam eſſe. Hæc unio etſi clare percipi a nobis non poſſit, tamen ſine reali & mutua dependentia nullo modo eſt conceptibilis; certe ob unionem fit, ut pro arbitrio corpus relinquere, & velut de ſtatione ſua decedere non poſſit: ut longe aliter adſit in corpore, quam nauta in navigio, aut rex in regno: ut, ſi corpus læditur, læſionem iſtam non cognoſcat duntaxat, uti nautà, ſiquid in navi frangitùr, id viſu

per-

percipit, ſed ut dolorem ſentiat, & male habeat. Si bina horologia ab adſiſtente artifice, vel ex ſtructura interna conſentiant ſine ulla alterius ab altero dependentia; quis ea connecti inter ſe, aut uniri dicat? Similiter ſi conſenſus mutationum corporis, & operationum animæ ab actione Dei, vel ex interna utriusque natura unice derivatur, vera quædam unio, ex qua unum compoſitum vivens proveniat, intelligi non poteſt.

*Obiici ſolet Primo: Intelligi non poteſt, quomodo anima agat in corpus, idque moveat impellendo ſpiritus in nervos, & muſculos, ut motus ſequatur; cum eos nervos, & muſculos minime cognoſcat. R. Si clare intelligi nequit, quomodo anima agat in corpus, propterea negari minime poteſt, quod revera agat; ſunt enim diverſæ quæſtiones: an, & quomodo mens agat? quia intima natura animæ, tum etiam corporis, eiusque elementorum, & admiranda illa utriusque copulatio, ſive unio nobis clare cognita non eſt; idcirco modus actionis animæ in corpus, vel dependentiæ realis eiusdem a corpore concipi a nobis minime poteſt; Nec tamen id obeſt, quo minus omnes homines, qui de hac re philoſophantur citra præiudicium Sectarum, animam vere agere in corpus perſuaſiſſimum habeant; Si enim intelligere, ſi velle poteſt, ſi domina eſt actuum ſuorum; cur corpus, cui conſervando, ac regendo præeſt, movere haud poſſit? quapropter cum nihil adferant Sectæ contrariæ, quod actionem mentis in corpus magnopere incertam faciat, pro ea ſtandum videtur eſſe ſecundum communem opinionem. Ut anima cognoſcat ſtructuram organorum, quæ movet, neceſſe haud eſt; non enim ea motio a ratione pendet, ſed ob unionem, eum motum natura omnia animalia docuit præſertim accedente cognitione quadam experimentali, ſeu potius uſu, quo deficiente infantes ægre greſſum figunt membris ſatis etiam roboratis; Quemadmodum igitur is, qui internam ſtructuram organi muſici ignorat, ipſa experientia diſcit, quis ſit claviculus impellendus, ut requiſitus ſonus ſequatur: ſic idem in motu membrorum contingere arbitror. Secundo. Multo difficilius captu eſt, quomodo anima a corpore pendeat in operando; quid enim? an corpus agit in animam, quando eam determinat ad ſenſationem? vel qualis eſt hæc dependentia? Rdeo Eodem prope modo, ut ſupra. Modus huius determinationis, vel dependentiæ latet, quia intima conſtitutio naturæ tum mentis, tum corporis, tum unionis occulta eſt, & ab intelligentia*

*tia noſtra penitus remota. Sed inquies: Si motus organorum mentem determinat ad perceptionem, corpus agit in animam, quia determinare eſt agere; R. Determinare ſine dubio grammaticis eſt vox activa; at non poteſt ex ſenſu grammaticali, vel ex determinatione illa, quæ inter corpora intercedit, continuo vera actio organorum in mentem concludi; neque enim poſita hac vera actione mitigatur difficultas. Actio corporis, vel organorum in ſolo motu, vel niſu ad motum ſita eſt, & effectus motus non niſi motus, vel niſus ad motum, vel alius partium ſitus, & compoſitio eſt. Porro motus, vel niſus ad motum, ſi eum effici in anima a corpore ponas, longiſſime a perceptione diſtat. Fac enim, animam a corpore eiusmodi modificationem, quæ in motu, vel niſu ad motum conſiſtit, recipere, ac dein vi interna conſciam eſſe huius modificationis; ideone intelligi poteſt, animam percipere obiectum ſenſibile, præterea dolorem, & voluptatem? Nulla eſt in motu, niſi celeritatis, & directionis differentia; at in ſenſationibus quanta variatio, quanta diverſitas eſt? in concurſu plurium motuum, alius compoſitus oritur; diverſæ ſenſationes haud in unam combinantur. Quapropter præſtat, opinione quidem mea, ignorantiam fateri, quam hypotheſes fingere parum conſentaneas, atque, ut ita dicam, honorificas naturæ intellectivæ, & ſpirituali, atque ex ideis corporum de mente philoſophari „Sine temeritate, inquit Ioann. Clericus in Pneumatologia, definiri non po-„ teſt, qua ratione alterum ab altero (mens, & corpus) ad-„ fici poſſit, vel non poſſit; nihil tutius animo occurrit can-„ dida ignorantiæ noſtræ profeſſione.„ Mens noſtra vi unionis pendet ab organis in operationibus iis, quas paullo ante recenſui: in aliis non pendet proxime, & immediate* (§. XLI.) *Si quæras, qualis ſit iſta dependentia, & an corpus propterea agat in animam? Rdeo ex defectu idearum id decidi non poſſe; nam actionis idea vel continet motum, vel cogitationem, & volitionem in mente intellectiva: corpora igitur ſpectatis ideis noſtris alterius actionis capacia haud ſunt, niſi quæ motum involvit: tali autem actione ſive motu nondum mens determinari ad perceptionem intelligitur: igitur ſpectatis ideis corpus non agit in animam; eam tamen determinat quocunque modo, ſive anima ob unionem motu organorum ita adficitur, ut vi interna ipſa in ſe ideas & perceptiones producat. Sunt Philoſophi quidam hoc ævo, qui de elementis materiæ vi attrahendi, & revellendi prædi-*

*tis pro ratione quadam diſtantiarum, ita ſtatuunt: elementum A non agit in elementum B diſtans; ſed hoc elementum B duntaxat ad celeritatem, & directionem determinatum ab A, ipſum ſe movet. Certam diſtantiam adpellant conditionem, qua poſita magis, vel minus, hac vel oppoſita directione elementa moveantur. Fateor hæc mihi videri incomprehenſibilia. At cum mens noſtra penitus differat a materia, & altioris ordinis ſit, ſuſpicor, ob unionem poſſe eandem a materia determinari, quin vera actio materiæ in mentem propterea concedenda ſit. Erit igitur corpus inter, & animam mutua, & realis dependentia, non vero mutua actio.*

## §. XLIV.

Si ob phænomena commercii, & conſenſum mutationum corporis, & operationum mentis mutua, & realis dependentia vix ſerio in dubium vocari poteſt, ſequitur, ut hypotheſis Carteſiana de actione Dei, & Leibnitiana de mechaniſmo mentis, & corporis, qui pariter a ſolo Deo ad harmoniam adaptatus eſt, per ſeſe ruant; utrinque enim nulla vera, ac realis dependentia, nulla vera unio, ac ne ulla quidem phænomenorum ratio ſufficiens poteſt concipi; quæ eſt enim hæc philoſophia, ſi, cum explicatio phænomenorum petitur, non aliud reſpondeas, niſi Deum lege ſibi præfixa iſtuc efficere, vel ab interna natura mechanica effectum pendere, etſi quomodo pendeat, intelligi nequeat. Sed utrique hypotheſi multa adverſantur. Si, ut Carteſiani volunt, nulla vis activa ineſt in cauſſis ſecundis; nec vita, nec libertas inerit in mente noſtra; repugnat enim ideis vitæ, ac libertatis, ut anima per vim, & actionem alienam cogitet, velit, vivat. Leibnitiani, qui rationes ſufficientes perpetuo iactitant, omnem reipſa tollunt rationem ſufficientem; nam perceptionum nulla in mutatione organorum, ſæpe nec in perceptione, vel ſtatu mentis antecedente ulla eſt ſufficiens ratio. Siquis, ut Ant. Genuenſis ait, lexicon ſumat in manus, variasque excitet ideas vocibus reſpondentes, quæ nullam inter ſe omnino connexionem habent, uti ſi legat: Aaron, Ariſtides, Ariſtippus, Auerroes, Buſiris, Bucephalus &c. ideæ exiſtent in nobis, quarum nulla eſt in in hypotheſi Leibnitiana ſufficiens ratio; Quis enim adeo ine-

ineptit, ut dicat rationem ſufficientem notionis Ariſtidis eſſe in perceptione ſummi ſacerdotis Aaronis, Ariſtippi notionis in Ariſtide, Auerrois in Ariſtippo. Sunt, inquiunt Leibnitiani, rationes ſufficientes, quas non pervidemus. Scilicet ita ludere cum pueris potuit Pythagoras, ut iis una eſſe ratio: *ipſe dixit.* At Philoſophis, ut nova doctrina perſuadeatur, rationes ſaltem probabiles reddendæ ſunt, quas illi intelligant, & probent. Eadem Leibnitiana hypotheſis ad Idealiſmum, & Egoiſmum veluti viam ſternit; quo modo enim vel exiſtentia corporum, vel aliarum mentium evinci poterit, ſi mens noſtra vi ingenita omnium rerum, etſi reipſa non exiſterent, producit ideas? In ſyſtemate Harmoniæ præſtabilitæ, inquit Wolfius Pſych. Rat. §. 613. *anima vi ſibi propria producit omnes ſuas perceptiones, & adpetitiones continua ſerie.* §. 614. *perceptiones, & adpetitiones in anima eodem, quo nunc, modo conſequerentur, etiam ſi corpus non exiſteret, conſequenter etiam anima eodem, quo nunc, modo ſibi repræſentaret hoc Univerſum, etiamſi mundus adſpectabilis non exiſteret.* Denique nulla eſt actuum internorum, nulla externorum vera libertas in hac hypotheſi; nam perceptiones, imo adpetitiones quoque, quo nomine etiam volitiones veniunt, determinantur ex natura animæ, & continua ſerie ſeſe conſequuntur: Motus corporis quicunque, quos voluntarios dicimus, ex ſtructura mechanica ita proveniunt continua ſerie, ut quivis motus antecedens rationem ſufficientem ſubſequentis contineat: perinde ergo motus pedum, manuum, linguæ neceſſarii ſunt, ac motus cordis, arteriarum, ſanguinis, ac motus indicis in horologiis, qui mechaniſmo determinatur. Fruſtra igitur præcipies, ut quis ſenſus refrænet, membra recte, & decore componat, ad pericuioſa loca non adeat, ebrietatem fugiat &c. Quia *hi* motus in *hoc* corpore duntaxat ex interna ſtructura determinantur; etſi abeſſet omnis anima a corpore. *Archimedes,* inquit Wolfius Pſych. Rat. §. 637: *tam ſublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris ſuis expoſuiſſet, librosque ſingulos eodem, quo conſcripti ſunt, modo ſcripſiſſet, etiamſi nulla ipſi fuiſſet anima.*

*Libertatem tueri ſe Leibnitiani profitentur; ſed non ſpectandum eſt, quid dicant, ſed quid convenienter opinioni ſuæ poſſint, ac debeant dicere. Si vi ſtructuræ contingunt quicun-*

*que motus, eos ponere, vel non ponere anima in poteſtate non habet, neque ulla potentia proxima completa ad utrumlibet oppoſitorum indifferens, conſequenter nec ulla libertas veri nominis concipi in hac hypotheſi iam poteſt. Dicunt: anima libera eſt ad hos, illosve motus volendos, vel non volendos; ac Deus vi præſcientiæ tale eidem corpus adaptavit, in quo motus mechanici volitionibus animæ prævifis reſponderent, ita, ut, ſi anima alios voluiſſet motus eligere, aliud corpus fuiſſet nacta.* R. 1. *Nec volitiones eſſe liberas, ſupra dixi, præſertim ſi principium rationis ſufficientis eo, quo Leibnitiani volunt, modo ad libertatem pertinet; perceptio enim ratio ſufficiens eſt volitionis: eadem ex natura mentis determinatur: igitur volitio quoque ex natura, non arbitrio pendet.* 2. *Sit volitio libera: at poſitio motuum, vel omiſſio, utpote ex ſtructura proveniens, iam libera non eſt; & ſi anima alios voluiſſet motus eligere, aliud fuiſſet corpus nacta, ſed quod eadem neceſſitate produxiſſet motus ſuos. Quid eſt hoc aliud, niſi libertatem ponere in indifferentia obiectiva, non reali ſubeundi aliquam neceſſitatem libertati oppoſitam? Satis de hoc commercio, & univerſe de natura humanæ mentis a me dictum arbitror, qua cognita de origine eiusdem ſtatui quidpiam demum poteſt. Diſputatum eſt omni ævo de ortu eiusdem magna opinionum varietate, Eas Hieronymus recenſet* 2. *T. edit. Mariani Victorii Reatini* p. 304. *Epiſt*, 82. „ *Super animæ ſtatu memini veſtræ quæſtiunculæ, imo maxime eccleſiaſticæ quæſtionis: utrum lapſa de cælo ſit, ut Pythagoras Philoſophus, omnesque Platonici, & Origines putant: an a propria Dei ſubſtantia, ut Stoici, Manichæus, & Hiſpaniæ Priſcilliani hæreſes ſuſpicantur: an in theſauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Eccleſiaſtici ſtulta perſuaſione confidunt: an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora, ſecundum illud, quod in Evangelio ſcriptum eſt: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinarius, & maxima pars occidentalium autumant.* „ *Ne abſurditas plerarumque eiusmodi opinionum ipſo tempore emoreretur, Leibnitius effecit docens, omnes animas tum animantium, tum ſingilatim & hominum ſimul cum mundo conditas, & in corpuſculis organicis incluſas fuiſſe. Wolfius etiam rationem quandam eius opinionis adferre conatus eſt; Deus, inquit, die ſeptimo a creando ceſſaſſe legitur: unde Theologi*

*logi recte colligunt, quod hodie nihil amplius creet, ſeu ex nihilo producat, Sed quinam ſunt iſti Theologi? Quæ Theologorum in Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. fuerit ſententia, ex his eorum verbis liquet: „Animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine „ ſingulariter eſſe multiplicabilem, multiplicatam, & multiplicandam.„ Deus ceſſavit ab operando, quia novam rerum ſpeciem non iam creat, non quod nihil agat penitus. Quapropter cum nulla ſufficiens ratio præexiſtentiæ animarum adferatur, & aliæ opiniones ipſa abſurditate ſe convellant; communi opinioni, quæ maxime ad veritatem accedit, inhærendum eſt, animam humanam a Deo creari, & cum corpore coniungi tum, quando huius organa ad obeundas quasdam actiones vitales ſatis diſpoſita ſunt.*

Digitized by Google

# LIBER IV.
# THEOLOGIA NATURALIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

## PROOEMIUM.

*SI nulla homini cauſſa eſt philoſophandi, niſi ut beatus ſit ( quemadmodum ex VV. ſententia Auguſtinus animadvertit de Civ. Dei L. XIX. c.* 1. *) omnium Philoſophiæ partium facile princeps ea cenſeri debet, quam in præſenti auſpicamur, Theologia Naturalis, ſive ſcientia, quæ in Deo rebusque divinis contemplandis verſatur. Hæc enim de pulcherrima illa, atque infinita Mente, cuius cognitione amoreque omnis noſtra nititur beatitas, pertractat; hæc eius exiſtentiam ita ponit ob oculos, ut ex cognitione noſtri ipſorum, rerumque creatarum, quæ identidem in ſenſus noſtros, & animum incurrunt, ad Creatorem pervenire cogitando facile diſcamus; hæc divinas perfectiones nobis exponit, ut, cum de Divinitate cogitamus, mox intimo venerationis ſenſu, eoque ſuaviſſimo mens perſtringatur; hæc providentiam Numinis quaquaverſus pertinentem, quæ omnis tranquillitatis in hac vita veluti baſis, & fundamentum eſt, ab inſaniſſimo, ac periculi pleno errore Epicureorum & Novorum, & Veterum vindicat; hæc denique religionis naturalis, & naturalium legum fontes quodammodo detegit, quibus quidem apertis in Practica Philoſophia multo tutius verſari, longiusque progredi queas. Non*

*otioſa ulla ſpeculatio, non diſceptationes ſcholaſticæ, ſed fœcundiſſimæ, graviſſimæque doctrinæ explicandæ hoc loco ſunt, quibus, ſi parum imbutus ſit animus, celeriter in turpiſſimos errores abripiatur philoſophando, & longiſſime a ſapientia diſcedat, neceſſe eſt, quoniam, uti S. Thomas obſervat contra Gentes L. I. c. 1. Sapientis eſt, veritatem de primo principio meditari. Sed de Deo quidem, divinisque rebus, ut invenire facile eſt, quæ dicas; ſic ex inventorum copia, quid potiſſimum eligas, difficile eſt ſtatuere; tam copioſa enim, & tam late diffuſa earum tractatio eſt, ut in orationis anguſtias cogere tot rerum præſtantiſſimarum affluentem copiam, non ſolum multum operæ, ſed & moleſtiæ non parum, & doloris adferat. Quapropter demonſtrationum potius fundamenta, quam demonſtrationes ipſas exponere pauciſſimis verbis, maximeque perſpicuis conatus ſum. Analyſin earundem eo deduxi, ut, ſiquis recte attenderit, non modo convincatur penitus de ſummis veritatibus, ſed evidentiæ luce quadam perfrui queat. Quæ opponi iisdem videbantur poſſe ab illis, qui vim ſententiarum, aut conſequutiones tardius penetrant, vel data opera dubitant Scepticorum more, ea ſic exponere adlaboravi, ut & propoſitum dogma, & dogmatis diductio, & diductionis ultima ratio, ſi neceſſarius meditandi labor non torpeſceret, demum perſpiceretur. Ob hanc cauſſam, cum demonſtrationum vis, doctrinæque ſoliditas in perſpecto rerum nexu maxime conſiſtat; ea, quæ re, & veritate connexa inter ſe erant, etiam tractatione coniunxi; inde factum, ut in longum excreſcerent non nulli Paragraphi, & in plures numeros, ceu totidem articulos membri unius dividi debuerint. Nempe tractationis ordo, ac methodus ſubiectæ rei adcommodanda eſt, non res ipſa præconceptæ methodo. Propoſitionum quidem ingente numero, ſi ſuis quæque argumentis, uti oportet, confirmantur, attentionem diſtrahi neceſſe eſt, ut, nec quod caput ſit rei, videas, & diductionis ſeriem, nexumque haud paulo difficilius deprehendas. Non fuſa oratio eſt, non explicatio longa argumentorum, vel copia eorundem, ſed adcurata, intentaque meditatio, & perveſtigatio rei, & crebra exercitatio, quæ doctrinæ profundioris, veræque ſapientiæ compotes nos efficit. Quam ob rem ei rationi ſcribendi inſiſtentes, quam propoſitæ rei maxime adcommodatam indicavimus, Platonis nunc quidem verba L. X. de legibus*

*gibus uſurpabimus :* „ *Age vero illud orationi noſtræ ſub-*
„ *ſternamus primordium ; quandoquidem nobis eſt inſtitu-*
„ *tum, docere, Deum eſſe, maiore ſtudio & diligentia.*
„ *Deus eſt a nobis, quam unquam antea invocandus. His*
„ *quaſi vinculis, & retinaculis firmati hanc orationem in-*
„ *grediamur.* „

# CAPUT I.

## *De Exiſtentia Dei.*

*Cum exiſtentia Dei demonſtratur a Philoſophis, primo definitione nominali ſumuntur notæ quædam, ſeu prædicata, quæ cum hac voce:* Deus, *coniunguntur. De nota prima, & eſſentiali, ex qua alia attributa, ſeu perfectiones derivantur, poſtea fit diſquiſitio; neque enim vera, & realis eſſentia quarumcunque rerum cogitantibus nobis prima ſe offert.* Deus *igitur* eſt natura abſolute neceſſaria, a toto mundo diſtincta, ſummo intellectu, & potentia pollens, a qua res aliæ omnes totius mundi effectæ ſunt. *Analyſis demonſtrationis, quæ de exiſtentia huius Entis fit, mox ad evidentiſſima, & inconcuſſa principia deducitur, quæ de nexu rerum ſtabilita ſunt in Philoſophia prima. Quoniam vero ea demonſtratio ex rebus creatis petitur, contra Idealiſtas quoque, & Egoiſtas agendum eſt, non quod hominum iſtorum inſania mentione quadam, & refutatione magnopere digna videatur, ſed ut perſpicuum fiat, quam facili quivis ratiocinio ex ſui ipſius cognitione in cognitionem ſummi Entis veniat. De conſenſu humani generis, ne idem iterato dicendum ſit, infra differemus.*

### §. I.

Propoſitio : *Exiſtit Deus.* Abſolutiſſima demonſtratio ſummæ veritatis paucis verbis abſolvitur :

I. *Extant entia contingentia; ergo etiam Ens abſolute neceſſarium exiſtit.* Concluſio argumenti explicata eſt in Philoſophia Prima ; unde evidens eſt, eam eſſe contingentiam rerum mundanarum tum quoad ſtatum earum, modumque exiſtendi, tum quoad ipſam exiſtentiam entium ſimplicium mundum conſtituentium, ut determinatio cuiusvis ſtatus, & exiſtentiæ abſoluta neceſſitate connectatur cum Ente, quod ex ſe, & vi ſuæ eſſentiæ vim determinandi habet, neque aliunde accipit, vel accipere poteſt ; quia abſolute repugnat exiſtentia, vel poſſibilitas actu exiſtendi ſine abſoluta, adæquata, & ultima ſufficientia exiſtendi, ac proinde etiam penitus

tus repugnat effectus ſine cauſſa adæquata, ens dependens ſine independente, determinatum ſine primo determinante, contingens ſine neceſſario, motus quicunque ſine primo motore. In natura quidem corporea, omnia aguntur, & conſervantur motu; quo ſublato omnis ordo totalium corporum, viciſſitudo temporum, alternatio dierum, & noctium, vita animalium, vegetatio plantarum, quæque ſenſus adficiunt, ceu lux, ſonus &c. illico tollerentur. Cum igitur materia ſit iners, ac de ſe in quiete concipi poſſit: ad omnem quoque celeritatem, directionem, diſtantiam &c. penitus ſit indifferens; perſpicuum eſt, eam Primo Motore, & Cauſſa incorporea, & intellectiva, quæ alium præ alio motum elegerit, & certa ratione determinarit, indigere.

*Quæ reſponderi ab Atheis poſſunt, facile diluuntur ex principiis in Phil. Prima explicatis. Fruſtra iidem in tenebris infiniti latibulum quærunt. Nam evidentiſſimum eſt: 1. Sine ſufficientia abſoluta, ultima, & adæquata nulla entium ſeries, ac ne unicum quidem ens abſolute exiſtit; neque alia poni poteſt, niſi hypothetica exiſtentia, ſive quod eſſet exititurum ens quoddam*, ſiqua daretur eius ratio ſufficiens. 2. *Hæc ſufficientia abſoluta, ultima, & adæquata in nullo effectu, in nulla cauſſa media, in nulla ſerie effectuum, vel cauſſarum mediarum poteſt reperiri; & quemadmodum ſingula entia vi eſſentiæ ſuæ penitus ſunt inſufficientia; ita erit & tota ſeries; quia additione plurium eſſentia immutari nequit; neque vero multiplicando negationes ſeu inſufficientias quæpiam poſitiva ſufficientia obtineri poteſt, ſicut forte in Algebra, ſi quantitates negativæ in ſe ducuntur, valor poſitivus prodit. Non enim quantitates negativæ ceu meræ negationes ſpectandæ ſunt, ſed uti veræ quantitates contrariæ iis, quas poſitivas vocamus. His perſpectis principiis facillimum eſt hypotheſin Spinozzæ convellere P. II. Ethic. Prop.* 13. *Lemn.* 3. *ita differentis: „ Corpus motum, vel quieſcens ad motum, „ vel quietem determinari debuit ab alio, quod etiam ad „ motum, vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud „ iterum ab alio; & ſic in infinitum. „ Certe determinationes mediæ ſtatuum ſine determinatione prima non exiſtunt abſolute, nec omnino exiſtere poſſunt, quia abſolute repugnat, ut determinabile, ac determinatum ſine determinante, atque id, quod contingens eſt, & ab alio pendet,*

*det, ſine Ente, quod contingens non eſt, & ab alio non pendet, unquam reipſa exiſtat. Sufficientia abſoluta exiſtendi ſive unius ſive infinitorum entium contingentium ſine Ente Neceſſario, & independente nulla eſſe poteſt; eo autem poſito ratio habetur rerum omnium, eaque ſufficientiſſima, ita, ut omnis rationum indagatio finem habeat; quia cauſſa indagandi eſt ſola rerum inſufficientia: hac ſublata etiam illa tollitur.*

## §. II.

### Declarantur Quædam Dubia.

I. *Admiſſa ſubordinatione cauſſarum, quæ in infinitum progreditur, ad Primum perveniri non poteſt; ergo cauſſa, vel determinatio prima demonſtrari nequit.* R. d. a. Ad Primum perveniri non poteſt intra ſeriem, & in ſubordinatione cauſſarum ſimilium, c. a. Ad Primum extra ſeriem perveniri non poteſt, & in ſubordinatione cauſſarum diſſimilium, & diverſo modo agentium, n. a, &c. Eſt quædam *ſubordinatio cauſſarum mediarum, quæ omnes inter ſe ſimiles ſunt*, & una idea continentur, proindeque inſtar unius ſpectari debent. Hanc ſubordinationem Veteres dixerunt *accidentalem*, quia ſublata quavis eiusmodi cauſſa ſubſtitui alia poteſt, quæ tantundem præſtaret, quam cauſſa reipſa interveniens; haud ſecus, ac ſublato uno catenæ annulo alius poteſt ſubſtitui. Eiusmodi cauſſæ ſeu finitæ ſint, ſeu infinitæ, relate ad effectum cauſſæ ultimæ ſunt inſtar unius principii, quia eodem omnes modo operantur relate ad effectus immediatos, ac mediatos. At demonſtratum eſt Atheo, aliam præterea *ſubordinationem cauſſarum eſſentialem* eſſe admittendam, ita, ut vis activa, qua effectus ultimus a ſua cauſſa proxima traducitur a non eſſe ad eſſe, abſolute nulla eſſet, niſi poſita quadam cauſſa, cui alia ſimilis ſubrogari nequit, nimirum neceſſaria, quæ vim agendi, & determinandi in eſſentia ſua continet, nec aliunde accipit; quæque independens eſt, ac diverſo, & nobiliore modo influit in effectum. In tali igitur ſubordinatione effectus ultimi, cauſſæ mediæ, ac cauſſæ primæ locum non habet progreſſus in infinitum, cum ea ſeries utrinque claudatur terminis, nempe hinc effectu contingente, inde cauſſa neceſſaria; imo ſpe-

ſpectata notione effectus contingentis ne quidem cauſſa media abſolute requiritur, cum is a ſola cauſſa neceſſaria eſſentialiter pendeat. Manifeſtum igitur eſt, poſita quavis ſerie infinita cauſſarum mediarum, quæ Atheis permittitur, in quærenda ratione ſufficiente effectus ultimi nullam fieri, nec fieri poſſe progreſſionem in infinitum. Hinc Ariſtotelici Veteres, etſi æternitatem generationum, ſive cauſſarum mediarum admiſerint, tamen aperte negarunt, in cauſſarum inveſtigatione fieri progreſſum poſſe in infinitum, quia non poſito primo principio nihil actu exiſteret. Aristoteles Metaph. L. XII. text. 29, 30. Similiter Platonicos indicaſſe, multis eorum locis palam fieri poteſt; ut adeo binæ Philoſophorum familiæ patritiæ dudum hanc viderint lucem veritatis, cui Athei tenebras infiniti obtendere conantur. Hæc ad progreſſum, ut vocant, *rectilineum* pertinent, quando in ſerie ſemper recta proceditur ad alia atque alia diverſa entia. Progreſſus *circularis*, quo ad idem ens reditur, per ſeſe aperte repugnat, cum nihil ſui cauſſa vel mediata, & immediata eſſe poſſit. (Phil. Prim. §§. XXIX. XXX.)

II. *Etſi ſingula ſint contingentia, tamen tota ſeries, vel ſpecies entium includit abſolutam exiſtentiam.* R. Singula non includunt, ac vi eſſentiæ nec poſſunt includere abſolutam exiſtentiam: igitur nec tota collectio; neque enim additio plurium eſſentiam rerum tollit. Si abſoluta exiſtentia conveniret ſpeciei, eadem ceu ratio ſpecifica ineſſet in ſingulis; quod apertiſſime repugnat.

III. *Mundus a tota æternitate erat talis, qualis nunc eſt: ergo principium, vel cauſſam a ſe diſtinctam non habet.* R. Quocunque tempore mundus abſolute ponitur exiſtere, eſſentialiter requirit cauſſam primam, uti abunde demonſtratum eſt. Qui in hunc modum concludunt: mundus eſt æternus, ergo non eſt dependens; ſupponunt, æternitatem pugnare cum dependentia; ac tum invertam: mundus eſt dependens: igitur non eſt æternus. Illud maxime perſpicuum eſt; iſtud paullulum obſcuritatis habet. Antiqui Philoſophi, uti Pythagoras, Plato, Xenocrates, Ariſtoteles, etſi æternum fecerint mundum, non tamen fecerunt independentem, atque exiſtentem a ſe; quod non modo Huetius in Alnet. quæſt.

quæſt. & Clarkius, ſed VV. quoque Patres obſervarunt. S. Augustinus L. X. de civit. Dei c. 31. ait: *Sicut*, inquiunt, *ſi pes ſemper fuiſſet in pulvere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium: quod tamen veſtigium a calcante factum nemo dubitaret; nec alterum altero prius eſſet, quam alterum ab altero factum eſſet; ſic & mundus, atque in illo dii creati & ſemper fuerunt, ſemper exiſtente, qui fecit, & tamen facti ſunt* Vid. S. Thomas I. part. q. 46. Art. 2. ad 1.

## §. III.

Argumentum II. De Exiſtentia Dei. *Perfectio & ordo compoſitus, ac permanens rerum mundanarum evidentiſſimo indicio eſt, quemdam illius effectorem exiſtere, eumque ſummo intellectu, & potentia pollere;* repugnat enim, ut ea perfectio, atque is ordo rerum caſu, & fortuita atomorum agitatione extiterit (Phil. Prim. §. XLIV.) vel ut effectus ſine cauſſa ſit, aut cauſſam perfectione ſuperet (ibid. §. XXVII. XXVIII.) Cauſſæ finales rerum, quæ in perfectione, & ordine compoſito involvuntur & in contemplatione mundi ubique ſeſe produnt (ibid. §. XXXV.) cauſſam rerum efficientem faciunt manifeſtam; non enim aliter influit finis in opera, niſi movendo cauſſam effectricem operum.

*Hoc argumentum mirifice illuſtratum eſt a ſummis Philoſophis, & oratoribus, qui exiſtentiam Dei ex contemplatione non modo totius mundi, ſed particularium mundi corporum demonſtrarunt, alii ex formatione fœtus humani, alii ex oculo hominis, alii ex aure, ex corde, loquela, manu &c. Newtonus in hunc finem præcipue uniformitatem motus cæleſtium corporum, & admirabilem ſtructuram animantium, earumque organorum commendat. Mirandum ſane eſt, Cl. Maupertuis binis hiſce Newtoni demonſtrationibus acquieſcere haud potuiſſe, atque adeo illas infirmare fuiſſe conatum. Sed futiles illius cavillos haud ægre retundes ex iis, quæ in Phil. Prima Sect. 11. c. V. dicta ſunt. Eaſdem palam fecerunt PP. Trivultiani in Ephemerid. ann. 1748. menſe Decemb, Art. 121. & ex iis eruditiſſimus P. Alphonſ. Nicolai Tom, 1. differt. & Lection. S. Script. Sæpe fit hominum ſocordia, neſcio, an nimia cura, occupationeque, quam commodis ſuis adhibent, ut admiranda Dei opera ipſo uſu, & conſuetudine quodammodo vileſcant. Si-*

*quod*

*quod inſigne artefactum cernimus, artificem admiramur, atque adeo incognitum diligimus: ſummi autem architecti obliviſcimur non raro. Eleganter Tullius L. II. de Nat. Deorum Ex Ariſtotele diſſerit: „ Si eſſent, qui ſub terra ſemper habitaviſſent bonis, & illuſtribus domicilis, nec tamen exiiſſent unquam ſupra terram; accepiſſent a fama, eſſe quoddam numen, vimque deorum: dein aliquo tempore patefactis terræ faucibus, evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent: cum repente terram, & maria, cælumque vidiſſent, adſpexiſſentque ſolem, eiusque tum magnitudinem pulcherrimam, tum eius efficientiam cognoviſſent, tum cælum totum cernerent aſtris diſtinctum, eorumque omnium ortus, & occaſus, atque in omni æternitate ratos, immutabileſque curſus; hæc, cum viderent, profecto & eſſe deos, & hæc tanta opera deorum eſſe arbitrarentur. - - - quis hunc hominem dixerit, qui cum certos cæli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa, & apta viderit; neque in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio geruntur, nullo conſilio adſequi poſſumus.„ Verum homo ipſe ſolus, etſi cætera deeſſent, invictum ſuppeditat exiſtentis ſupremi Numinis teſtimonium; ob quam cauſſam magnum miraculum is adpellatur a S. Auguſtino L. 10. de civit. Dei. c. 12. Unde enim corpus tam admirabili, ac plane ſtupendo extructum artificio? unde tot diſparia membra mutuo intextu concreta, & tam apte ad propria cuique munia diſpoſita, niſi a ſummo Conditore? quis oſſa, velut trabes, queis carnes ſuſtentarentur, conſolidavit? nervos, ac muſculos flexiles fecit ad motum? venas, arterias, velut tubos excavavit ad continendum ſanguinem, ne impotentius diffluat? quis ſanguinem, ac ſpiritus animales occultis canalibus per univerſum corporis habitum diffudit, ac circuire voluit ad vitam, & animationem? humores tam varios, ac pugnantes tam amice temperavit ad oris venuſtatem, & totius corporis ſanitatem? quis pellem, tanquam molle quoddam tegumentum ſupra omnes artus extendit ad ornatum, & defenſionem membrorum? cerebrum nec durum, nec omnino fluidum, ſed molle conſtruxit ad memoriam, rerumque ſpecies conſervandas? quis in vultu tam diverſa lineamenta depinxit, ut ſinguli & univerſi ſimiles videantur, & ſinguli tamen inter ſe diſſimiles inveniantur? quis denique tot organa tam mire*

*ad*

*ad nutritionem hominis diſpoſuit, niſi ſupremus, ac infinitæ virtutis artifex Deus? Mens vero hominis tot facultatibus inſtructa ad intelligendum, & cognoſcendum, tot dotibus ornata ad bene, beateque vivendum, unde? niſi a ſuprema intelligentia? „ Neſcio, qualiter in utero meo adparuiſtis, dicebat ſeptem Machabæorum mater; neque enim ego ſpiritum, & animam donavi vobis, & vitam; & ſingulorum membra non ego ipſa compegi. „ L. II. Mach. c. 7. v. 22. Elegantiſſimus locus alius, & argumento ſuperiori maxime adcommodatus extat apud Minutium Felicem in Octavio a. n. 24. Maxime vero hoc argumentum illuſtrabit Phyſica, quæ tota in eo eſt, ut leges motuum, & mutationum, nexus ac fines, ordinem, & perfectionem rerum inveſtiget, & eruat.*

## §. IV.

Fuere, qui omnem fidem abrogantes ſenſibus externis, negabant ulla in mundo corpora extare, vel id quidem adcurate demonſtrari non poſſe aiebant, cum non niſi de ideis noſtris ope reflexionis certi ſimus: ideæ autem, & repræſentationes corporum in nobis eſſe poſſint, etſi nulla reipſa ſint corpora. Hos *Idealiſtas* vocarunt. Alii cum animadverterent, ſublata fide ſenſuum nec illud ſatis probari poſſe, plures humanas mentes eſſe in mundo, ultra progreſſi aiebant, id duntaxat certum eſſe cuivis: ego ſum; nihil præterea; Hinc *Egoiſtæ* ſunt adpellati. Utrorumque opinio a fanatismo nihil abeſt, ac fortaſſis fame, ſiti, cruciatibus citius confutaretur, quam argumentis; non minus enim certum eſt, alias præter me res exiſtere, (ut de creatis duntaxat loquar) quam iisdem me egere ad ſuſtentandam vitam, aut ob eas me dolore adfici, aut voluptate. Verum quia Philoſopho argumentis pugnandum eſt, ac demonſtratio quoque ſummi Entis ex ordine, & perfectione mundi adſpectabilis petita vacillare quibusdam videtur, ſi fides ſenſuum vocari in dubium queat, idcirco iſta res non penitus prætermittenda eſt. Quam ob rem veritatem ſenſuum, & corporum exiſtentiam inquirens Philoſophus ſic animo comparatus eſſe debet, ac ſi omnis adſpectabilis mundus e mundo eſſet ſublatus: ipſe ſolus, vel potius ſola mens ipſi relinqueretur, detracto etiam proprio corpore, ere-

ptis ſenſibus externis, ſolis ideis, & cognitionibus animi remanentibus, quibus exſpoliari profecto nequit; nemo enim ignorare poteſt, eſſe ſe quidpiam, ſui, rerumque aliarum conſcium, quod varias perceptiones, iudicia, & ratiocinia format, quodque mentem adpellat; & quoniam ſibi conſcius eſt, quasdam ideas in mente oriri, cum corpus, quod proprium vocat, a rebus extraneis adfici putat: alias, cum ſibi res extraneas olim perceptas opinione ſua, nunc abſentes repræſentat; hinc, etſi de exiſtentia proprii, & aliorum corporum dubitet; tamen diſcrimen quoddam idearum tuto adſignat, aliasque *ſenſationes*, alias *phantaſmata*, iterum alias *adventitias*, *factitias* alias adpellat.

*Ex communi hominum, vel naturæ ſenſu contra præfractos Idealiſtas, & Egoiſtas nihil recte confici opinor; quia communis hominum ſenſus exiſtentiam eorundem, ac fidem ſenſuum, quibus innoteſcit, ita includit, ut iſto in dubium vocato id quoque argumentum infirmetur. Neceſſario autem quivis Idealiſta ſequens probare debet, ſi ratione utatur, argumentum.*

## §. V.

Argumentum III. 1. *Aliquod ens a tota æternitate exiſtit:* 2. *proinde etiam ens independens ab alio a tota æternitate exiſtit:* 3. *id vero eſt ens a ſe; igitur ens a ſe exiſtit.* Primum membrum evidentiſſimum eſt, quia concipi non poteſt tempus omnium rerum penitus vacuum, & inane; ſi enim aliquando nullum ens extitiſſet, etiam deinceps nullum exiſtere potuiſſet, niſi aliquod ens ſine cauſſa efficiente prodiiſſet e nihilo, vel duo ſe mutuo produxiſſent; Utrumque manifeſto repugnat. Quapropter quia ex nihilo univerſali, ſive negatione omnium plane rerum nihil reale unquam exiſtere poteſt, patet veritas primi membri. Alterum æque perſpicuum eſſe debet cuicunque Sceptico. Si enim illud ens a tota æternitate exiſtens ponitur independens ab alio, conſtat aſſerto veritas: ſi dependens dicitur, id cum independente eſſentialiter connecti, ex demonſtratis liquet. Veritas tertii membri a veritate prioris ſeparari minime poteſt. Nam ens independens ab alio, ſufficientiam exiſtendi non habet ab alio: ergo ſibimetipſum ſufficit ad habendam exiſtentiam. Ex his proniſſimum eſt

cui-

cuivis ratione utenti concludere, idem Ens, quod a ſe exiſtit, a ſe, & vi eſſentiæ omnem poſſibilem perfectionem, ceu bonitatem, potentiam &c. habere, vi cuius & potuit mundum efficere, & non potuit creaturas ſuas per inanes, ac fallaces ideas perpetuo ludificare. Ergo (inferet quivis Scepticus, niſi contra ideas ſuas loqui, & conſcientiam prodere velit) exiſtit Ens a ſe, & exiſtit mundus, in quo tot exiſtentiæ Eiusdem, ac perfectionum luculentiſſima indicia deprehenduntur. Verum id quidem argumentum, quod Idealiſta ex ideis, quas de ordine, ac perfectione mundi habet, deducit, analyſi quadam videtur indigere. Sic igitur exiſtimo, eundem ex ſolis ideis neceſſario intelligere, easdem adventitias eſſe, ſive rationem illarum non contineri in mente ſua, verum in alio ente extra ſe. Nam in hunc modum ratiocinabitur: repræſento mihi mirabilem univerſitatem rerum, ac in tellure animalia, plantas, foſſilia, dein ſyſtema planetarium, ſtellas fixas innumerabiles, circumquaque res varias, pulcherrimas, mira perfectione, conſtanti ordine, communi nexu copulatas: has ideas cito, & facile ſola adhibita attentione nactus ſum, quemadmodum haud ingente labore ideas Æneidos Virgilianæ, & inventionum, quas Euclidi tribuo, ſum adeptus. Hæ igitur ideæ adventitiæ ſunt, earumque ratio in alio extra me ente continetur; neque enim tantum ingenii in me, & ſapientiæ ineſt, ut ipſe eas tam cito, & facile, & tanta perfectione effingerem, cum multo minora cogitata mea plus temporis, pluſque ſtudii requirant. Ex facilitate igitur, qua haſce ideas nactus ſum, earumque perfectione, eas adventitias eſſe, indubitato conficio. Porro utar hoc dilemmate: Si adventitiæ ſunt ideæ, earum ratio vel in ipſis rebus eſt, quæ ceu exiſtentes repræſentantur, & mutationem inducere videntur in corpore meo? vel ratio earum ens quoddam tertium eſt, a mente mea, rebusque repræſentatis diſtinctum? ſi primum: igitur præter mentem meam etiam corpus proprium, quod mutatur, & alia extra me corpora, quæ illud immutant, exiſtit; nam quod mutat, vel mutatur: quod agit, vel patitur, indubitato exiſtit; Si alterum: illud ens tertium eſſe ens ſummum, ſive Deum intelligo, cum enim hæ ideæ ſint archetypæ rerum quarundam ſeu exiſtentium, ſeu poſſibilium, cumque eadem per-

fectio, & idem ordo in iis inſit, qui ineſt in ipſis rebus, ſi exiſtunt; patet, ex ſola perfectione idearum ſapientiam, ac potentiam illius entis non minus demonſtrari, quam ex delineatione ædificiorum, machinarum perfectio artificis elucet. Hoc igitur modo ad Deum deducor ratiocinando ex ſolis ideis ( nec vero, dum res ipſæ exiſtunt, aliter de rebus, & conditione rerum, niſi ex ideis iudicare poſſum ) Abhorret autem a bonitate, & perfectione ſummi Entis, ut perpetuo ſolis ideis rerum nobis illudat: Ergo & res, & Conditor rerum evidenter exiſtit.

## §. VI.

### Opposita Argumenta.

I. *Ideæ in nobis fortaſſis efficiuntur ab alio ſpiritu creato, ſive genio bono, vel malo: ergo nequit ex iis inferri exiſtentia ſummi Entis*: R. 1. Hoc modo Egoiſta aliud præter ſe ens exiſtere, neceſſario concipit. 2. Ille ſpiritus, ſi non concipitur ut independens, & neceſſario exiſtens, ſaltem ad cognoſcendam exiſtentiam entis independentis, & neceſſario exiſtentis nos ducit, uti ſupra demonſtratum eſt.

II. *Phantaſmata exiſtentiam rerum non evincunt; quia profecto non neceſſario exiſtunt ea, quæ phantaſia nobis ſæpe obiicit: ergo neque ſenſationes rerum exiſtentiam evincunt.* R. Ideæ partiales, quæ in phantaſmate compoſito continentur, ſpectata origine æque adventitiæ ſunt, ac aliæ ideæ, quas immediate ſenſibus tribuimus, uti patet ex iis, quæ in Logica de origine idearum diximus ( §. LXIII. n. III. ) Id, quod phantaſia nobis obiicit, non neceſſario exiſtit, quia ideas ſenſuum vario modo combinare, vel diſtrahere poſſumus vi phantaſiæ. Cæterum triplex eſt inter phantaſmata, & ſenſationes diſcrepantia; nam *primo* Ideæ ſenſuum ſunt immediate adventitiæ, phantaſmata ſaltem mediate. *Secundo* ſenſationes exhibent res ceu exiſtentes; quia tum mutationes proprii corporis, tum res extraneas ceu cauſſas vel occaſiones præſentes earum exhibent; at phantaſmata non

ex-

exhibent res præſentes, uti cum noctu de ſole cogito. *Tertio* ſenſationes habent ordinem, & perfectionem, quam quævis phantaſmata, vel ſomnia non habent.

III. *Etiam phantaſmata rem velut præſentem exhibent; ſæpe enim in ſomno videmur nobis videre oculis, audire auribus &c.* R. Phantaſmata in homine ſanæ mentis non exhibent rem ut actu præſentem, ſed uti ea alio tempore percipiebatur actu præſens, & exiſtens; certe alia eſt perceptio, ſi manus in igne eſt reipſa, aut ſiquis actu vapulat; alia, ſi ſomniat, manum in igne eſſe, aut ſe vapulare. In ſomnio, vel delirio ratio velut ſopita eſt; at cum homo vigilat, ſe ratione uti, ignorare non poteſt; atque idcirco ſenſationes a phantaſmate ordinarie quidem certe diſtinguit, ſi ſufficiens claritas ideæ, & attentio præſto eſt; tum enim in iis, quæ ad guſtum, olfactum, tactum, vel auditum pertinent, idea ſenſualis cum phantaſmate vix aliquando confunditur; at quia per viſum plura in rebus diſtinguimus, & impreſſionibus iiſdem lucis a prima ætate adſueti ſumus, videtur eadem aliquando in nobis repræſentatio eſſe cuiusdam imaginis, ſive apertis oculis eam intueamur, ſive clauſis duntaxat imaginemur. Non poteſt tamen quiſpiam, ſi recte attendat ad cogitata ſua, ſæpe ac ſerio, & longiore tempore dubitare, apertisne oculis quidquam videat, an ſolum indulgeat phantaſiæ; imo qui ea, quæ ſenſu percipit, paſſim vocat in dubium, aut phantaſmata pro ſenſationibus habet, ſine dubio de ſtatu ſanæ mentis deiectus, ac morbo laborare, ſeu delirare cenſetur. Senſationes igitur a phantaſmate diſcernuntur ipſo iudicio experimentali, (præſertim ſi cum moleſtia, aut voluptate quadam coniunctæ ſunt,) tum vi rationis, & reflexione ad ſtatum noſtrum, rerumve aliarum. Sed abrumpenda eſt hæc animadverſio, ne longius a propoſito digrediar; videbatur tamen res tota ad hunc locum pertinere, ut explicaretur, qua ratione Idealiſta, vel Egoiſta in cognitionem ſummi Dei venire queat.

 CAPUT

# CAPUT II.

## *De Eſſentia, & Perfectionibus Dei.*

*Imbecillitas humani ingenii nos cogit, ut de eſſentia, diverſisque attributis Dei ſeparatim diſſeramus; in Deo enim nulla perfectionum ſeparatio, ſicut nulla compoſitio habet locum; quidquid in ſummo Ente ineſt, realiter, atque identice ipſa divina natura, & plenitudo eſſentiæ eſt.*

## §. VII.

Propoſitio I. *Abſoluta neceſſitas exiſtendi, ſive nota Entis A SE eſt id, quod conceptu noſtro eſſentiam Metaphyſicam Dei conſtituit.* Prob. In eo ſita eſt Metaphyſica eſſentia, quod maxime proprium eſt rei, quam conſtituit, eamque a quavis alia re in primis diſcernit: quod eſt ratio ſufficiens, & veluti radix attributorum rei: denique quod totum id complectitur, quod res eſt. Eiusmodi nota in Deo eſt abſoluta neceſſitas exiſtendi, ſive *Aſeitas*, ut aiunt. Hanc enim ſoli Deo competere, ipſa demonſtratio exiſtentiæ eiusdem nos docet, qua ex cognitione contingentium rerum ad ens neceſſarium deducimur, quod non eſt contingens, vel indifferens ad exiſtendum, ſed per ſe ipſum, & vi eſſentiæ exiſtit; quod non ab alio eſt, ſed A SE, non quatenus a ſe concipitur productum, vel ſemet determinarit ad exiſtendum, ſed cuius eſſentia eſt ipſa exiſtentia, ſive formalis ad exiſtendum determinatio; quod eſt independens, & abſolute ſibi ſufficiens, ac aliis, relate ad quæ vocatur primum determinans, primum movens, cauſſa prima; quia omnia alia entia ſufficientiam ultimam, abſolutam, & adæquatam in Ente A SE, ipſum in nullo extra SE ente rationem ſufficientem exiſtentiæ, vel ullius perfectionis continet. Hæc igitur nota ſoli Deo maxime propria eſt. Ex eadem ceu ex fonte deduci alias notas, ſeu attributa palam faciet ipſa deductio. Quapropter hac cognita neceſſitate abſoluta exiſtendi totum id concipitur velut in radice, quod Dei nomine venit.

## §. VIII.

*Ens A SE eſt infinite perfectum*, ſive infinitum infinitate eſſentiæ, & perfectionum, quatenus omnes poſſi-

ſibiles perfectiones, easque illimitatas, ſive in gradu abſolute eminentiſſimo continet. Prob. 1. Ens A SE exiſtit vi poſſibilitatis, ſive quia poſſibile eſt: ergo omnes poſſibiles perfectiones, & omnes poſſibiles gradus perfectionum in eo exiſtunt eo ipſo, quod ſint poſſibiles. Abſoluta enim ſufficientia, & neceſſitas exiſtendi non magis ad unam perfectionem, vel gradum perfectionis, quam ad alium æque poſſibilem pertinet; ergo, ſi una perfectio, vel unus gradus neceſſario exiſtit; pari neceſſitate omnes poſſibiles perfectiones, & omnes poſſibiles perfectionum gradus exiſtunt; quia ipſa poſſibilitas in Ente A SE determinat exiſtentiam. 2. In omni ente limitato principium limitationis requiritur; nam ratio ſufficiens ſit oportet, cur hæc, & non alia in eo perfectio, hic & non alius gradus perfectionis æque poſſibilis præſto ſit; porro ens contingens, uti exiſtentiam, ſic limitationem habet a cauſſa, quæ aut non potuit, aut non voluit plus perfectionis effectui dare. Poſita neceſſitate abſoluta eſſendi, & exiſtendi nullum eſt limitationis principium; quia Ens neceſſarium non poteſt limitari a cauſſa, cum nullam agnoſcat; neque a ſe ipſo, quia non eſt ſui ipſius cauſſa, neque voluntate, vel actu quodam effecit, ut exiſteret, ſed in admirabili ſua natura neceſſitatem exiſtendi continet, per quam multo certius habet, ut ſit, quam res aliæ a ſuis cauſſis. 3. Quidquid perfectionis exiſtere poſſe concipitur in hoc mundo, id omne cauſſam ultimam, & ſufficientiam adæquatam, & abſolutam in Ente Neceſſario habet, uti demonſtrationes exiſtentiæ Dei manifeſte docent: nec, ſiquid per cauſſas contingentes producitur, id perfectionem Entis Neceſſarii minuit, ſed potius illuſtriorem reddit, quia omnem vim, & facultatem agendi a ſolo Deo eſſe, perſpicuum eſt; quam ob rem omnis poſſibilis perfectio in Ente Neceſſario, & Cauſſa Prima contineri debet aut formaliter, aut eminenti quodam modo (Phil. Prim. §. XXVIII. Schol.)

*Quisquis notione quadam divinitatis imbutus eſt (nemo eſt autem, qui ea careat penitus) Deum pro Ente perfectiſſimo habet, quo nihil maius eſſe queat, nihil melius. Ipſe Epicurus, etſi totus pendere a ſenſibus videretur, tamen Tullio teſte L. II. de Nat. Deor. Deum præſtantem eſſe naturam docuit, qua nihil ſit melius. Hæc eſſentiæ,*

*& perfectionis divinæ plenitudo, ſeu infinitus perfectionum cumulus ex neceſſitate abſoluta exiſtendi ceu ex eſſentia metaphyſica deducitur, efficitque Phyſicam eſſentiam, ſive complexum attributorum naturam divinam conſtituentium. Atque ex hac iam propoſitione deducitur,* 1. *Omnem imperfectionem a Deo excludi, atque ex conceptu Dei a nobis tollendam eſſe.* 2. *Omnem perfectionem puram, cui nihil imperfectionis admixtum, eidem tribui debere; eiusmodi eſt quævis perfectio* ſimpliciter ſimplex, *ut Theologi loquuntur, quæ eſt melior ipſa, quam non ipſa. ſive quæ in ſua notione, & conceptu formali nullam continet imperfectionem, & incompoſſibilis non eſt cum alia perfectione maiore, vel æquali. Hinc duplici via pervenimus ad formandam ideam de eſſentia phyſica Dei, negatione, & adfirmatione; via negationis tutior eſt, cum facilius ſit dicere, quid Deus non ſit, quam quid ſit; quamquam reipſa cum imperfectionem tollimus, ei veram perfectionem poſitivam tribuimus, etſi ea comprehendi a nobis ſine negatione non poſſit; uti cum negamus eum mutationi obnoxium eſſe, loco conſtringi, finem habere, vel initium, ab ulla re alia pendere; reipſa immutabilem, æternum, immenſum, independentem, id eſt, ſibi ſufficientiſſimum eſſe adfirmamus. Alii præter negationem, & adfirmationem addunt viam excellentiæ, qua quamvis notam, quæ detractis imperfectionibus rationem perfectionis amittit, Deo eminentiore quodam, & excellentiore modo ineſſe cogitamus, uti cum Auguſtinus ait: ſi quæris pulcritudinem, pulcrior eſt; ſi dulcedinem, dulcior; ſi ſplendorem, fulgidior.*

## §. IX.

Propoſitio III. *Ens A SE eſt immutabile.* Prob. 1. *Ex idea Entis Neceſſarii.* Quod abſolute neceſſarium eſt, id aliter, ac eſt, eſſe non poteſt, hoc eſt, id immutabile eſt. Eſſentia autem, & perfectiones Dei abſolute neceſſariæ ſunt. 2. *Ex idea Entis Perfectiſſimi.* Mutatio imperfectionem indicat; quod enim mutatur in melius, non fuit optimum: quod in peius, definit eſſe optimum: quod in aliud æquale, aliquid relinquit, vel de novo acquirit; utrumque perfectioni, & ſimplicitati, de qua paulo poſt differemus, repugnat.

*Quam perſpicua hæc eſt Dei perfectio, tam ægre ea-*

dem

*dem cum contingentibus Dei actibus e. g. cum cognitionibus divinis de actibus liberis creaturarum, vel cum ipſis liberis volitionibus Dei conciliatur. Eiusmodi actus contingentes in Deo poſita divina eſſentia non neceſſario ponuntur, idque commune habent cum modis; iidem tamen non habent rationem ſufficientem externam, uti alii modi, ſed internam ipſi Enti, in quo inſunt, idque habent commune cum attributis; idcirco* modi analogici *a quibusdam vocantur. Cum igitur decretum divinum condendi mundi ſit liberum, & potuiſſet non concipi a Deo, quærunt, quomodo id ſine mutatione fieri potuiſſet? R. Mutatio eſt tranſitus de ſtatu ad alium ſtatum; ſiquid ineſſe incipit, quod ante non inerat, vel quod inerat, ineſſe deſinit; id vero, cum Deus res quasvis ab æterno & cognoſcat, & decernat, in eo concipi nunquam poteſt, etſi eiusmodi actus antecedenter ab æterno variabiles concipiantur. Verum res tota ad forum Theologicum iam delata eſt. Deinde quæri poteſt, an, cum Deus nihil extra ſe operatus ſit ab æterno; in tempore autem mundum crearit, propterea haud mutatus ſit? haudquaquam; ſed aiunt: ille vere mutatur, qui de non operante fit operans. R. Qui de non operante fit operans immanenter, & intra ſe, is vere mutatur, c. qui fit operans tranſeunter, ſeu extra ſe; n. Actio Dei immanens, uti omnis cognitio, omne conſilium, omne decretum, omnis amor &c. ab eius natura, & ſubſtantia non diſtinguitur, eique coæterna eſt. Operatio vero Dei tranſiens, & externa, quæ ad creaturam tendit, in eaque terminatur, nec æterna eſt, ſed temporanea, nec neceſſaria, ſed libera. Hinc S. Auguſtinus L. 13. de Civit. Dei c. 17. ait: „ Ad opus novum, non novum, ſed ſempiternum adhibet „ conſilium. „ Et L. I. conf. c. 4. „ Nunquam novus, „ nunquam vetus, innovat omnia - - - opera mutat, nec „ mutat conſilium. „*

## §. X.

Propoſitio IV. *Ens A SE eſt æternum.* Prob. 1. Quod abſolute neceſſarium eſt, id eſt immutabile, & aliter, ac eſt, eſſe non poteſt; ſemper igitur, hoc eſt, ab omni retro æternitate, & in omne ævum tale fuit, eritque, quale eſt. 2. Poſſibilitates rerum æternæ ſunt, (Phil. Prim. §. XVII. n. 4.) Poſſibilitas Entis Neceſſarii eſt ipſa eius exiſtentia: igitur hæc exiſtentia æterna

eſt. 3. Idem patet ex demonſtratione ſuperiore §. V. Nec opus eſt, multa verba facere; nemo eſt enim, qui non æternum, qualecunque tandem finxit ſibi, numen agnoſcat, ut ait Petavius Theol. Dogm. T. 1. L. 3. c. 3. n. 2.

*Hæc æternitas Dei a Boethio L.5. Conſol. Phil. dicitur interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio; quibus verbis & immutabilitas ſive indeficientia indicatur, & temporis ſucceſſio, ac diviſio excluditur; nam in æternitate Dei eſt unicum inſtans, ſemper præſens & ſubſiſtens; uti præclare docet Plato in Timæo, dicens, „ Errore „ quodam duci homines in loquendo, qui partes illas tem- „ poris* erat, *&* erit, *in æternam ſubſtantiam impruden- „ tes transferunt; dicimus enim de illa* erat, eſt, *&* erit; *„ ſed illi revera ſolum* eſt, *competit; at* erat, *&* erit, *„ ad generationem, quæ in tempore procedit, referre con- „ venit. Motus enim ſunt. Quod autem ſemper eodem „ modo ſe habet immobiliter, neque recentius eſſe unquam „ oportet, neque nunc fuiſſe, neque deinceps fore, ac ni- „ hil eorum penitus, quæ generatio iis adfinxit, quæ ſub „ ſenſus feruntur. „ Cæterum* tempus *ſucceſſionis, & diviſionis ideam ſecundum prius & poſterius continet*, ævum *ſpiritibus finitis, qui immortales creati ſunt*, æternitas *proprie ſoli Enti Perfectiſſimo competit.*

## §. XI.

Propoſitio V. *Ens A SE immenſum eſt*, h. e. tale, ut, ſiquid præter Deum exiſtat, id omne vi eſſentiæ ſuæ intime pervadat, ac penetret ſine ulla limitatione, ac termino. Siquid iam extra Deum exiſtere ponitur, actualis eiusdem in rebus omnibus inexiſtentia adpellatur *Omnipræſentia.* Prob. 1. *ex idea Entis Perfectiſſimi;* quod enim ipſa naturæ ſuæ conditione ubique eſt, ac eſſe debet, perfectius eſt eo, quod certo duntaxat loco adfigitur, & ubique non eſt. 2. Si Deus alicubi eſt, ei loco vel adfigitur libere, & contingenter, vel neceſſario; ſi libere: igitur ab eo diſcedere poſſet, ad alium tranſire, & vim internam motricem aliter, atque aliter modificare; quod repugnat eius immutabilitati. Si autem alicubi eſt neceſſario, ubique erit neceſſario, cum nulla ſit ratio, cur in uno potius, quam alio loco ſit præſens. 3. Sicut exiſtere hoc tem-

po-

pore, non alio, limitatio eſt durationis; ſic exiſtere hoc loco, non alio, limitatio eſt præſentiæ. Utraque Enti Perfectiſſimo, & Illimitato repugnat.

*Etſi modus, quo ſimpliciſſima eſſentia divina res omnes penetret, & omnibus locis adſit, longiſſime ſuperet captum noſtrum; tamen communem, & velut natura inſitam de hac Dei perfectione eſſe notionem, argumento eſt, quod plerique gentiles, atque adeo poetæ non obſcuris eam ſententiis teſtatam reliquerint, uti Petavius recenſet Theol. Dog. T.* 1. *L.* 3. *c.* 7. *n.* 7. & 8.

## §. XII.

Propoſitio VI. *Ens A SE ſimpliciſſimum eſt, omnisque compoſitionis expers.* Prob. 1. Nullam in Deo eſſe compoſitionem phyſicam ex materia, & forma, vel ex partibus integrantibus, vel ex ſubiecto, & accidente. Idea Entis Neceſſarii pugnat cum idea entis contingentis & mutabilis; idea vero entis compoſiti ita convenit cum idea entis contingentis & mutabilis, ut omne compoſitum ſit pariter contingens & mutabile; quia minime repugnat, ut partes componentes ſeparentur, vel mutentur; quo caſu compoſitum interit, vel mutatur; ergo ideæ Entis Neceſſarii, & compoſiti pariter inter ſe pugnant. Dein omne ſubiectum, quod a forma, vel accidente perficitur, imperfectionem, & potentiam paſſivam includit; id vero repugnat Enti Perfectiſſimo. Prob. 2. Nullam in Deo eſſe compoſitionem Metaphyſicam *ex actu, & potentia*; cum enim ſit perfectiſſimus, concipi nihil in eo poteſt inſtar potentiæ paſſivæ, quæ actu quodam perficiatur; neque ex *eſſentia, & exiſtentia*, quia ab idea eſſentiæ Entis neceſſario exiſtentis ſeparari nequit exiſtentia: neque ex *genere, & differentia*, ſi adcurate velimus loqui; nam genus concipitur inſtar potentiæ, quæ perficitur, & determinatur, differentia inſtar formæ, quæ perficit, ac determinat. Cum autem in idea Dei ſumma perfectio actualis includatur, nihil perfectibile concipi poteſt, isque *puriſſimus actus* dici debet.

*Simplicitatem Dei impugnavere Epicurei, Stoici, alii, qui dicebant Deum eſſe vel ignem, vel citatum aerem, vel gyrum ſtellarum &c. de quibus Tullius l. I.* *de*

*de Nat. Deor. quotquot dein ex Veteribus Philoſophis cenſuere, Deum eſſe univerſalem ſubſtantiam, ſeu materiam, ex qua res quælibet conſtat; quorſum illud tendit Lucani L. 9. Juppiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris. Inſanum iſtuc figmentum poſtremis hisce temporibus Benedictus Spinozza, ex Judæo Amſtelodamenſi Atheus, iterum excitavit, atque certa ratione, & methodo geometrica, definitionibus, axiomatis, propoſitionibus, ac corollariis gradatim adornavit in ſua Ethica P. I. de Deo. Eius doctrinæ æque impiæ, ac ſtolidæ hæc ſumma eſt.* 1. *In rerum natura non poſſunt plures dari ſubſtantiæ eiusdem naturæ, vel attributi.* 2. *Una ſubſtantia ab alia produci nequit.* 3. *Præter Deum nulla dari, vel concipi poteſt ſubſtantia; hinc res extenſa, & cogitans non niſi Dei attributa ſunt, vel modi attributorum.* 4. *Quidquid eſt, in Deo eſt; quia nempe Deus eſt unica, & omnis ſubſtantia.* 5. *Ex neceſſitate divinæ naturæ omnia, quæ concipi poſſunt, ſequi debent.* 6. *Nihil in rerum natura eſt contingens, nec quidquam alio modo, vel alio ordine produci potuit a Deo, quod productum eſt.* 7. *Deus nihil propter finem aliquem eſt operatus. Sed hæc quidem deliria vix refutatione egent, cum ipſa inter ſe pugnent. Fundamentum totius doctrinæ, ſeu potius errorum æquivocatione nititur; putat enim Spinozza, quæ* diverſa *non ſunt, ſed quæ communi idea quadam ſpecifica comprehendi poſſunt, ea nec eſſe* diſtincta; *tota igitur moles unica, eaque trita diſtinctione evertitur: nimirum non poſſunt eſſe plures ſubſtantiæ* eiusdem naturæ vel attributi, *ut Spinozza ait; d. non poſſunt plures ſubſtantiæ eſſe* eiusdem numero *naturæ, c.* eiusdem ſpecie, *n. Dein cum ſubſtantia dicatur ens* per ſe *exiſtens, quod alteri non inhæret neceſſario, Spinozza infert: ſubſtantia eſt ens* a ſe *exiſtens.*

## §. XIII.

Propoſitio VII. ***Ens A SE** eſt Omniſcium, ſive ſumma rerum omnium ſcientia, ſumma ſapientia præditum.* Prob. 1. Ex *idea Entis Perfectiſſimi*; ſcientia enim rerum omnium poſſibilium, ac ſapientia certe perfectio eſt ſimpliciter ſimplex. 2. *Ex idea Conditoris, ac Cauſſæ primæ*, ſive Entis Neceſſarii; nec enim quemquam tam excordem eſſe opinor, ut Deum, quæ non noverat, feciſſe

ciſſe arbitretur; imo ut mentes intellectivæ, quales ſunt humanæ, procreentur a cauſſa bruta,& omni intelligentia deſtituta, abſolute repugnat. Phil.Pr.§.XLIV. Conditiones, quibus Divina ſcientia creatis antecellit omnibus,ad quinque capita vulgo revocantur. 1. Scientia Dei non eſt qualitas, vel accidens adveniens ſubſtantiæ, ſed ipſa Dei ſubſtantia. 2. Ea nequaquam ex rebus ipſis hauritur, & ducitur; ſed Deus vi naturæ formaliter eſt determinatus ad cognoſcendum, quidquid omnino eſt cognoſcibile. 3. Una, & ſimplex eſt, nec multiplex, uti in homine, qui unico intuitu complecti omnia minime poteſt. 4. Mutabilis, & variabilis non eſt. 5. Eſt cauſſa rerum omnium, non tantum exemplaris, ſed etiam efficiens, & ενεργητικα quemadmodum in Theol. Dogmat. exponitur. *Omniſcientia* igitur Deo tribuitur, quatenus omnia poſſibilia uno, & ſimpliciſſimo actu diſtinctiſſime, & adæquate intuetur. Hæc ſumma ſcientia ob diverſitatem obiectorum diverſa nomina ſortitur; ea, qua Deus ſe ipſum, poſſibilitates rerum, quæque cum his connexa ſunt, cognoſcit, *ſcientia neceſſaria*, vel *ſimplicis intelligentiæ* vocatur; quæ ad exiſtentias rerum pertinet, *ſcientia viſionis*; Ea, qua res ſub conditione quadam futuræ attinguntur, non modo a plurimis Theologis, ſed a Leibnitio, Wolfio, Bœhmio, Baumeiſtero, aliiſque *ſcientia Media* nuncupatur. Summa *Ratio* Deo tribuitur, quatenus omnem poſſibilem omnium veritatum nexum intime, & diſtinctiſſime videt: Summa *Sapientia*, quatenus optimos fines, & media ad optimos fines maxime adcommodata novit.

„ *Hoc modo ſapientiam multi Philoſophi hoc ævo definiunt.* „ *Sapientia, inquit Wolfius Pſych. Rat.* §. 678. „ *eſt ſcientia actionibus liberis fines naturæ ſuæ convenien-* „ *tes præſcribendi,& media ad eos ducentia eligendi, fines-* „ *que particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut pro-* „ *piores fiant media remotiorum.* „ *Ariſtoteles L.* 1. *Metaph. ſummam ſapientiam maius quiddam, & divinius eſſe docet, quam pro hominis captu, nempe rerum ex ſupremis cauſſis, & principiis deductam ſcientiam, quam peculiarem Dei poſſeſſionem, & eius ſine competitore proprium decus adpellat. Vulgo omnes VV. Philoſophi inveſtigationem,& cognitionem cauſſarum ad ſapientiam referebant, ut hæc ſit* de-

*decantata*, *& uſu trita eius definitio: ſapientiam eſſe ſcientiam divinarum, & humanarum rerum, cauſſarumque, quibus res eæ continentur.*

## §. XIV.

Propoſitio VII. *Ens A SE perfectiſſima gaudet voluntate, ac libertate.* Prob. *Ex idea Entis perfectiſſimi, Cauſſæ Primæ* &c. Eſt enim voluntas neceſſaria perfectio cuiusvis entis intellectivi, ſic, ut ab intellectu ſeparari nequeat. Cum Deus hunc præ alio mundum elegit, cum res omnes certo ordine digeſſit, fines præſtituit, media adhibuit; certe electione, ac voluntate fuit opus. In actibus *internis* voluntatis divinæ, per quos Deus in ſe tendit, ſeſeque ut bonum infinitum amat, eadem libertas, quæ eſt in actibus *externis* voluntatis, per quos ad res a ſe diſtinctas tendit, concipi non poteſt; quia bonum infinitum perfecte comprehenſum quamvis voluntatem neceſſario in ſe trahit. At vero ad res externas volendas, & eligendas nulla neceſſitas intelligi poteſt. Siqua enim fingeretur, ea vel ex natura Dei, vel ex rebus a Deo diſtinctis promanaret; neutrum ſubſiſtit; cum enim is perfectiſſimus ſit vi naturæ, ab omnibus rebus prorſus independens, ſibique ad omnes poſſibiles perfectiones habendas ſufficiat: nec ulla re a ſe diſtincta ad ſummam beatitatem egeat; fieri non poteſt,ut illius natura procreationem ullius rei neceſſario exigat; Res vero ipſæ a Deo diſtinctæ nec exiſtunt ſine procreatione, & in ſtatu poſſibilitatis ad exiſtendum penitus indifferentes ſunt, ſic, ut ſui productionem nec impedire ullo modo, nec adiuvare poſſint; Nihil igitur, ut procreentur, neceſſitatis in ſe continent.

*A voluntate entis perfectiſſimi excludi imperfectiones, quæ in creata voluntate inſunt, per ſeſe liquet; nulla voluntatis, aut decretorum mutatio, nulla diſtinctio, nulla ſucceſſio habet locum. Immutabilitas decretorum Dei excitavit Philoſophiam ignavorum, ut Leibnitius ait, id eſt, eorum,qui fruſtraDeo vota nuncupari,fruſtra preces fundi ex illa inferebant,quia,quæimmutabiliter decreta ſunt,non poſſunt non evenire. Sed nempe non cæco modo quidquam decernit Ens Sapientiſſimum, quia ipſa decreta ex prævisa*

*con-*

*conditione operæ noſtræ conferendæ, vel omittendæ quodam modo dependent.*

## §. XV.

Propoſitio VIII. *Ens A SE ſumma ſanctitate, iuſtitia, & beneficentia, ſeu bonitate reſpectiva, & veritate prædictum eſt.* Sunt hæc attributa cum perfectione divinæ voluntatis connexa; ac *Primo Sanctitas*, ſive, ut aiunt, indefectibilitas eiusdem a rectitudine, ſeu bonitate morali, adeo divinæ eſſentiæ propria eſt, ut ipſa potius norma ſit, & origo rectitudinis moralis; cum enim Deus infinitas ſuas perfectiones adæquate, & diſtinctiſſime intueatur, ſeque infinite amet: nullaque extra ſe re alia egeat; neceſſario fines ſe dignos ſtatuit, & apta media adhibet in agendo; cumque ipſe ſit ſumma ratio, rerumque nexum intime pervideat, quid eidem conforme, aut difforme ſit, ignorare minime poteſt; ſicut igitur intellectus, ſic voluntas a rectitudine deficere abſolute nequit. *Nemo eſt,* inquit Philoponus ad 6. Procli Argumentum, *qui id diffiteatur; imo, ait, dicere, Deum poſſe prava agere, impietas eſt, qua deterior, & maior dici, aut fingi nequit, quæ ſcelus vincit negantium Deum; nec id ullo modo concipi poteſt; eoquod lumen non poteſt verti in tenebras, nec probitas fieri improba. Secundo. Iuſtitiæ* proprium munus eſt, ius ſuum cuique tribuere, eaque in bonis, & malis factis compenſandis ſeſe exerit. Iuſtitiam Dei vindicativam rationis lumine ſemper agnovere homines in ipſis ſuperſtitionis tenebris; nec aliud Poetæ, & Philoſophi voluere, *tribunal apud inferos ponentes*, ut inquit Tertullianus c. 27. in Apologetico. *Tertio. Bonitas*, vel beneficentia eſt voluntas, qua Deus rebus creatis perfectiones confert eorum naturæ conſentaneas. De hac Dei perfectione Plato differit locis pluribus; *bonus*, inquit in Timæo, *erat*; *Bono autem nulla unquam in aliqua re ſubrepit invidia.* Etenim, ut ad hunc locum Proclus adnotat, *invidiæ eſt, cum poſſis benefacere, non id agere, ſed bonum apud ſe cohibere. Eſt autem & invidia ipſa bonorum inopia. Cuiusmodi nunc Philoſophus uſurpare mihi videtur, cum eam a divina natura ablegat.* Præclare id quidem Proclus, qui invidiam bonitatis adverſariam in penuria, & egeſtate ſitam exiſtimat. Ex quo fit, ut, cum

Deus

Deus nullius egeat, ſed infinita bonorum copia redundet, nulli invidere, ac bonitatis ſuæ fontes poſſit occludere. Eſt hæc animadverſio Petavii Theolog. Dogm. L. VIII. c. 2. n. 3. Curandum eſt enim, ut bonitatem Dei cum eiusdem infinita ſufficientia, & perfectione conciliemus; de qua re proximo capite incidet mentio. *Quarto. Veracitas* eſt conſtans voluntas nunquam falſum dicendi; quo & fidelitas in promiſſis ſervandis pertinet; utraque & perfectio eſt, & neceſſario competens Enti perfectiſſimo. Dei naturam, inquit Plato L. 2. de Reſp. in fine, a mendacio prorſus eſſe alienam, eſſeque Deum & verbis, & operibus veraciſſimum, neque alios decipere ulla ratione; id quod Plato tanquam unam ex reipublicæ baſibus ſtatuendum decernit.

## §. XVI.

Propoſitio IX. *Ens A SE eſt omnipotens.* Deducitur id apertiſſime ex idea Entis Perfectiſſimi, idemque maximo conſenſu ſummo Deo tribuerunt VV. Philoſophi. Potentia creandi certe infinita eſt, & omni limite caret; nam quæ uni creandæ rei ſufficit, omnibus ſufficit; quia omnia poſſibilia ante, quam procreentur, æque nihil ſunt, & paſſive indifferentia, neque reſiſtere ſui creationi, vel conferre quidquam ad eandem poſſunt. Porro hanc potentiam Deo competere mox infra demonſtrabimus; ſed eadem ex perfectione illimitata per ſeſe fluit; neque enim potentia infinita eſt, quæ ad ſubiectum præexiſtens adſtringitur agendo; recteque inquit Theodoretus L. V. Hæretic. Fabul. *Negare Deum potuiſſe creare mundum ſine materia, eſt irridere Creatoris potentiam.*

## §. XVII.

Propoſitio X. *Ens A SE eſt unicum.* Prob. 1. *Ex idea Entis Summi, & Perfectiſſimi*; ſummum non eſt, niſi ſit unicum; nec unicum, cui aliud adæquatur? ſi vel bini eſſent Dii, iidemque inæquales vel diſſimiles in perfectione, alter perfectione quadam careret, qua potiretur alter: ille igitur tollitur, quia, quod perfectiſſimum non eſt, Deus non eſt: ſi pares eſſe fingantur, tollitur uterque, quia utroque melius quidquam ex-

co-

cogitari poteſt, nempe parem non habere, & imperare *ſolum* ſine conſortio alterius. 3. Si plura eſſent ſumma entia, ſingula liberrima voluntate, ac ſupremo dominio pollerent; ergo fieri poſſet, ut contraria decernant, & alterum ab altero impotens reddatur; ac fruſtra dicitur, nunquam fore, ut diſſentiant actu; nam ſatis eſt ad abſurditatem hypotheſeos demonſtrandam, id fieri abſolute poſſe: quia idea Entis A SE, cum perfectiſſimum ſit, ne id quidem admittit, ut eius voluntas, & potentia abſolute fruſtrari poſſit; atqui, aio, ſi vel bina eſſent ſumma Entia, quorum actiones ad extra liberrimæ ſunt, utriusque voluntas, & potentia fruſtrari poſſet; conſequenter nullus eſſet Deus. Hinc Tertullianus L. I. contra Marc. c. 3. ait: Deus ſi non unus eſt, non eſt. Et Athanaſius contra Gent. Deos eſſe multos perinde eſſe, ait, ac nullos dicere; itidemque principum multitudinem, id eſt, πολυαρχίαν, αναρχίαν eſſe. Idem ex uniformi ordine, & ſtabili rerum omnium conſpiratione unitatem Dei conficit; nam ſi *plures*, inquit, *mundo præeſſent, ordo ille ſervari non poſſet, ſed omnia confuſione, & perturbatione plena eſſent, dum unusquisque omnia ad ſuum arbitrium traheret, & adverſus alium pugnaret.*

*Ipſos gentiles unitatem ſummi Dei agnoviſſe, locupletiſſimos teſtes habemus. Vid. Petav. Theol. Dog. L. I. C. III. & IV. Polytheiſmus, ſeu opinio de pluralitate Deorum penes ignavam plebeculam erat. Cuius inſaniæ plures extiterunt cauſſæ; ac* 1. *ipſa hominum corruptio, ac perverſitas; quæ dici non poteſt, quantas tenebras offundat rationi.* 2. *Inopia hominum, atque infirmitas, ob quam divinis honoribus opem veluti nundinabantur; ut Tullius indicat L. II. de Nat. Deor. „ Suſcepit vita hominum, & „ conſuetudo communis, ut beneficiis excellentes in cælum „ fama, & voluntate tollerent: hinc Hercules, hinc Caſtor, & Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber. „ Hanc inſaniam Tertullianus in Apolog. feſtive irridet c. 5. „ apud „ vos de humano arbitratu divinitas penſitatur: niſi homini „ Deus placuerit, Deus non erit: homo iam Deo propitius „ eſſe debebit „* 3. *Quæſita in patrandis ſceleribus auctoritas, exempla, ſecuritas; nullum eſt tam inmane facinus, cuius rea non fuerit divinitas quædam apud paganos.* 4. *Honor, quem mortuorum animis impendebant.*

 *Hinc*

*Hinc in ſacris Literis Sap. 14. v. 15. legimus: „Acerbo „ luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem; & „ illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam „ Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra, „ & ſacrificia, „ Tanta erat firmitas perſuaſionis de immortalitate animorum, ut eos potius deificari poſt mortem, quam pecudum more extingui crederent.*

# CAPUT III.

## De Deo Spectato ut Creatore Rerum Omnium.

*Res quatuor haud ſane levis momenti hic examinandæ ſunt; 1. Deus res omnes a ſe diſtinctas produxit e nihilo; & quidem 2. in tempore; Non enim potuit ulla creatura ab æterno exiſtere. 3. Inquirendus eſt finis creationis. 4. Diſpiciendum, an Deus vi ſapientiæ ſuæ, & bonitatis debuerit mundum optimum condere.*

## §. XVIII.

Propoſitio I. *Deus res omnes, & ſingulas a ſe diſtinctas produxit e nihilo, nullo earum præexiſtente ſubiecto.* Prob, Res omnes, ac ſingulæ a Deo diſtinctæ, quarum collectio *Mundus* dicitur, ſpectari poſſunt tum quoad exiſtentiam ſubſtantiarum ſimplicium, ſive partium, ex quibus compoſitæ res coaleſcunt, tum quoad ſtatum internum, ſive externum, id eſt, modum coexiſtendi, & ordinem; atqui tum ipſa exiſtentia, tum ſtatus determinari debuit ab Ente Neceſſario, ſive a Deo: (Phil. Prim. §. §. XXXVIII. XXXIX.) Ergo Deus determinavit exiſtentias rerum, ſive res ipſas ad exiſtendum, h. e. easdem produxit e nihilo, nullo præexiſtente ſubiecto. Demonſtratio enim de quovis ſubiecto, vel de quavis materia, quæ præexiſtens fingitur, valet eodem modo. Quidquid vi naturæ ſuæ, ſive ſpectata poſſibilitate indeterminatum eſt, ut ſit hoc modo, vel alio modo, id eget cauſſa efficiente, quæ tum ſtatum, tum ipſam exiſtentiam determinet, uti cit. §§. demonſtratum eſt.

## §. XIX.

Solvuntur Obiectiones.

I. *Dici poteſt, atomos, ex quibus mundus componitur, eſſe improductas, & exiſtere a ſe; ergo creatio, ſive productio*

*ductio ex nihilo non evincitur.* R. n. a. Nam 1. Atomi a ſe non habent determinatum ſtatum: igitur nec exiſtentiam ſimpliciter. 2. Si atomorum numerus ſpectetur, is infinitus eſſe non poteſt: ſi finitus eſt, evidenter creatæ ſunt ab Ente Neceſſario. ( Phil. Prim. §. XXXIX. ) 3. Singulæ atomi ſunt finitæ perfectionis : ergo non ſunt a ſe. Nam Ens A SE eſt infinite perfectum; §. VIII.

II. *Ex nihilo nihil fit : Ergo mundum oportet eſſe æternum, non productum*; Sic fere Philoſophi VV. differebant; Etſi Platonem, imo & Aristotelem nonnulli benignius interpretentur. Stoicorum quidem teſte Lipsio Phyſiolog. Stoic. L. I. diſſ. 4. commune hoc erat dogma : materiam æque æternam, ac omnis initii expertem eſſe, ac ipſum Deum: Hinc duo ponebant in rerum natura, ex quibus omnia fierent, cauſſam, & materiam, ſive agens, & patiens. R. d. a. Ex nihilo nihil fit, hoc eſt, a cauſſa finita effici nihil poteſt, niſi ponatur ſubiectum præexiſtens, c. a. A cauſſa infinita ſine ſubiecto præexiſtente effici nil poteſt, n. a. & c. (§. XVI.)

III. *Quidquid fieri in natura obſervatur, fit ex ſubiecto præexiſtente*; Hinc Averroes inquit, *omne fieri, eſt quoddam mutari. Ergo.* R. 1. Mentes humanæ nec æternæ ſunt, nec ex inanima, & bruta materia fieri poſſunt. Quapropter inductio minime generalis eſt; 2. Inanis eſt tota hæc ratiocinatio; quia de exiſtentia materiæ, non de eius modificatione agitur; Averroes, ut recte ait S. Thomas 8. Phyſic. Lect. 2. non advertit, quantopere ſummus Artifex, ſeu Conditor rerum a cauſſis ſecundis diſtet. Non oportet, ut imbecillitas inferiorum agentium ſit modulus agentis primi; nec quidquam magis conſentaneum eſt ſanæ rationi, quam ut Ens Illimitatum non limitari in agendo, ſive ad ſubiectum præexiſtens adſtringi, nobis perſuadeamus.

IV. *Repugnat lumini rationis, ut ex nihilo fiat aliquid; Ergo.* R. d. a. repugnat, ut ex nihilo fiat aliquid, ſive ut nihilum ſit materia, ex qua fiat aliquid, vel ut ſit cauſſa efficiens, vel ut additione nihilorum quidquam obtineatur, c. a. repugnat, ut Ens Infinitum quidquam producat nullo præexiſtente ſubiecto, *ſubd.* id eſt, hoc diſtincte percipi a nobis haud poteſt, c. a. abſolute id

 im-

impoſſibile eſt; n. a. &c. Impoſſibilitas materiæ a ſe exiſtentis diſtincte percipi a nobis, & explicari poteſt; quocirca nihil reliquum eſi, niſi ut eam eductam e nihilo concludamus; Neque alia difficultas ſubeſt, niſi quod perfectionibus Entis Infiniti comprehendendis pares haud ſimus. His autem poſitis illud quoque conſequitur, ut multo plura effici a potentia illimitata poſſe, concedamus, quam percipi a nobis queat. Qui materiam neque creatam ex nihilo, neque a ſe exiſtere, ſed ex divina natura neceſſario emanaſſe opinantut, uti tela ex aranei ſinu profluit, ſimplicitatem Dei tollunt, & ad Spinozzæ deliria quam proxime accedunt, (Schol. §.XII.)

## §. XX.

Propoſitio II. *Quod creatum eſt, ab æterno exiſtere non poteſt.* Prob, Idea æternitatis non modo finem, ſed etiam initium exiſtendi excludit; nam quod æternum eſt, ſemper extitit, & initium exiſtendi non habet; at idea creationis initium exiſtendi includit. Ergo hæ ideæ inter ſe pugnant. De primo membro nulla eſt controverſia; alterum ſic declaratur: 1. quod creatum eſt, de nihilo tranſiit, vel translatum eſt ad eſſe, & maximam, quæ concipi poteſt, mutationem ſtatus ſubiit: hic tranſitus, & hæc mutatio includit duo: *aliquando non extitit: deinceps exiſtit;* Ergo quod creatum eſt, initium exiſtendi habet. 2. Tranſire de non eſſe ad eſſe, perinde ac verus motus, continet terminum, a quo ens diſcedit, & terminum, ad quem pertingit; atque hic terminus, ad quem pertingit, poſterior eſt termino, a quo diſcedit; Ergo, antequam res creata eſt, vel exiſtit, concipi debet, quod aliquando non fuerit. 3. Omnis mutatio vi ideæ includit ſucceſſionem: igitur fit in tempore; In tempore autem, perinde, ac in ſpatio nullus terminus figi poteſt, ultra quem cogitando mens progredi non valeat; igitur ante, quam res creata intelligitur eſſe, intelligi poteſt, quod aliquando non fuerit. Quamobrem ſi creatio initium includit; æternitas initium excludit; & ſi id, quod æternum eſt, ſemper extitit: id, quod creatum eſt, aliquando non extitit; manifeſta eſt contradictio in ideis creationis, & æternitatis; igitur quod creatum eſt, ab æterno exiſtere non poteſt.

*Hanc*

*Hanc demonſtrationem paucis verbis complexus eſt S. Athanaſius in 2. contra Arianos diſputatione : „ Tametſi „ Deus poſſit ſemper facere ; at res creatæ æternæ eſſe non „ poſſunt ; quippe ex non extantibus ſunt, & non erant, an- „ tequam fierent; quæ autem non ſunt, antequam fiant ; „ quinam poterant cum Deo, qui ſemper eſt, exiſtere ? „ Alia demonſtratio luculenta huius Propoſitionis ex repugnantia ſucceſſionis infinitæ data eſt §. XIX. Phil. Prim. Ego autem ex ipſa creationis idea, de qua nunc agitur, præſentem conficere adlaboravi.*

## §. XXI.

### Respondetur Ad Argumenta Opposita.

I. *Ab æterno poſſibilitas mundi tum in - tum externa datur ; quia & Deus ab æterno habuit potentiam producendi mundum, & mundus habilitatem exiſtendi : igitur ab æterno potuit exiſtere mundus.* R. d. a. Ab æterno datur poſſibilitas utraque, vi cuius mundus producatur, vel exiſtat cum initio exiſtendi, c. a. ſine exiſtendi initio, n. a. & c. Recte aiunt : Deus poteſt mundum producere *ab æterno*, *non pro æterno*, ita, ut æternitas reſpiciat potentiam divinam, non exiſtentiam mundi; uti ſiquis hodie quidquam decernat in craſtinum, datur decretum nunc, non pro nunc.

II. *Mundus exiſtere poteſt ante quodvis tempus determinate adſignabile, ſive ante ſingula momenta diſtributive ſumta : ergo ab æterno, ſive ante omnia momenta collectim.* R. c. a. n. c. prius non tollit initium exiſtendi : at poſterius ; cum tamen idea creationis initium exiſtendi includat.

III. *Mundus durare poteſt in æternum : ergo & exiſtere ab æterno.* R. c. a. n, c. In idea effectus creati non determinatur continuatio durationis : at per illam determinatur initium exiſtentiæ : quapropter, quæ creata ſunt, ſine fine durare poſſunt, ſi conſerventur a Deo ; ſed non exiſtere poſſunt ſine initio : atqui initium exiſtendi, & exiſtentia ab æterno inter ſe pugnant.

IV. *Idea cauſſæ efficientis duntaxat exigit, ut ipſa effectu prior ſit natura, non ut prior ſit tempore; Ergo, ſi cauſſa efficiens eſt æterna, uti Deus ; etiam effectus, nempe*

*mundus eſſe æternus poteſt.* R. d. a. Idea cauſſæ efficientis, *qua* talis, ſive formaliter ſumtæ duntaxat exigit, ut ſit natura prior, c. a. idea cauſſæ efficientis, *quæ* eſt talis, ſive materialiter ſumtæ duntaxat exigit, ut ſit natura, non ut ſit tempore prior, n. a. & d. c: ſi cauſſa efficiens eſt æterna, effectus poteſt eſſe æternus, ſi eſt ſimul cauſſa efficiens pro æterno, c. c. ſi eſt ſolum efficiens pro tempore, n. c. loquor de cauſſa, & effectu proprie tali; quod enim eodem momento, quo exiſtit eſſentia, pariter attributa per eſſentiam determinata exiſtant, perſpicuum eſt. Cauſſa creata quævis in ſe, & materialiter ſpectata videtur etiam tempore præcedere ſuum effectum; nam actio cauſſæ productæ ſequitur certe actionem, qua ipſa producitur; hæc autem actionum ſucceſſio ordinem temporis ſecundum prius, & poſterius involvit. De cauſſa increata, quæ nullum exiſtendi initium habet, res eſt admodum manifeſta; quia effectum a ſe penitus diſtinctum, qui initium exiſtendi habet, procreat.

V. *Quærit Epicurus: Si mundus ab æterno non fuit productus, cur Deus tanto tempore feriatus eſt? Si non potuit ab æterno; nunquam potuiſſet poſtea producere; Si non voluit; cur voluit poſtea?* R. Et potuit, & voluit Deus ſemper, & ab æterno: non voluit, nec potuit pro ſemper, & pro æterno? Sed cur hoc potius, quam alio tempore? id a liberrimo ipſius arbitrio pendebat. Si quæras, utrum Deus ab æterno reipſa, & actu fuerit mundi opifex, an ſolum in potentia? Spectata ratione interna, ſive æterno decreto potentiſſimæ voluntatis, actu fuit opifex mundi iam inde ab æterno; At ſpectata ratione externa, nempe ipſo mundo ex nihilo prodeunte ob æternum decretum potentiſſimæ voluntatis, ſolum in potentia mundi opifex dici ante poterat, quam is ex nihilo prodiiſſet; Nullam propterea mutationem in Deo accidiſſe, patet ex Schol. §. IX. De mundi æternitate vid. P. Hauſer Tomo V. §. XXVI. & Tom. II. §. CCCLXXVI.

## §. XXII.

Ut iam finis creationis rerum explicetur, notandum: Agere ex prævia cognitione finis non niſi mentis intellectivæ proprium eſt, quia ſola facultas ratiocinandi ne-

xum

xum actionis cum fine, h.e. cum bono obtinendo, vel evitando malo perſpicit. Si iam in dato quovis caſu quæritur, cur mens intellectiva agat, vel ad agendum ſe determinarit, duplici reſponſo ſatisfieri ei quæſtioni poteſt: 1. explicando *præſentem adfectionem mentis*, quam ea ſequitur agendo; 2. exponendo *cauſſam finalem*, ſive id, quod agendo conſequi mens intellectiva cupit. Duo igitur ſunt, ob quæ quis agere dicitur, præſens ratio, vel adfectio, ad quam actio referenda eſt: & abſens bonum, ad quod actio refertur. Nam quærenti e. g. cur flet, ridet, cantat hic homo, non cauſſa finalis redditur, cuius obtinendi gratia agit, ſed præſens mentis adfectio indicatur, ad quam fletus, riſus, cantus &c. referendi ſunt, ceu ad luctum ex morte amici, ad hilaritatem ex depulſo quopiam malo. At ſciſcitanti, cur quis domum ſtruat, vel deſtruat, cur agrum colat &c. certe cauſſa finalis ſignificatur. Prior ratio actionis reſpondet impulſioni: altera fini; de quibus conf. Phil. Prim. §. XXV. Sæpe utraque in idem recidit, ut, ſiquis abſente bono, vel malo adficitur iucunde, vel moleſte; is præſentem adfectionem iucundam, vel moleſtam ſequitur agendo, & abſens bonum obtinere actione, vel malum effugere conatur. Semper autem utraque ratio, ſi ad actionem utraque concurrit, mutuum nexum habet. Qui ſtipem dat egenti, cuius inopiam miſeratur, & ſublevare cupit, præſentem commiſerationem ſequitur,& futurum levamen alieni mali quærit. Hæc cuivis menti intellectivæ propria ſunt, cuius actiones ad præſentem quandam adfectionem, vel internam perfectionem, tum ad finem actione obtinendum referri poſſunt; nam ſine fine agere non niſi inſipientium eſt. Si iam de ſummo Ente Intellectivo, ſive de Deo quæritur, *cur* mundum crearit, resque univerſas in hoc mundo contentas, explicanda eſt ea divina mentis adfectio, ſeu potius *perfectio*, ad quam veluti præſentem rationem: & *finis*, ad quem ceu abſens bonum referenda eſt creatio mundi; Atque hoc modo diſcrepantes Auctorum ſententiæ conciliantur, quorum alii pro ratione mundi conditi Dei bonitatem, alii gloriam Dei adſignant.

 §. XXIII

## §. XXIII.

Propoſitio. III. *Ratio, quam ſequutus eſt Deus in creatione mundi, ſola eius eſt bonitas, ob quam communicare perfectiones ſuas cum rebus creatis voluit.* Prob. Ratio, quam Deus ſequutus in creatione mundi vere dicitur, digna eſſe debet eius infinita perfectione, & reſpondens operi effecto; Eiusmodi ratio autem ſola eſt eius bonitas; nam bonitas obiectiva rerum relate ad infinitam Dei perfectionem penitus evaneſcit, & nulla eſt, multoque minoris momenti, quam atomus ſolaris comparate ad mentem intellectivam creatam, maximamque eius perfectionem, adeo ut hoc ſenſu veriſſimum ſit, finiti ad infinitum nullam eſſe proportionem; omniaque coram infinito Ente perinde eſſe, ac ſi non ſint; Ergo concipi non poteſt, quod bonitas creata in ſe ſpectata pretium poſitivum habeat, quo ſummus artifex ita adſiciatur, quemadmodum artifex inter nos aliquis vel auctor operis ex eius inventione ſibi complacet: & voluptatem capit, idque per ſeſe dignum iudicat, quod efficiatur eo modo, quo mente conceptum eſt. Ergo nulla bonitas creata, & a Deo diſtincta ratio dici poteſt, quam is in creatione mundi ſequi potuit: igitur ea ratio Deo interna eſt; cumque creatio ipſis creatis rebus commoda, bona, & delectabilis ſit; ea merito ad bonitatem potius divinam, quam aliam perfectionem refertur.

*Hæc præſens ratio, quam Deum ſequutum diximus in condendo mundo, ad primam rerum creationem pertinet; aliæ deinceps actiones Dei ad extra, queis res creatas gubernat, & adminiſtrat, ad alias etiam perfectiones divinas formaliter ſumtas recte referuntur ceu ad providentiam, iuſtitiam, longanimitatem, miſericordiam, ſi nempe eæ actiones his potius, quam aliis perfectionibus reſpondent. Sed mens intellectiva quæcunque ſuas actiones, quæ præſenti cuidam adfectioni eiusdem, ſeu perfectioni reſpondent, etiam ad finem quendam obtinendum dirigit; atque is finis, quem Ens intellectivum ſummum ſibi præfixit in rerum creatione, nunc exponendus eſt.*

§. XXIV.

## §. XXIV.

Propoſitio. IV. *Gloria Dei extrinſeca eſt finis ultimus creationis rerum, ſeu potius terminus, ad quem is res creatas univerſas retulit.* Prob. 1. Deus mundum non temere, & ex cæca quadam propenſione bonitatis architectatus eſt, ſed vi ſapientiæ debuit ſibi præfigere finem quemdam, & vi bonitatis, ac rectiſſimæ voluntatis debuit finem præfigere ſe dignum, & perfectione ſua; atqui nullus eſt finis divinæ ſapientiæ, bonitati, ac perfectioni conſentaneus, niſi ut res creatas ad cognitionem, amorem, & laudem ſuarum perfectionum, ſive ad manifeſtationem earundem, in qua gloria Dei extrinſeca ſita eſt, deſtinaret. 2. Quemadmodum imperfectio eſt quædam mentis intellectivæ ordinare quidquam ad finem ignobiliorem, quod ad nobiliorem referri poteſt; ita perfectio eſt ordinare cuncta ad finem, quo melior eſſe non poteſt; atque hæc perfectio utpote ſimpliciter ſimplex, omnique carens imperfectione Enti perfectiſſimo certe tribuenda eſt; porro nobilior finis meliorve, quam ſit gloria Dei externa, concipi non poteſt. 3. Finis ultimus, quem ſapiens artifex, ſive operans intendit, neceſſario ipſi naturæ, & conſtitutioni operis reſpondet, & per eam quodammodo determinatur; Naturæ autem, & conſtitutioni rerum creatarum nullus alius reſpondere poteſt finis, niſi gloria Dei externa; nam res inanimæ, vel rationis expertes in bonum mentium intellectu & ratione præditarum proxime deſtinantur; hæ ipſæ autem mentes, cum ex natura ſua beatitatem adpetant, quæ in ſola boni infiniti cognitione, & amore ſita eſt, ex natura ſua ad manifeſtandas perfectiones Dei, ſive ad cognitionem, amorem, ac laudem earundem aptatæ, ac deſtinatæ ſunt. Manifeſtum eſt igitur, gloriam Dei externam finem eſſe ultimum creationis rerum, ſive potius *terminum*, ad quem easdem Deus retulit; non enim eodem modo finis a Deo, & a creaturis intenditur; mens creata, cum propter finem agit, bonum aliquod, quo caret, conſequi cupit ex indigentia quadam propriæ naturæ, & dependentia ab illo bono, utque commodum, aut voluptatem quandam capiat, vel ſaltem beatitatis, quam extra ſe quærere debet, particulam aucupetur; At mens

illa infinita, cum in ſe beatiſſima ſit, nihil commodi, aut boni extra ſe quærere, ac ſibi ac bono ſuo intendere poteſt. Ergo ſpectata infinita ſufficientia naturæ divinæ, & inſufficientia creatarum rerum, gloria Dei externa potius terminus dicendus eſt, ad quem creatio refertur, quam cauſſa finalis, quæ vim movendi Deum, & alliiciendi habere, & propterea cauſſalitatem quandam exercere poſſit.

*Quæ de fine creationis adhuc dicta ſunt, gentilium quoque Philoſophorum, præſertim Platonicorum ſententiis plurimis illuſtrari poſſunt: eadem conciliandis diverſis opinionibus ſeu verbis Auctorum, cum de creationis fine agunt, magnopere inſerviunt. Res tota digna eſt diligente contemplatione. Seneca cum Epiſt. LXV. diverſas cauſſas enumerat, quæ in mundi productione ſpectari poſſunt, „ Quæris, inquit, quid ſit propoſitum Deo? (propter „ quid fecerit) Bonitas. Ita certe Plato ait: quæ Deo faciendi mundum cauſſa fuit? bonus eſt; bono nulla cuiusquam boni invidia eſt. Fecit itaque, quod optimum „ potuit. „ Sed hisce poſtremis verbis emplaſtrum ante præparavimus (§. XV. n. 3.) oſtendentes, Deum liberrime quidvis condidiſſe, nec fore invidiæ poſtulandum, etſi nihil plane eduxiſſet e nihilo. Qua ratione optimus hic mundus dici queat, pariter disquiſitione eget. Ita Seneca, & Platonici multis locis, cum Deum ob bonitatem formaſſe mundum adſerunt, præſentem rationem, & perfectionem divinæ mentis adſignant, ad quam referenda eſt mundi productio. In eandem ſententiam loquitur S. Thomas in QQ. Diſputatis Q. 23. De voluntate Dei Art. 4. „ Divina bonitas non eſt talis finis, qui efficiatur ex „ his, quæ ſunt ad finem, ſed magis, quo efficiuntur, „ & perficiuntur ea, quæ ad ipſum ordinantur; unde „ Avincenna dicit, quod ſolius actio Dei eſt pure liberalis, quia nihil ſibi accreſcit ex his, quæ vult, vel operatur circa creaturam. „ Aperte hic quidem indicatur diſcrimen inter rationem præſentem, qua mens intellectiva ad agendum impellitur, & inter cauſſam finalem, ſeu finem, qui actione efficitur, vel obtinetur. Lactantius L. VII. Inſt. Divin. C. IV. & V. in hunc modum diſſerit: „ Videamus ergo, quæ ratio fuerit fingendi generis humani. Quoniam conſtat, id, quod Stoici aiunt, hominum „ cauſſa mundum eſſe fabricatum - - - Nihil eſt, ut opi-*

*„ nor,*

„ *nor, quod ſit propter ſe ipſum factum: ſed quidquid*
„ *omnino ſit, ad uſum aliquem fieri neceſſe eſt. Quis enim*
„ *eſt vel tam ineptus, vel tam otioſus, ut adgrediatur*
„ *aliquid facere fruſtra, ex quo nullam utilitatem, nullum*
„ *commodum ſperet? qui domum ædificat, non ideo ædi-*
„ *ficat, ut tantummodo domus ſit, ſed ut in ea poſſit ha-*
„ *bitari. Qui navim fabricat, non ideo inſumit operam,*
„ *ut tantum navis adpareat, ſed ut in ea navigetur. Item*
„ *qui vas aliquod inſtituit, ac format, non propterea id*
„ *facit, ut tantum feciſſe videatur, ſed ut vas illud effe-*
„ *ctum capiat aliquid neceſſarium. Similiter cætera quæ-*
„ *cunque fiunt, non utique in ſupervacuum, ſed ad uſus*
„ *aliquos utiles laborantur. Mundus igitur a Deo fa-*
„ *ctus eſt non utique propter ipſum mundum - - - Sed ne*
„ *illud quidem dici poteſt, quod Deus propter ſe ipſum fe-*
„ *cerit mundum, quoniam poteſt eſſe ſine mundo, ſicut fuit*
„ *antea; & iis omnibus, quæ in eo ſunt, quæque gene-*
„ *rantur, Deus ipſe non utitur. Adparet ergo animan-*
„ *tium cauſſa mundum eſſe conſtructum, quoniam rebus*
„ *iis, quibus conſtat, animantes fruuntur. - - - Rurſum*
„ *cæteras animantes hominum cauſſa eſſe fictas, ex eo cla-*
„ *rum eſt, quod homini ſerviunt, & tutelæ eius atque*
„ *uſibus datæ ſunt, quoniam ſive terrenæ ſunt, ſive aqua-*
„ *tiles, non ſentiunt mundi rationem, ſicut homo. - - -*
„ *Magna igitur, & recta, & admirabilis eſt vis, & ra-*
„ *tio, & poteſtas hominis, propter quem mundum ipſum,*
„ *& univerſa, quæcunque ſunt, Deus fecit, tantumque il-*
„ *li honoris habuit, ut eum præficeret univerſis, quo-*
„ *niam ſolus poterat Dei opera mirari. - - Reddamus*
„ *nunc rationem, quare hominem ipſum fecerit. - Hæc enim*
„ *ſumma, hic cardo rerum eſt. - - - Quæ utilitas Dei*
„ *in homine, inquit Epicurus, ut eum propter ſe face-*
„ *ret? ſcilicet ut eſſet, qui opera eius intelligeret, qui*
„ *providentiam diſponendi, rationem faciendi, virtutem*
„ *conſumandi & ſenſu admirari, & voce proloqui poſſet.*
„ *Quorum omnium ſumma hæc eſt, ut Deum colat. Is*
„ *enim colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium re-*
„ *rum, is verum patrem ſuum debita veneratione proſe-*
„ *quitur, qui virtutem maieſtatis eius de ſuorum operum*
„ *inventione, inceptione, perfectione metitur. Quod pla-*
„ *nius argumentum proferri poteſt, & mundum hominis,*
„ *& hominem ſua cauſſa Deum feciſſe, quam quod ex omni-*

„ *bus*

„ *bus animantibus ſolus ita formatus eſt, ut oculi eius ad* „ *cælum directi, facies ad Deum ſpectans, vultus cum ſuo* „ *parente communis ſit, ut videatur hominem Deus qua-* „ *ſi porrecta manu elevans ex humo, ad contemplationem* „ *ſui excitaſſe.* „ *Oſtendit deinceps eloquentiſſimus Auctor, quomodo cultus, quem Deo præſtamus, in noſtram beatitatem, ſummumque commodum noſtrum redundet; ut adeo recte dicatur in ſcholis, Deum eſſe* finem, cui excellentiæ, *hominem* finem, cui utilitatis *gratia rerum procreatio deſtinata ſit. Effata S. Codicis in eandem ſententiam plura ſolent proferri; ceu, Prov.* 16. *v.* 4. „ *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt dominus: im-* „ *pium quoque ad diem malum.* „ *Pſal.* 18. *Cæli enar-* „ *rant gloriam Dei. Baruch.* 3. *a v.* 34. *Stellæ autem* „ *dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vo-* „ *catæ ſunt, & dixerunt: adſumus, & luxerunt* EI „ *cum iucunditate, qui fecit illas.*

## §. XXV.

### Occurritur Dubiis.

I. *Non decet Dei bonitatem, ut ſe ipſum pro fine creationis ſtatuat; ſiquis enim in alterum beneficium conferat eo fine, ut beneficus habeatur ab aliis, & laudetur, is parum recte agit, nec animo vere benevolo eſt erga eum, cui beneficium præſtitit.* Hinc Seneca L. IV. de Beneficiis c. 13. & 14. *docet*: „ *Beneficium eius commodum ſpectat,* „ *cui præſtatur; non noſtrum; alioquin nobis, non illi da-* „ *mus.* „ *Igitur non decet Dei bonitatem, ut ſeipſum pro fine creationis ſtatuat.* R. 1. Siquis homo homini ita faciat bene, ut ipſum ſe, ſuamque laudem pro fine ſtatuat, non munificus largitor, ſed mercator eſt, quia proprio commodo inhiat, & ſola ſui cognitione, amore, ac laude alterum nequaquam beatum reddit. At ſi Deus ob benefacta gloriam a nobis ſuam expoſcit, multo maioris beneficentiæ, ac liberalitatis ſpecimen dat, quam ſi illam negligeret; nam perfectio, & felicitas mentis noſtræ in cognitione, amore, ac laude Boni infiniti ſita eſt. Quemadmodum igitur ſummum eſſet lucis beneficium erga cæcum, ſi illum ſpectatorem ſuæ pulcritudinis efficeret, aut fontis erga ſitientem, ſi eum ad guſtandos ſuos latices provocaret; ſic, cum Deus

co-

cognoſci a nobis, ac diligi vult, non commodum ſibi quoddam, ſed noſtram perfectionem, ac felicitatem reipſa vult, magisque beneficum, ac liberalem ſe præbet, cum ſuam a nobis gloriam petit, quam ſi eiusdem incurius foret, ac negligens. Quid enim ? ſi primum eductos ex nihilo in hunc modum nos eſſet alloquutus: fruimini, non utimini modo hac Univerſitate rerum, quam veſtri gratia condidi : de me autem nihilo plus cogitatote, quam ſi non eſſem omnino. Id Epicuræo homuncioni cupiditatibus ſuis occæcato placeret fortaſſis aliquanto tempore; At quæ foret hæc demum in nos benevola voluntas, ſi admiratores perfectionum ſuarum eſſe nollet, ſi menti intellectivæ primam, & eſſentialem veritatem, voluntati ſummum bonum, extra quod nullum eſt, quo exſatiari queat, ſubtraheret ? Cum igitur Deus ob creationem, & gratias in nos collatas ſuam gloriam quærit, nulla privati commodi umbra in eo præſtituendo fine adparet, ſed infinitæ ſapientiæ, ac bonitatis irrefragabile teſtimonium ſubminiſtratur, quia in reddenda Deo gloria maxima, atque unica beatitas noſtra, & perfectio conſiſtit. In hanc ſententiam S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 7. docet: *Deo reverentiam, & honorem exhibemus non propter ipſum, quia ex ſeipſo eſt gloria plenus, cui nihil a creatura adiici poteſt, ſed propter nos, quia videlicet per hoc, quod Deum reveremur, & honoramus, mens noſtra ei ſubiicitur; & in hoc eius perfectio conſiſtit.* S. Augustinus vero in Pſalm. 39. ait: *quando Deum glorificamus, nobis prodeſt, non illi; eum namque glorificamus, glorioſum dicendo, non faciendo.* Cæterum quoniam de benefactis hominum incidit mentio, adiungendus eſt laudato Senecæ loco alius Libri 6. de Benef. c. 13. Non ſum tam iniquus, ut nihil ei debeam, qui, cum mihi utilis eſſet, fuit & ſibi. Non enim exigo, ut ſine reſpectu ſui mihi conſulat. Ac beſtiis quoque quandam grati animi ſpeciem inſevit natura, etſi noſtri ipſorum duntaxat, non ipſarum, bene iisdem faciamus. Quæ igitur inſignis momenti ſunt beneficia, ceu vita, libertas, & generis iſtius, etſi magis obſtringant, ſi animo penitus benevolo citra largientis commodum conferantur; tamen cum iſto etiam commodo coniuncta, per ſe ipſa, & interno pretio eum, qui accipit, devinciunt. Maximam

quis-

quisque progenitoribus gratiam debet pro vita, quam accepit, etſi eos, cum nondum eſſemus, non noſtri amor, ſed ſui nominis, memoriæque ad poſteros propagandæ deſiderium, vel ſolatii a ſobole recipiendi ſpes, ad progenerandum impulerit. Sed hæc ad hominum beneficia pertinent; Dei beneficentia ſumma, ac pura liberalitas eſt.

II. *Si in gloria Deo danda hominum perfectio, ac felicitas ſita eſt, finis creationis non iam Deus, ſed homo eſt, quia ipſa Dei gloria ad hominis felicitatem refertur.* R. Supra indicavi, hominem eſſe finem, cui utilitatis: Deum finem, cui excellentiæ cauſſa res creatæ deſtinatæ ſunt; nec Dei gloria ad hominis felicitatem, ſed humana felicitas ad Dei gloriam referenda eſt; quia perfectio humanæ mentis in eo ſita eſt, ut ſui quodam modo oblita in bono infinito tota figatur.

III. *Gloria Dei extrinſeca, & manifeſtatio divinarum perfectionum eſt aliquid creatum, & extrinſecum Deo, quia conſiſtit in actibus cognitionis, amoris, ac laudis; Ergo, ſi omnis res creata ad finem quendam deſtinari debet, etiam ea gloria, ac manifeſtatio ordinari ad alium finem debebit, nec ipſa finis ultimus eſſe poteſt.* R. d. a. gloria Dei extrinſeca, & manifeſtatio divinarum perfectionum eſt aliquid creatum, ſi ſpectetur formaliter, uti ii actus inſunt in creaturis, c. a. ſi conſideretur terminative, vel obiective n. a. & c. Non poteſt Dei gloria conſiderari ceu ſeparata a ſuo termino, vel obiecto, nempe ab ipſo Deo; uti ſi medicinæ finis dicatur ſanitas, hæc non ſeparatim ab homine conſideratur, cui ea procuratur per medicinam, quique eſt *finis, cui*, vel in cuius bonum deſtinatur ea ars; non enim medicamenta adhibentur, niſi ob hominem ſanandum; ſimiliter ſi rerum omnium finem adpello manifeſtationem divinarum perfectionum, Deus ipſe non in ſe ſpectatus, ſed ut manifeſtandus pro fine ultimo ſtatuitur, ita, ut conceptus ultimi finis & manifeſtationem, ſive cognitionem, amorem, laudem, & Deum ipſum vel maxime complectatur.

## §. XXVI.

Leibnitius in Princip. Phil. §. 55. in hunc modum

dum differit: *quemadmodum infinita ſunt Univerſa poſſibilia in ideis Dei, & eorum non niſi unicum exiſtere poteſt; ita neceſſe eſt dari rationem ſufficientem electionis divinæ, quæ Deum ad unum potius, quam ad alterum determinet.* §. 56. *Atque hæc ratio reperiri nequit, niſi in gradibus perfectionis, quam hi mundi continent, cum quodvis poſſibile habeat ius prætendendi exiſtentiam pro ratione perfectionis, quam involvit.* §. 57. *Atque id ipſum cauſſa eſt exiſtentiæ melioris, quod Deus vi ſapientiæ cognoſcit, vi potentiæ producit.* Act. Erudit. Lipſiens. T. 7. Suppl. Sect. 11. pag. 500. Secundum hanc igitur opinionem adplicatio principii rationis ſufficientis ad actiones etiam divinas in eo conſiſtit: 1. Deus in actionibus ad extra, ceu in condendo mundo, ratione externa, & obiectiva, ſive a rebus creatis petita eget, & per eam ad unum potius, quam aliud agendum determinari debet. Hoc Leibnitius non probat, ſed ſine probatione ſumit, quia effatum: nihil eſt ſine ratione ſufficiente, eſt omnino generale; ac proinde etiam ad actiones liberas Dei vel hominum adplicari debet. 2. Ratio externa, vel obiectiva, per quam Deus ad hoc potius, quam aliud agendum determinari potuit, alia non reperitur, niſi maior perfectio huius mundi, quam cuiusvis alterius poſſibilis; ex quo conficit, hunc mundum eſſe omnium poſſibilium optimum. Atque hinc præſens diſceptatio de *Optimiſmo* a nonnullis inſcribitur.

## §. XXVII.

Propoſitio. *Adplicatio principii rationis ſufficientis ad actiones liberas Dei in ſenſu Leibnitii 1. Laborat falſo ſuppoſito; 2. Tollit libertatem Dei; 3. Tollit contingentiam huius mundi; 4. Tollit denique poſſibilitatem etiam intrinſecam aliorum mundorum. Igitur ſuſtineri non poteſt.*

I. *Suppoſitum Leibnitianorum.* Secundum principia Leibnitianorum ponitur, fieri poſſe, ut mundus omnium poſſibilium optimus reipſa exiſtat. Id falſum eſſe, oſtenditur: 1. Perfectio huius mundi finita eſt: ergo maxima non eſt; nam quovis finito aliud, atque aliud maius concipi poteſt. (Phil. Prim. §. XVIII.) uti idem in numero, extenſione, motu, ſic in perfectione quo-

que

que contingit. 2. Principium perfectionis eſt id, ad quod obtinendum omnia tendunt, quæ in ente inſunt, (ibid. §. XII.) nempe relate ad mundum principium perfectionis eſt finis eidem præfixus, ſeu manifeſtatio divinarum perfectionum: hæc autem manifeſtatio nunquam eſt, nec eſſe poteſt omnium poſſibilium maxima; uti enim ipſæ perfectiones, ſic manifeſtatio earum omni limite caret, & quacunque poſita manifeſtatione alia maior, atque excellentior poteſt concipi. 3. Idea divinæ omnipotentiæ, quacunque perfectione finita aliam maiorem ſine fine produci poſſe continet; ergo eidem repugnat ſtatus, in quo ceu exhauſta concipi debet: in eiusmodi autem ſtatu eam Leibnitiani concipiunt, cum, quidquid produci optimum, ac perfectiſſimum poteſt, ab eadem productum iam fuiſſe ſtatuunt.

*Ex his ſatis iam intelligitur, mundum non eſſe* materialiter, *ſive* in ſe *ſpectatum plane optimum; at cum manifeſtatio perfectionum Dei, quæ eſt finis eiusdem, diverſiſſimos gradus admittat, relate ad gradum quemdam, vel menſuram a Conditore pro ſuo arbitrio determinatam, mundus optimus eſt, quatenus is gradus præſente mundi conſtitutione perfecte attingitur; præterea res iſtas conditas, etſi in ſe optimæ non ſint, eo ordine diſpoſuit Deus, eoque inter ſe nexu copulavit, ut aptiore ordine, aut nexu adcuratiore diſponi, & copulari haud poſſint. Præterea ſi mundus conſideretur non obiective, & ſecundum ſe, ſed ſubiective, ſive inſtar operis divini, ſive a Deo effecti, optimus eſt, quia omnes divinæ operationes ad operantem relatæ ſunt æque perfectæ, & optimæ, cum maxime conformes ſint primæ regulæ bonitatis, ac rectitudinis, quæ eſt divina voluntas. Hinc S. Thomas q. 2. de Potentia Art. 5. ad 15. ait: quod Deus facit, eſt optimum per ordinem ad Dei bonitatem. Denique non nulli ſenſu aliquo, non Leibnitiano quidem, hunc mundum materialiter optimum adpellari poſſe opinantur, quia is omnia rerum genera continet, nempe inanimata, in quibus eſt ſolum* eſſe; *vegetabilia, in quibus ineſt, tum* eſſe, *tum* vivere; *animata, quæ habent* eſſe, vivere, *&* ſentire; *& rationalia, in quibus ad priora perfectionum genera accedit* ratio *vel ſine ſenſu; ut in ſpiritibus ſeparatis vel cum ſenſu, uti in homine. Sed quænam genera diverſa rerum, quarum nullas fortaſſis ideas habemus, poſſibilia ſint, adfirmate ſtatui*

*tui a nobis haud poteſt. Illud concludo, mundum non abſolute & materialiter ſpectatum, ſed formaliter, & relative, nempe conſiderato fine, ordine, & cauſſa efficiente, vel exemplari, optimum dici poſſe.*

II. *Libertas Dei, quam tolli putamus Leibnitiana opinione.* Nam 1. Secundum hæc principia non poterat Deus a condendo mundo abſtinere. Si enim vi ſapientiæ, & bonitatis ſuæ ſemper fertur in id, quod eſt melius, vel optimum, & ſi melius Deo viſum eſt, aliquid condere & perfectiones ſuas manifeſtare, non poterat iſtud non condere, ſive non potuit a condendo mundo abſtinere. Hoc argumentum ſic informari poteſt: hoc Univerſum vi intrinſecæ perfectionis, adeoque abſoluta neceſſitate eſt melius, ac perfectius quovis alio poſſibili; ea perfectio ſecundum Leibnitianos ratio ſufficiens eſt, cur a Deo id producatur: præterea Deus vi ſapientiæ ſuæ, adeoque abſoluta neceſſitate hanc perfectionem maiorem, & rationem ſufficientem ab omni retro æternitate cognovit, & propter leges immutabiles eiusdem ſapientiæ, ac bonitatis divinæ, adeoque abſoluta neceſſitate perfectionem maiorem, & rationem ſufficientem ſequi debuit: ergo dabatur in Deo iam inde ab omni retro æternitate ratio ſufficiens condendi Univerſi; & quia poſita ratione ſufficiente abſoluta neceſſitate ponitur rationatum, omnino neceſſarium fuit, ut Deus hoc Univerſum conderet, neque ab illo condendo abſtinere potuit. 2. Poſtquam Deus aliquod Univerſum condere voluit ( vel ſecundum principia Leibnitianorum debuit ) liberum ipſi non erat, hoc, illudve condere. Si enim hoc Univerſum alteri poſſibili perfectione æquale non eſt; & ſi perfectio ſeu maior ſeu minor cuivis intrinſeca eſt, & eſſentialis: ſi denique Deus vi ſapientiæ & bonitatis non modo cognoſcit, ſed etiam ſequi debet id, quod perfectius eſt, meliusque; nulla libera electio ad hoc, illudve condendum, ſed mera neceſſitas relinquitur, eaque abſoluta, quippe in eſſentiis rerum, & immutabilibus legibus divinarum perfectionum fundata.

III. *Contingentia huius mundi tollitur.* Secundum Leibnitium quodvis poſſibile Univerſum habet *ius prætendendi exiſtentiam pro ratione perfectionis*, quam in-

 vol-

volvit; atque id ipſum eſt cauſſa exiſtentiæ melioris; cum ergo maior perfectio ſit huic mundo intrinſeca, & eſſentialis, eademque ſit cauſſa exiſtentiæ, ſequitur, ut poſita hac perfectione, & eſſentia mundi tanquam ratione ſufficiente, ipſa exiſtentia tanquam rationatum abſoluta neceſſitate poni debeat; quemadmodum poſita eſſentia tanquam ratione ſufficiente attributorum abſoluta neceſſitate ponenda ſunt attributa tanquam rationata; verbo: Poſitis his legibus ſapientiæ, & bonitatis divinæ, ut, quod perfectius eſt, Deus ſequatur, ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi in ipſa eiusdem perfectione eſſentiali continetur; igitur contingens non eſt.

*Adpoſite Boſcovichius* in Supplem. Phil. Stayan. ad L. I. diſſerit: *ſecundum hanc iſtius principii adplicationem, quæcunque exiſtunt, non tam ipſi Deo, quam ſibi ipſis, & ſuæ naturæ debebunt, quod exiſtant. Nam poſita hac eorum natura, & ceterarum creatarum rerum conſtitutione fieri non potuit, ut ipſa Deus præ aliis creanda non elegerit. Accedit, quod admodum facile delaberemur ad ipſum naturæ Auctorem ſupremum & moderatorem penitus ſubmovendum. Secluſo enim omni eius arbitrio quam pronum eſt, ut ea, in quorum natura admittitur ratio ipſum Deum neceſſario determinans ad ea creanda, dicantur neceſſario omnino exiſtere, & ſuam per ſe exiſtentiam determinare? ego quidem adeo proximos video utriusque ſententiæ fines, ut maxime verear, ne, qui ad immanis velut barathri oram, præcipiti rationis curſu devenerit, conſiſtere, & mentem omnino cohibere non poſſit, ne ruat. Ac miror ſane eos, qui principium fovent adeo periculoſum, a quo libertati & humanæ, & divinæ, ac divinæ ipſi exiſtentiæ tam facilis pernicies imminet, eiusmodi conſectaria vel non videre, vel non metuere.*

IV. *Poſſibilitas etiam intrinſeca aliorum mundorum tollitur.* Secundum Leibnitium infinita ſunt Univerſa poſſibilia in ideis Dei; cuiusvis igitur Univerſi exiſtentia, ſi id in ſe, & notis (ſaltem poſitivis, & abſolutis) ſpectetur, eſt poſſibilis; at in hypotheſi, quod aliud Univerſum (nempe præſens) maiorem habeat rationem exiſtendi, ſive maiorem in ſe perfectionem contineat, nullum eorum exiſtere poteſt, ſive exiſtentia

im-

impoſſibilis évadit; nam, ut ait, eorum *non niſi unicum* poteſt exiſtere. Equidem nunc ita exiſtimo: quod non aliter poſſibile eſt, niſi ſub conditione abſolute impoſſibili, id manet abſolute impoſſibile: exiſtentia verò aliorum mundorum non aliter poſſibilis eſt, niſi ſub conditione abſolute impoſſibili: nempe ſi præſens mundus non habet maiorem perfectionem, & rationem exiſtendi, quam alii mundi minus perfecti, & ſiquid a Deo contra immutabiles leges ſapientiæ, ac bonitatis ſuæ fieri poſſit: quæ conditio utraque abſolute repugnat; igitur exiſtentia aliorum mundorum abſolute eſt impoſſibilis. Dein maior perfectio huius Univerſi eſt fundamentum neceſſariæ electionis reſpectu Dei: ergo minor perfectio fundamentum eſt neceſſariæ non electionis; ſive electionem facit impoſſibilem. Conf. §. XVI. n. IV. Phil. Prim.

*Eleganter orationem proſequitur Boſcovichius loc. cit. „ Accedit, quod quæcunque non exiſtunt, impoſſibilia omnino eſſent etiam impoſſibilitate contradictionis. Nam impoſſibilitate contradictionis impoſſibile eſt, rationes illas, quæ fuerunt, non fuiſſe: Deum non vidiſſe rationes omnes, quæ eſſent: viſis rationibus non egiſſe id, quod rationes illæ optimum eſſe indicarent, reliquis omiſſis; quare, ſi illa reliqua exiſterent, exiſterent ſimul, ut ponitur, & non exiſterent, quia nec per ſe exiſtere, nec a Deo, ad alia perfectiora creanda determinato, creari potuiſſent. Quæ eſt iſta poſſibilitas rerum reliquarum, quarum exiſtentia haberi non poteſt, niſi Deo ea ſeligente, qui ea ſeligere poſita ſapientia ſua, & bonitate nequaquam potuerit? ubi vera aliqua, & non tantummodo ficta quædam rerum exiſtentium contingentia, non exiſtentium poſſibilitas? admiſſa autem vera rerum omnium exiſtentium neceſſitate, non exiſtentium impoſſibilitate, quanto gravius iterum creationis, & creatoris amovendi periculum? „ Si quæras, quæ ſit interna pugna, & contradictio aliorum mundorum, R. Si iidem ſecundum notas poſitivas, atque abſolutas, atque in ſe præciſe ſpectentur, nihil repugnantiæ involvunt: at ſi conſiderantur ſecundum notas negativas ſive defectum perfectionis, & comparate ad mundum perfectiorem, atque ad immutabiles leges ſapientiæ divinæ, dico, eos intrinſecus repugnare; in principiis enim Leibnitianis alii mundi ob poſitivam perfe-*

*ctionem apti ſunt ad exiſtendum : atqui & poſitiva perfectio, & negativa, ſive defectus perfectionis, interna eſt, & eſſentialis; hinc & habilitas exiſtendi, & inhabilitas erit interna; quod repugnat. Eodemque modo, ſi dicas, præſentem mundum eſſe productum, conſequenter contingentem, non neceſſarium ;* R. *Eundem ſecundum Leibnitiana principia neceſſario fuiſſe productum, nec contingentem recte dici poſſe; nam contingens eſt, cuius oppoſitum poſſibile, ſive quod ita exiſtit, ut poſſit non exiſtere; ſi autem mundus ob maiorem perfectionem ius prætendendi exiſtentiam habet, & ſi Deus vi ſapientiæ, & bonitatis ſuæ rationem obiectivam ſequi debet, hic mundus non poteſt non exiſtere. Sed audiendi ſunt Leibnitiani.*

## §. XXVIII.

### Dicta Leibnitianorum Confutantur.

I. *Repugnat divinæ ſapientiæ, & bonitati, ut imperfectiora Deus præferat perfectioribus; ergo, quod melius eſt, & perfectius, Deus ſequitur neceſſario.* R. 1. Non repugnat divinæ ſapientiæ, & bonitati, ut Deus nihil omnino condat: quippe qui infinite diſtat a re quavis creata, a nulla pendet, nulla omnino eget, ſibique ſufficientiſſimus eſt; igitur neque repugnat, ut condat id, quod in ſe optimum non eſt; cum quævis productio etiam non optimæ rei, quæ a non eſſe traducitur ad eſſe, ſummum Conditoris beneficium ſit. R. 2. Repugnat divinæ omnipotentiæ, ut exhauriatur bonitate finita; igitur, ſi non niſi optimum poſſet condere Deus, nihil omnino condere poſſet. R. 3. Vitioſa hæc eſt concluſio: hoc opus eſt imperfectum: ergo Dei operatio, ſive actio Dei eſt imperfecta. Nam hæc duo adcurate diſtinguenda ſunt: *A perfectius eſt, & melius, quam B; &, perfectius, & melius eſt creare A, quam B.* Relate ad Deum æque perfectum eſt creare minus perfecta, quam magis perfecta; quia illa bonitas, & perfectio, quæ in rebus creatis ineſt, divinæ perfectioni comparata non modo tenuiſſima eſt, ſed purum nihil; quia hoc loco certe valet tritum illud: finiti ad infinitum nulla eſt proportio; æque res omnes ex nihilo prodeunt; neque maiore molimine Deus eget, ut vaſtos globos, quam ut atomos creet. Unico voluntatis

nutu

nutu opus eſt: dixit; & facta ſunt. Quapropter omnes perfectiones creatæ, ſeu maiores nobis videantur, ſeu minores, ad divinam perfectionem relatæ pro æqualibus, aut potius pro nihilo habendæ ſunt. Omnia enim ſunt coram eo, quaſi non ſint, docent divinæ literæ, & confirmat ſana ratio, ſi idea Entis infinite perfecti diligenter expendatur. Quam ob rem neque minor perfectio imperfectionem Deo irrogat, neque perfectio maior meritum poſitivum, & ius prætendendi exiſtentiam habet, Deumve ad ſui productionem determinare poteſt.

II. *Imperfectio operis in opificem redundat; ergo divinæ quoque perfectioni officit, condere minus perfecta relictis perfectioribus.* R. d. a. Imperfectio relativa operis redundat in opificem, ſiquod opus fini intento non reſpondet, c. a. imperfectio abſoluta operis in ſe ſpectati in opificem redundat, ſubd. Si id opus indicio eſt, opificem nobiliori operi efficiendo parem non eſſe, vel ſi is quavis de cauſſa opus nobilius efficere tenetur, c. a. ſecus, n. a, & c. Etſi inter opera, & artefacta alia aliis nobiliora ſint, velut e. g. artes liberales anteſtant mechanicis; tamen perfectionem operum ex fine intento, ceu principio perfectionis ſolemus æſtimare. Opus ignobilius nullam opificis imperfectionem indicat, niſi quatenus indicio eſt, eum nobiliori efficiendo imparem eſſe, vel opera nobiliora negligere, cum vilioribus intentus eſt. Comparate ad Deum mundus intento fini exacte reſpondet, ac quivis utcunque abſolute, & in ſe imperfectus, cum ex nihilo educi debeat, potentiam infinitam manifeſtat: proindeque nullius impotentiæ argumentum eſt; nec vero Deus optimum tenetur ſequi, ac ne poteſt quidem; cum optimum ſit nullum, & quocunque electo, meliora ſemper eſſe poſſint alia, atque alia ſine fine. Nihil igitur divinæ perfectioni officit, quod minus perfecta elegerit perfectioribus omiſſis, cum id præſtiterit, quod non præſtare omnino non potuit.

III. *Decet Deum*, inquit Wolfius, ut *perfectiora eligat*: Ergo. R. Secundum Wolfium Deum dicitur *decere* id, cuius ratio in eſſentia, vel attributis divinis continetur. Hæc igitur Wolfiana decentia, etſi vox ipſa mitior ſit, vera neceſſitas eſt ex perfectionibus abſolute neceſſariis dimanans. Sed, inquit, Deus ſemper perfe-

 ctiſ-

ctiſſimo modo operatur; concedo id quidem, quatenus operatio refertur ad Deum, vel ad finem intentum. Nego, rem ipſam, ſive obiectum operationis divinæ in ſe conſideratum ob eam cauſſam perfectiſſimum eſſe, uti cum Deus res univerſas cognoſcit, & perfectiſſimo modo cognoſcit; propterea res ipſæ haud perfectiſſimæ ſunt; ſic quidquid a Deo producitur, id producitur perfectiſſimo modo, nullo ſubiecto præexiſtente, ob ſanctiſſimos, & ſapientiſſimos fines. Quapropter, quod ſupra adnotavi, iterato inculcandum eſt, hæc duo inter ſe magnopere differre: A eſt perfectius, quam B; &, relate ad Deum perfectius eſt creare A, quam B. Hoc intereſt inter Deum, & homines, eum actioni ſe dant, quod homines agendo perfici poſſint, & debeant; hinc culpari poſſunt, ſi imperfectiora efficiant, omiſſis perfectioribus. At vero Deus cum agit, non ſuæ, ſed alienæ perfectioni, & utilitati proſpicit. Cæterum ſiquis artifex nulla obligatione adſtringitur, quam optime rem efficiendi, nec ſubſidio artis egeat; non video, cur reprehendi poſſit, ſi non omnem artem, conatumque adhibeat operi perficiendo.

IV. *Si Deus eligendo Univerſum quoddam rationem obiectivam, ſive perfectionem ipſius obiecti ſequutus non eſt, tunc moliendo quidquam pro ſuo libitu egit, & velut genio ſuo indulſit: id vero abſurdum eſt.* In hunc modum Leibnitius reſpondit Clarckio, cum hic ei obieciſſet, Deum ad fatalem neceſſitatem adſtringi principio rationis ſufficientis. R. n. M. Quando Deus perfectione libertatis ſuæ, plenoque dominio, ac ſupremo iure utitur, ineptiſſime genio indulgere dicitur. Non enim genio indulget, qui ſanctiſſimos, & ſapientiſſimos fines præfigit actioni ſuæ, cuiusmodi Deus ſibi in creandis rebus præfixit, manifeſtationem ſuæ gloriæ, & communicationem bonitatis ſuæ cum creaturis.

V. Wolfius Theol. Nat. P. 1. c. 3. §. 406. ſcriptum eſt, inquit: *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. v. 31. *Valde bonum idem denotat, ac optimum; Ergo cuncta, quæ fecerat Deus, & viderat, optima ſunt.* R. In ſenſu relativo optima; c. non abſolute. Cum Deus res ſingulas viderat, bonæ dicuntur in Scriptura; cum dein omnes ſimul, & univerſas, valde bo-

bonæ adpellantur, id eſt, optimæ ratione finis, diſpoſitionis, mutui nexus. Hinc S. Thomas I. P. Q. 47. Art. 2. ad 1. *Optimi agentis eſt producere totum effectum ſuum optimum; non tamen, quod quamlibet partem totius faciat optimam.* De ordine vero, & nexu rerum ait ibid. Q. 25. Art. 6. Univerſum ſuppoſitis iſtis rebus non poteſt eſſe melius propter decentiſſimum ordinem his rebus a Deo attributum, in quo bonum Univerſi conſiſtit; quorum ſi unum aliquod eſſet melius, corrumperetur proportio ordinis; ſicut ſi una chorda plus debito intenderetur, corrumperetur cytharæ melodia.

VI. *Si hic mundus optimus non eſt, erit in eo aliquid, quod corrigi poſſit: abſurdum eſt autem, opera divinæ ſapientiæ corrigi poſſe; Ergo optimus eſt.* R. n. M. Hic mundus fini ſuo reſpondet, atque ordinatiſſime diſpoſitus eſt; nihil igitur in illo corrigi poteſt, etſi materialiter non ſit optimus. Sed putat Leibnitius, ſi perfectior mundus poſſibilis eſt, iure culpari iam non poteſt Alphonſus X. Caſtellæ Rex, dicens, Deum melius quid facturum fuiſſe, ſi ſuo conſilio eſſet uſus. R. Abſit; par ſtultitia eſt, Dei opera carpere, ceu male ordinata, ac Deo potentiam auferre meliora procreandi, quaſi potentia infinita finito opere exhauriri queat. Alphonſus non res in ſe ſpectatas, ſed ordinem rerum accuſavit, putans ſic diſpoſitum eſſe Univerſi ſyſtema, uti Ptolomæus docuerat; ſed, ut obſervat, Coteſius, ſi idem Rex reviviſceret, nec ſimplicitatem naturæ, nec harmoniæ gratiam nunc deſideraret poſt præclara Neutoni inventa. Nunquid vero, ſi meliorem hoc præſente mundo eligeret Deus, ſemet corrigeret? haudquaquam; quia hic mundus non præter Dei intentionem extitit, quaſi cum meliorem voluiſſet efficere, deterior repente prodiiſſet. Denique cum optimum eſſe quidquam, vel effici poſſe negamus, non reſtringimus Dei potentiam, ſed ultra omnes limites extendimus; id modo negamus fieri a Deo poſſe, ut impoſſibilia producat. in quorum numero eſt quidvis finitum, idemque maximum.

*Admodum duræ ſunt conſequutiones, quas ex ſententia Leibnitianorum deduximus; nec vero illas viris doctiſſimis, ac honeſtiſſimis, ſed opinioni ipſorum imputamus, quæ, uti a Leibnitio propoſita eſt, multis capitibus reprehendi*

*hendi poſſe videtur ; quæ eſt enim poſſibilitas infinitorum mundorum, qui unico excepto exiſtere omnino non poſſent? quæ dein electio habet locum, cum Deus vi perfectionis non niſi ad unicum, quod nempe optimum eſt, determinatus dicitur? quomodo ens contingens, quod nihil eſt penitus in ſtatu poſſibilitatis, ius habere poteſt exiſtentiam prætendendi, cum ad eſſe, & non eſſe vi nationis ex æquo indifferens ſit? Denique quæ eſt hæc concludendi ratio: neceſſe eſt dari aliquam rationem electionis divinæ: nulla reperitur, niſi ratio A; ergo hæc ipſa vera eſt ratio; quis, obſecro, rationes omnes poſſibiles, ſiqua ultra voluntatem Conditoris dari deberet, animo concipere poteſt?*

# CAPUT IV.

## *De Deo ſpectato ut Conſervatore, & Gubernatore rerum.*

*Quod cauſſæ efficiunt creatæ, non itidem ſemper conſervant, nec ei provident neceſſario. At cum de Cauſſa Prima diſſeritur, inter creationem rerum, & conſervationem, inter hanc, & providentiam, vel gubernationem perpuſillum diſcrimen eſt, quod ſola ratione, & cogitandi modo conſtat. Nihilominus diſtincte agendum eſt de ſingulis, quantum inſtituti ratio, ac temporis anguſtia ſinunt.*

### §. XXIX.

*Conſervatio* relata ad res conſervatas nihil eſt, niſi continuata exiſtentia, vel continuatio exiſtentiæ: relata ad cauſſam conſervantem, nempe Deum, eſt actio, quæ efficit, ut res creatæ exiſtentiam continuent, ſive continuatio actionis illius, qua res creatæ exiſtentiam primo accepere; verbo, continuata creatio.

### §. XXX.

Propoſitio I. *Deus quamvis rem creatam ſingulis momentis conſervat.* Prob. 1. *Ex rerum ipſarum natura.* Ratio continuatæ exiſtentiæ rerum, non continetur in ipſa illarum eſſentia, ac proin nec in attributo quodam ab eſſentia dimanante; ſicut enim quidvis indifferens erat ad habendam exiſtentiam primo momento; ita vi eſſentiæ quidvis pariter indifferens eſt ad eam habendam ſe-

cundo,

cundo, tertio, quarto &c. momento, ita ut ſemper contingenter exiſtat, neque ulla repugnantia ſequatur, ſi exiſtentiam non continuet. Nec vero ratio continuatæ exiſtentiæ in accidente, ſeu modo ſita eſt; Non in modo ab arbitrio pendente; quid eſt enim, quod pro libitu ſuo redire in nihilum poteſt? nec in modo vel accidente alio, quod non pendet ab arbitrio; Horum enim modorum ratio ultima in ente externo a re modificata diſtincto, & ultimato in Cauſſa Prima exiſtentiam ac ſtatus rerum determinante continetur. Ergo ratio exiſtentiæ tum primo acceptæ, tum poſtea continuatæ in ſolo Deo eſt. 2. *Ex ſupremo Dei Dominio*: id enim ob hanc ipſam cauſſam, quod ſupremum ſit, & illimitatum, exigit, ut res nulla creata ſine poſitiva Dei voluntate actu ſit, vel exiſtat: atqui, niſi perpetua conſervatione egerent res quævis, exiſtere quædam poſſet, etſi Deus poſitive non velit, eam exiſtere, modo nec nollet poſitive; id perabſurdum eſt.

*Quam propoſuimus, ſententiam magno conſenſu tradidere Auctores graviſſimi.* Carteſius *Epiſt. Tom.* 2. *Epiſt.* 16. *n.* 7. *ait*: „*Nec dubium eſt, ſi Deus ceſſaret à ſuo concurſu* (*conſervatione*) *quin ſtatim omnia in nihilum ſint abitura, quia, antequam creata eſſent, & ipſis concurſum ſuum præberet, nihil erant.* „ *Nec per hoc, quod ſubſtantia dicatur per ſe exiſtere, excluditur concurſus divinus, quo indiget ad ſubſiſtendum; ſed tantummodo ſignificamus, illam eſſe talem rem, ut absque omni alia creata eſſe poſſit, quod de modis rerum dici non poteſt. Nec Deus oſtenderet potentiam ſuam eſſe immenſam, ſi res tales efficeret, ut poſtea ſine ipſo eſſe poſſent; ſed contra illam in hoc teſtaretur finitam eſſe, quod res ſemel creatæ ab eo non amplius penderent.* *Proſper in carmine de Providentia ita canit*:

*Omnem autem hanc molem mundi qui condidit, ipſe*
*Et regit; utque nihil non ortum ſumſit ab illo,*
*Sic nihil eſt, quod ſtare queat, factore remoto.*

*Idem diſerte Auguſtinus L. XII. de civit. Dei c.* 25. *docet*: *Si potentiam ſuam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut, antequam fierent, non fuerunt. Et Lactantius L. III. c.* 27. *Natura, remota providentia, ac poteſtate divina, prorſus nihil eſt. Con-*

ſentit *Maximus Tyrius* orat. 1. „ *Nihil eorum, quæ ſunt, permaneret, niſi Deus illius naturam attingeret, ac veluti contrectaret.* „ *Eodem pertinet Pythagoræ dictum a Clemente Alexandrino relatum in Protreptico: „Deus quidem eſt unus. Is autem non eſt, ut quidam exiſtimant extra mundum, ſed in ipſo totus; in toto circulo præſes omnis generationis, univerſorum temperatio, ſemper exiſtens, & opifex ſuarum virium, & operum omnium: in cælo illuminator, omnium pater, mens & animatio totius circuli, omnium motus.„ Minutius Felix Virgilium quoque huius dogmatis adſtipulatorem facere videtur, cuius ea ſunt verbs: Deum ire per omnes, terraſque, tractusque maris, cælumque profundum. Hanc Pythagoricorum mentem craſſo, & pravo ſenſu interpretati ſunt ii, qui Deum animam Univerſi adpellarunt: multo rectius de conſervatione, & concurſu Dei ad omnes creaturarum actiones prolata fuiſſe a ſubtiliſſimo Philoſopho videntur. Ex conſervatione quidem, de qua hactenus egi, concurſus per ſeſe ſequitur; Nam Deus conſervando res ipſas, conſervat omnia, quæ vi eſſentiæ iis competunt, proinde vim quoque agendi, quæcunque ea eſt, una conſervat, hoc eſt, vim agendi eodem momento, quo exeritur, & res ipſas in eo ſtatu, quem agendo obtinent, conſervat; quod, ni fallor, nihil eſt aliud, quam rationem actionis continere, & ad actiones quasvis ſingulatim & immediate concurrere. Siquid præterea aliud exigit Dei concurſus, id difficile eſt captu propterea, quod ipſa actionis, & principii agendi perobſcura in nobis idea eſt. Quæ contra dicta obiici ſolent, levicula ſunt.* 1. *Aiunt: Artefactum humanum, ut perſeveret, poſteaquam perfectum eſt, actione artificis non eget: igitur neque opera ſummi Artificis tam imperfecta cenſeri poſſunt, ut protinus interirent, ſi is manum ſuam ab iis retraheret. R. Opera creaturarum, quamdiu ſunt in rerum natura, ſtatum ſuum conſervant vi inertiæ, cohæſionis, aliiſque viribus mutuis, quæ ab artifice creato minime pendent; at nimirum, ut ſint in rerum natura, neceſſe eſt, ut exiſtentiæ ratio ſufficiens detur, quæ in ſolo Deo eſt, ſive concipiatur primo obtineri, ſive continuari. Sed, inquiunt, perfectius eſt opus, quod ſine adſiſtentia artificis peragit motus ſuos; R. Siquod opus ſine adſiſtentia artificis creati moveri nequit, perfectione caret, cuius recipiendæ per eſſentiam ſuam capax eſt, quamque artifex & poterat, & debebat*

*bebat conferre : Ut vero res creatæ Dei conſervatione, & concurſu non egeant, nec ipſarum natura limitata, nec Dei ſupremum Dominium permittit. Quærunt dein, ſi ad omnes actiones concurrit Deus, num etiam ad ſcelera, cædes, & turpiſſimos quosque motus? R. Ad omnes plane actiones concurrit phyſice, ſive reali quadam actione, non tamen, ſi malæ ſunt actiones, elective, & ex propria determinatione concurrit, ſed potius eſt determinatus a cauſſa libera; non enim actionem malam vult, aut intendit, imo impedit, quantum ſalva libertate ſatis eſt impedire, ut ei nequeat ullo pacto imputari. Concurſus ad actiones bonas ſpecialis ac moralis dicitur, cum earum auctor vere adpellari poſſit.*

## §. XXXI.

*Providentia* eſt cura rerum a Deo profecta, ut inquit Nemeſius L. de Nat. Hominis c. 42. eaque complectitur tum actus intellectus, uti & vox latina a *viſu* derivata, & græca, πρόνοια, quaſi προνόησις, id eſt, antegreſſa notio, vel cognitio indicat: tum actus vel decreta voluntatis, qua Deus & fines præfigit, & media adplicat, & conſervationem rerum, ac concurſum decernit. Exequutio decretorum facta præfixo tempore, & ab ipſo Deo, per quam media diriguntur ad ſuos fines, *Gubernatio* dici ſolet, vel Adminiſtratio rerum.

*A Scriptoribus paſſim cura dicitur Numinis providentia; ut ſedula, & intenta divinæ mentis cogitatio de procreatis rebus, non quæcunque cognitio, vel actio exprimatur.*

## §. XXXII.

Propoſitio II. *Deus Providentia ſua totum mundum, resque omnes & ſingulas, & magnas, & parvas adminiſtrat.* Prob. 1. Deus totum mundum, resque omnes, & ſingulas, & magnas & parvas procreavit ob ſapientiſſimos fines: ergo easdem providentia ſua etiam adminiſtrat, atque ad fines ſuos dirigit; quia Enti Infinito neque potentia deeſt rebus a ſe conditis providendi, nec voluntas. Nam *primo* res omnes, ac ſingulas, earumque fines, & finium media diſtinctiſſime intuetur, & præ-

præſens eſt ubique, neque copia rerum, aut varietate obrui, aut fatigari poteſt; quæ ex ipſa idea Entis ſapientiſſimi, immenſi, ac potentiſſimi per ſeſe elucent. *Secundo.* Uti Deus bonitate adductus res omnes, ac ſingulas procreavit; ita eadem bonitate, poſteaquam procreatæ ſunt; adminiſtrare debet; nam *cum aliquid non feciſſe, nulla iniuſtitia ſit*, ut Ambroſius inquit de offic. c. 13. *non curare, quod feceris, ſumma inclementia eſt.* Omnibus certe quidem, qui paulo elegantius, & acutius philoſophati ſunt, abſurdiſſimum ſemper viſum eſt dicere, Deum quidem omnia feciſſe ſola benignitate, & humanitate adductum; eorum autem, quæ fecit, nullam curam gerere, & creaturam veluti cymbam aliquam & clavo & gubernatore deſtitutam a contrariis ventis huc illuc impelli, ſcopuliſque, ac rupibus alliſam confringi. Sed adcuratiſſime ad propoſitum Plato differit L. X. de Legibus: „ *An ille, ad quem operis alicuius effectio, & cura maxime ſpectat, ita erit comparatus, ut de magnis magnam, de parvis nullam curam gerat? - - Sive Deus ſit, ſive homo, duabus de cauſſis negligit - - vel quoniam nihil ad univerſum referre exiſtimat, ſi parva negligantur, vel ſi referre putat, præ ſupinitate tamen, & ignavia deliciis occupato animo negligit - - non enim tunc eſt negligentia; cum fieri non poteſt, ut quis omnia & parva, & magna cura ſua complectatur, atque idcirco imbecillitate præpeditus minime curat - - Nullus Deorum otio, pigritiaque corruptus, negligens eſt. - - quid vero, cum Medicus totum corpus curare velit, & poſſit; ſi magnis providerit, exigua neglexerit; felixne erit illius curationis ſucceſſus? ita neque gubernatoribus navium, neque imperatoribus, neque patribus familias, neque iis denique, qui in re publica verſantur, neque ulli homini huius generis res unquam bene geretur, niſi parvis quoque rebus fuerit proviſum, neque ſine illis magnarum rerum ratio conſtabit; nam ſine parvis magnos lapides bene componi, atque coagmentari negant Architecti. Ne committamus, ut Deum mortalibus opificibus viliorem cenſeamus.* „ Ita ex Platonis ſententia nulla ratio, ob quam homines res effectas negligunt, eaſque curare haud volunt, in Deum cadit; vult igitur Deus rebus procreatis providere; quod demonſtrandum hoc loco erat.

Prob.

Prob. 2. Deus res omnes, ac ſingulas primo procreavit, certos iisdem fines præſtituit, omnes, ac ſingulas itidem conſervat, atque ad earum cunctas actiones, & mutationes concurrit; hac ergo ſpectata creatione rerum, conſervatione, & concurſu, per quæ ad ſuos fines omnia moventur ab ipſo Deo, manifeſtum eſt, eundem providentia ſua mundum adminiſtrare.

## §. XXXIII.

Providentia eſt alia *generalis*, alia *ſpecialis*. Generalem vocant, qua tota rerum Univerſitas adminiſtratur ſecundum leges in creatione ſtabilitas: ſpecialem, qua res ſingulæ ſeorſim diriguntur ad ſuos fines proximos & immediatos, quaque earum bonum procuratur, & mala ſubmoventur. Utraque hæc providentia argumentis noſtris evincitur: *generalis*, quia Deus vi bonitatis ad unum omnia finem deſtinavit, nempe manifeſtationem ſuæ gloriæ, & felicitatem mentium intellectu, & ratione præditarum; ad hunc finem tota rerum coexiſtentium collectio, & ſucceſſivarum ſeries, omnisque finium particularium ſubordinatio tendit. *Specialis* autem Providentia ex ſapientiæ, & bonitatis divinæ ratione elucet; neque enim Deus generatim, abſtracte, & confuſe quidquam ſibi repræſentat, aut decernit; ſed ſingula ſeorſim eodem tempore diſtinctiſſime intuetur, eorumque fines, ac media perſpicit; ſingula pariter conſervat, ſingulorum actionibus concurſu ſuo intervenit, neque modum ignorare poteſt, quo ſingulorum commoda ad bonum totius dirigat. Eandem ſpecialem providentiam manifeſtat communis hominum ſenſus; quivis enim ſatis intelligit, ſingulatim ſe a Deo, eiusque providentia pendere, eundem ſuis & cogitatis, & factis invigilare, quisque ſibi propitios cupit ſuperos: uti ſe quisque non ſegniter amat. Quamvis autem membrum communitatis ſit quispiam, & communibus fruatur bonis, & prematur malis communibus, id tamen proprium amorem naturæ ac rationi maxime conformem minime tollit. Mens enim humana, uti in ſingulis hominibus ineſt, proprio naturæ ſuæ adpetitu fertur in bonum, & finem ſibi præfixum habet, nempe veram beatitatem, qua & potiri poteſt, etſi excidant alii, & excidere, etſi alii eadem potiantur. Non poſſunt

igitur

igitur ſinguli homines in individuo ſpectari inſtar puri medii ad bonum Univerſi procurandum unice deſtinati, quaſi ex Univerſi bono ratio ſufficiens penderet, cur huic individuo bene, alteri male ſit, præſertim cum vi naturæ ſinguli homines, & univerſi æquales ſint, eiusdemque conditionis, nullaque extra voluntatem Dei ſit ratio, cur temporariis bonis vel malis alius præ alio abundet, vel careat. Neque vero ex conſideratione boni communis, niſi ſpecialis providentia præ oculis habeatur, quidquam ſolatii in adverſis rebus magnopere extundi poteſt, cum nemo alienæ felicitati ita conſultum velit, ut ſua penitus, ac perpetuo excidat. Et quamvis homines communi felicitati conſulere ſine incommodo privatorum ſæpe nequeant; tamen hæc imbecillitas in ſapientiam divinam, quæ diverſiſſimas vias, & infinita media habet finem generalem obtinendi, minime cadit; hinc nec concipi poteſt, Deum mala immittere in quemquam ea duntaxat ex cauſſa, ut communi bono conſulatur, quaſi alia conſulendi ratio nulla ipſi ſuppeteret; quamvis enim ſingulorum certa erga alios officia, certæque relationes ſint; tamen ſpectata ſingulorum natura, proprioque felicitatis adpetitu intelligi non poteſt, quomodo ſinguli ſint finis Univerſorum, Univerſi autem finis ſingulorum. Ob hanc cauſſam probari penitus non poſſe Philonis de Providentia fragmentum arbitror, quod Euſebius L. VIII. Præparat. c. 5. refert in hunc modum: *Ventorum impetus, & pluviæ vis non ad perniciem navigantium, aut agricolarum, ſed ad utilitatem humani generis divinitus mittitur. Aquis enim terram, ventis vero regionem, quæ ſub luna eſt, mundare ſolet, & utrisque animalia, & plantas alit, auget, perficit. Quodſi navigantes, aut agricolas nonnunquam perdit, mirari non debes: minima enim quædam iſti particula ſunt: cura vero totius humani generis Deo eſt. Ut ergo in editione ludorum, atque certaminis, ædiles propter aliquos reipublicæ uſus die certaminis mutato, fecerunt non nullos luctatorum non adfuiſſe; ſic & Deus quaſi magnæ cuiusdam civitatis, totius orbis curam gerens humidiorem æſtatem, & vernantem hyemem ad utilitatem totius effecit, quamvis non nulli hac temporum inæqualitate magna damna patiantur.*

§. XXXIV.

## §. XXXIV.

### Providentia Dei Vindicatur Ab Impiis Dictis Epicuræorum.

I. *Innumerabilia ſunt, & graviſſima in mundo mala, quæ contra Providentiam, & Bonitatem Dei quodammodo teſtimonium dicunt*: Ita Epicurus teſte Lactantio L. de Ira Dei c. 13. diſſerebat: *Deus aut vult tollere mala, & non poteſt: aut poteſt, & non vult: aut neque vult, neque poteſt: Si vult, & non poteſt, imbecillis eſt: quod in Deum non cadit. Si poteſt, & non vult, invidus: quod æque alienum a Deo. Si neque vult, neque poteſt; & invidus, & imbecillis eſt, ideoque neque Deus. Si vult, & poteſt; quod ſolum Deo convenit; unde ergo ſunt mala, aut cur illa non tollit?* Mire hoc argumentum torſit VV. Philoſophos; ac multi Epicuro duce ob mala ſuſtulerunt providentiam; alii invenerunt fatum, cui divinitas quoque eſſet ſubiecta: Plato mala tribuit pervicaciæ materiæ, ex qua mundus conſtat: Plutarchus eidem materiæ animam malignam inſediſſe ait, quam Deus non penitus emendarit: Manichæi duce Manete Perſa ſtatuerunt duo rerum principia, utrumque a ſe, & neceſſario exiſtens, unum bonum, ac bonorum: alterum malum, & malorum cauſſam. Verum quoniam latiſſime patet Epicuri Argumentum, primo generatim quædam adnotabo, poſtea de ſingulis malorum generibus ſingulatim reſpondebo. 1. Maxime reprehendendus eſt ingratus hominum animus, qui, cum plurimis bonis in dies cumulentur a Deo, paucis incommodis, quorum nec originem nec finem norunt, ita mox franguntur, ut abiecta beneficiorum memoria impudentiſſimas contra Deum O. M. Querelas effutiant. 2. Prava admodum, & a vero longiſſime abhorrentia ſunt hominum de veris bonis, ac malis iudicia; fere enim ſolo ſenſu, ac terminis præſentis vitæ bonum, & malum metiuntur; quaſi non etiam pueri in rebus non malis fleant, ac lamententur. Recte autem Seneca bonorum animi maximam rationem habendam docet L. de Provid. *Non fulgetis extrinſecus: bona veſtra introrſus obverſa ſunt.* & Nemesius L. de Hom. c. 44. *prava* inquit, & *perverſa habent de bonis iudicia. Eos enim, qui opibus circum-*

*cumfluunt, & dignitatibus inſoleſcunt , & ceteris fluxis, caducisque bonis glorientur, felices eſſe , & beatos iudicant : animi autem bona pro nihilo ducunt, quæ multum corporis, & externa bona antecellunt. Præſtantiora enim bona ſunt, quæ rerum ſunt præſtantiorum ; itaque tanto virtutes divitias, ſanitatem , & cetera antecellunt, quanto anima corpus anteit. - - Omnis bonus beatus ; & omnis improbus miſer , etiamſi omnibus prorſus fortunæ bonis, quæ dicuntur, abundet. - - Cum Deus non neſciat, bono viro expedire pauperem eſſe, eiusque ſenſum opes , ſi dentur, depravaturas , utiliter eum in paupertate ſinit vivere, ac qui opulentus eſt , ſæpe importuniorem fore videns , ſi egeat , ( ad latrocinandum enim , & trucidandos homines , aut ad alia quædam graviora facinora animum adiungeret) potiri illum opibus permittit. - -* 3. Inprimis nimius ſui amor quemvis facile excæcat , ut, quamtumvis recte ſentiat de alienis malis , de propriis , & in propria cauſſa perverſe iudicet. Si patrem vides, filios improbos caſtigantem , id probas , ac vere patrem dicis : ſi Deus pænas de te ſumit , ægre fers : cum raptores vides , eos pænas vis dare : cum ipſe peccaſſe te meminiſti , impunitus cupis evadere. 4. Immortalitas humanæ mentis maxime ſpectanda eſt , ſi de bonis , ac malis vitæ mortalis iudicium quoddam ferri debet. Qui felicitatem, & miſeriam præſentis vitæ terminis definiunt, de bono , ac malo , de honeſtate, ac turpitudine , de virtute ac ſcelere recte iudicare minime poſſunt, uti paulo inferius palam fiet. 5. Quia plurima Providentiæ conſilia hebeti mentis noſtræ acie perſcrutari non poſſumus, patet, iniuſte reprehendi id, quod parum cognoſcitur , & temere haberi pro inordinato , ſi ordo , aut regula ordinis non perſpicitur. Sicut homines rudes , & fatui non attingunt ea, quæ a Sapientibus agitantur conſilia , neque beſtiæ ullas omnino hominum cogitationes comprehendunt, ſic neque nos arcana decreta ſummi Numinis pervidemus, cuius & ſapientia , & potentia infinito intervallo a noſtra imbecillitate ſeiuncta eſt. Accedit amplitudo totius Syſtematis, finium ſubordinatio, & nexus multiplex eventuum; quæ ſi conferantur cum arctis limitibus noſtræ mentis , apertiſſima inſania eſt , Dei Providentiam examinare in ſingulari quovis caſu, & tribunali humanæ rationis ſubiicere velle. Sentiamus

tiamus cum SALVIANO L. III. de Provid. *Qua cauſſa quidem hæc Deus faciat, non intelligo, ſed ad pleniſſimam rationem abunde ſufficit, quod a Deo agi iſta demonſtro. Sicut enim plus eſt Deus, quam omnis humana ratio; ſic plus mihi debet eſſe, quam ratio, quod a Deo agi cuncta cognoſco - - Hæc ergo de gubernaculo Dei atque indicio expeditiſſime, ac fortiſſime dici poſſunt; imo etiamſi omnis alia reſponſio deeſſet, hæc una ſufficeret.* In eandem ſententiam acute diſſerit AUGUSTINUS in Pſal. 148. Homo peritus, qui officinam quandam ingreditur, variaque poſita inſtrumenta videt, facile ſibi perſuadet, non ſine cauſſa ea eſſe poſita: Artifex novit quare, etſi ego non novi; *in officina non audet vituperare fabrum; & audet reprehendere in hoc mundo Deum.* Profecto nemo ſanus artificem ſyſtematis reprehendit, niſi ſingula, & univerſa ad ſyſtema pertinentia penitus comprehendat; Atqui in ſyſtemate & Phyſico & Morali omnium Sapientum conſenſu innumerabilia ſunt, quæ in hoc mortali ſtatu vix coniectura quadam attingi a nobis poſſunt. 5. Denique ex abſtracta idea bonitatis divinæ a cæteris perfectionibus ſeparatæ tuto inferri non ſemper poteſt, quid fieri a Deo, aut non fieri poſſit, debeatve; eſt enim ea coniuncta cum aliis perfectionibus e. g. iuſtitia, ſupremo Dominio &c. quæ etſi inter ſe non pugnent, tamen diverſos effectus poſtulant. Quod ex idea alterius cuiusdam perfectionis dimanat, fieri a Deo, vel permitti poteſt, etſi idem ex abſtracta idea bonitatis non derivetur, modo eidem nec opponi oſtendi queat. His quidem generatim animadverſis de vario genere bonorum, ac malorum ſpeciatim agendum eſt.

II. *Abhorret a Dei ſapientia, & bonitate, ut mundus male adminiſtretur, & defectibus ſcateat: ergo mala, quæ in mundo ſunt, cum providentia conciliari nequeunt.* R. Triplicis generis bona, ac mala ſunt, *Metaphyſica, Phyſica, & Moralia.* De his poſtea; nunc de prioribus. *Mala Metaphyſica*, quæ in ſola limitatione rerum, defectuque earum ab infinita perfectione conſiſtunt, Dei bonitati minime repugnant, quia quævis res creata, cum ſit finita, defectum quemdam perfectionis continet; ſi igitur malum metaphyſicum permittere non poſſet Deus, nihil omnino poſſet condere,

neque ſe cum creaturis ullo modo communicare. *Mala Phyſica* in imperfectione fini rerum, aut naturæ contraria ſita ſunt, ceu morbi, interitus, peſtis, deformitas, ficcitas, ſterilitas, fames, terræ motus &c. Eiusmodi mala, etſi plurima ſint in mundo, nequaquam indicio, vel argumento eſſe poſſunt, mundum male adminiſtrari; nam primo ex naturalibus cauſſis ea proveniunt; nec vero ſummus Conditor res gubernare contra naturales earum proprietates tenetur; dein eadem mala phyſica, ceu media ad maiora bona præſertim moralia obtinenda ordinantur a Deo: mentes hominum a præſentibus, & caducis rebus avocant, atque ad cæleſtes, & æternas transferunt, proindeque ad finem noſtrum, veramque felicitatem nos ducunt, cum virtutis exercendæ certa occaſio ſint, & culpas commiſſas abſtergant. Qui citra meritum ſuum felices eſſe cupiunt, nullo id iure poſtulant, & iniqui in Deum ſunt, qui actuum moralium præſtantiam in condendo, & regendo mundo maxime ſpectat. Hæc quidem ad particularia mala, quæ obiectare ſolent providentiæ hoſtes, adplicari poſſunt, uti 1. cum dicunt, hominibus duriſſimo labore victum neceſſarium quærendum eſſe, cum tamen brutis cuncta nulla ſemente, & nullo naſcantur aratu. Sed id quidem eſſe malum pœnæ in hoc ſtatu, revelatione diſcimus; quamquam, cur non poſſit Deus homines hac ipſa conditione, & laborandi neceſſitate condere nulla præcedente culpa, cum iis rationem dederit, aptasque corporis, ac mentis vires, queis victum quærant? Recte igitur Deus, ne agendi potentia ſterilis maneat rudisque, inopiam, & neceſſitatem addidit comitem, ex qua deinceps præclaræ artes extitere. 2. Si Deus res conditas amat, ſi gubernat, unde tanta inter homines ſortis inæqualitas eſt? cur alii pauperes, ſervi, undequaque miſeri? alii opibus florentes nullo ſuo præ aliis merito? ſed ut obſervat Chrysostomus Hom. 34. in 1. Cor. Nulla eſſet infelicior civitas, quam ubi omnes æquales, æque divites, & honorati eſſent, ac unusquisque ſerviendi, ac miniſtrandi, artesve vel opera tractandi laborem defugeret; non ſolum enim tenues opulentioribus egent, ſed opulenti tenuibus, & hi quidem magis. Quapropter graduum inæqualitas magnopere confirmat providentiam. Sed nos ſimiliter agimus,

mus, ac ſiquis pictorem damnaret, quod non pulcros æque colores ubique poſuerit, vel choragum, qui præter Heroes etiam viliores perſonas voce rudiore pronunciantes induxit. Quæcunque demum ſit graduum inæqualitas, ſingulis tamen ſeſe impendit providentia, & ſæpe communiter benefacit; aeris beneficio non magis dives, quam pauper utitur, nec ſol, luna, & ſtellarum micantia lumina divitibus magis, quam pauperibus miniſtrantur; nec maiores guttæ aut fæcundiores ſupra divitis, quam pauperis agrum cadunt. 3. In malis Phyſicis numeranda ſunt monſtra; quæ providentiæ Gubernatoris videntur obeſſe. R. Monſtra, ſeu peccata naturæ ſunt, quatenus a fine, & ordine naturæ deficiunt: ergo, ſi monſtra ſunt, finis & ordo ſit, neceſſe eſt; atqui ſi nulla eſſet mens directrix in mundo, nec finis, nec ordo eſſet. Igitur monſtra adeo non obſunt providentiæ, ut potius argumento ſint finis, & ordinis, qui a providentia proficiſcitur. Sed dudum reſpondit S. Thomas L. III. contra Gentes c. 71. *Divina gubernatio: qua Deus in rebus operatur, non excludit operationem cauſſarum ſecundarum. Contingit autem provenire defectum in effectu propter defectum cauſſæ ſecundæ agentis, absque eo, quod ſit defectus in primo agente. - - - Si Deus eſt, unde malum eſt? eſſet e contrario arguendum, ſi malum eſt, Deus eſt; non enim eſſet malum ſublato ordine boni, cuius privatio eſt malum: hic autem ordo non eſſet, ſi Deus non eſſet.* Eodem loco multa reperies ad propoſitum argumentum pertinentia.

III. *Mala moralia cum ſanctitate & providentia Dei pugnant.* R. Si mala moralia cum perfectione quadam Dei pugnarent, eadem abſolute eſſent impoſſibilia; atqui non ſunt; nihil enim eorum, ex quibus poſſibilitas mali moralis oritur, cum Dei perfectione pugnat; quod ſic oſtenditur: poſſibilitas mali moralis fundatur 1. In malo metaphyſico, ſive in ipſa limitatione intellectus, & voluntatis creatæ: 2. In lege morali, cuius transgreſſio eſt ipſum peccatum, ſeu morale malum. 3. In hominis libertate. His enim poſitis poſſibilitas mali moralis ponitur. Porro nec permiſſio mali metaphyſici cum Dei bonitate, vel perfectione pugnat, ut ſupra dictum. Lex moralis ab ipſa etiam bonitate, & ſapientia Dei neceſſario profluit; libertas denique eſt maxime natu-

ralis menti finitæ inter bona finita conſtitutæ; nec eam Deus homini adimere tenetur, cum ex ea maxima bona deriventur ceu hominis merita, exercitatio virtutum &c. quos quidem actus morales Deus ob ſuam gloriam, & hominis beatitatem maxime pro fine habuit in condendo mundo. In hanc ſententiam S. THOMAS ratiocinatur loc. cit. „ *Non pertinet ad divinam providentiam, ut omnino excludat a rebus potentiam deficiendi a bono. Hanc autem potentiam ſequitur malum; qua, quod poteſt deficere, quandoque deficit; & ipſe defectus boni malum eſt. - - - Optimum in gubernatione qualibet eſt, ut rebus gubernatis ſecundum modum ſuum provideatur. - - - eſſet contra rationem divini regiminis, ſi non ſineret res creatas agere ſecundum modum propriæ naturæ. Ex hoc autem, quod creaturæ ſic agunt, ſequitur corruptio & malum in rebus - - - multa bona ſunt in rebus, quæ niſi mala eſſent, locum non haberent: ſicut non eſſet patientia iuſtorum, ſi non eſſet malignitas perſequentium: nec eſſet locus iuſtitiæ vindicativæ, ſi delicta non eſſent. In rebus etiam naturalibus non eſſet unius generatio, niſi eſſet alterius corruptio - - - pulcritudo Univerſi ex ordinata bonorum, & malorum adunatione conſurgit, dum mala ex bonis deficientibus proveniunt; & tamen ex eis quædam bona conſequuntur ex providentia gubernantis.* „ Sane maximæ ſapientiæ, ac potentiæ eſt ea, quæ peſſime ab hominibus facta ſunt, in uſum optimum poſſe convertere, & quæ nos informia fecimus, ea in formam pulcram poſſe redigere, & perfecta exhibere.

IV. *Pauci recte utuntur libertate, ratione, acumine, opibus, uti ex peſſimo rerum iſtarum uſu liquet; igitur Deus hominibus concedere non debuit, uti vinum ægrotis, quia prodeſt raro, nocet ſæpiſſime, melius eſt non adhibere omnino, quam ſpe dubiæ ſalutis in apertam perniciem incurrere.* R. o. a. Nemo eſt, qui non plurimis caſibus recte utatur ratione, & libertate; & multi prope conſtanter eadem recte utuntur: Deus autem actus morales honeſtos maxime reſpicit. Sed n. c. Ad prob. Vinum per ſe, & vi interna nocet, aut quidem nocere poteſt ægrotis; at ratio, quæ fundamentum eſt libertatis, per ſeſe fertur in verum, rectum, honeſtum; atque id Deus potiſſimum intendit, cum mentes intellectivas conderet: adiecit leges, promiſſa, minas, queis

eas-

easdem ſalva libertate ad bonum alliceret, a malo abſterreret. Quocirca abuſus libertatis non Deo, ſed ſoli creaturæ tribui poteſt. Ægrotus ſine vino & vivere poteſt, & convaleſcere: ſine *ratione* homo eſſe non poteſt. Sine dubio medicus vinum quoque permitteret, ſi eo ſubtracto certo periturum, conceſſo autem morbum duntaxat continuari, vel augeri noſſet. Sic dedit Deus homini rationem, & libertatem ceu vitam eſſentialem, etſi mala moralia ceu morbos quosdam ex malo eiusdem uſu ſequutura præviderit. Certe patrimoniis quoque male utuntur multi; nec continuo ea dari non debent, vel qui accipiunt, nullum a patribus beneficium habent.

V. *Potuit Deus efficere, ut ſalva hominis libertate aut nemo peccaret, aut nemo æternum damnaretur, ſi non niſi eos condidiſſet, quos innocentes manſuros, vel acturos pœnitentiam prævidit; Ergo vi bonitatis id efficere debuit.* R. c. a. n. c. Deus omnium ſalutem cupit; media, quæ ſufficiunt, omnibus ſuppeditat, præmia, ac pœnas proponit; nemo unus perit, niſi culpa ſua. Sed ſumma temeritas eſt, litigare cum Omnipotente velle. Vid. n. I. puncto 5 & 6. Sunt, qui exemplo Medici, Principis, parentum docere volunt, Deum debere impedire mala moralia. De Medico dictum eſt paulo ante; is enim vi pacti cuiusdam cum ægroto ad eius ſalutem procurandam adſtringitur; Princeps quoque reipublicæ ſaluti tenetur ſtudere, & ipſe ſupremo Numinis dominio ſubeſt; non poteſt igitur ſcelera permittere eo fine, ut ſuam in iis puniendis iuſtitiam manifeſtet; imo nec Deus *intendit* mala moralia iuſtitiæ manifeſtandæ gratia; ſed conceſſa libertate, ac permiſſo malo eiusdem uſu, conſequenter ad fines optimos ea dirigit, quod fieri a principe non poteſt. Denique parentes quoque ad procurandam ſalutem temporariam, & æternam prolium adſtringuntur. Nulla in Deum eiusmodi cadit obligatio.

VI. *Si Deus res humanas curat, fieri non poteſt, ut homines probi vexentur, mali proſpere vivant: atqui id fit ſæpenumero.* Eſt hic quoque aries quidam impietatis, quo Epicurus, & Lucretius providentiam impugnarunt; videbant enim, bonis adverſa ſæpe accidere, paupertatem, labores, exilia, carorum amiſſiones:

malos contra beatos eſſe, & potentia augeri, & florere honoribus: innocentiam parum tutam, ſcelus impunitum eſſe, mortem ſine delectu, & ordine, ſine diſcrimine annorum, & probitatis ſævire: in bellis, & litibus ſæpe meliores ſuccumbere: ipſa etiam templa præ latronum latibulis fulmine tangi, & conflagrare. Ob eiusmodi cauſſas providentiæ obtrectarunt. R. d. M. Fieri non poſſet, ut homines probi vexentur ultra, quam ferre poſſint cum virtute, & ſolatio, atque ut vexentur pro ſtatu finali, ut aiunt, c. M. Fieri non poteſt, ut infra vires ſuas & cum ſolatio, & pro ſtatu vitæ vexentur, n. M. Id poſterius fieri, non prius illud, concedo. Felicitas, & miſeria, quæcunque in hac vita locum habet, non externa rerum ſpecie æſtimanda eſt. Probi quidem, niſi ſibimet obſint, rebus adverſis plus interni ſolatii, & tranquillitatis habent, quam improbus quisque, etſi voluptatibus, ac fortuna affluat. Neceſſe eſt, ut virtuti, ac merito locus relinquatur in hac vita; nec vero miles ante pugnam, & victoriam coronam iure exigit; improbos certa pœna manet, ni reſipiſcant, nec cuiquam optabile eſt, ut Deus quodvis ſcelus ſtatim puniat. Nemo tam probus, ut nihil delinquat, & merito luat; nec fere quisquam tam flagitioſus, qui nihil bene agat, & præmium quoddam temporarium non mereatur.

VII. *Si Deus tot res, tantasque perpetuo curare debet, nequit eſſe beatus: at beatiſſimus eſt; igitur curare non debet.* Prob. M. *Adminiſtrare curſum aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordinesque, regere terras ac maria, hominum vitam tueri, & commoda, res eſt plena laboris, ac moleſtiæ.* Ita de diis ſuis Epicurus diſſerebat, qui, ut eſt apud Ciceronem L. I. de Nat. Deor. quaſi pueri delicati nihil ceſſatione melius exiſtimat. R. Beatitas non excludit actionem, ſed ſolam moleſtiam, quæ ſi coniuncta eſt cum noſtris actionibus in hoc ſtatu, in Ente infinito locum non habet. Si enim creatio rerum univerſarum Deo laborioſa non fuit, aut moleſta; nec conſervatio earundem, & gubernatio moleſtiam ei faceſſere poteſt. Nec vero ex noſtra imbecillitate fieri coniectura debet de modo, quo Deus operatur, vel operando adficitur. Ceſſationem ad beatitatem haud pertinere, Tullius obſervavit loc. cit.

cit. Ipſi tamen pueri, etiam cum ceſſant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: Deum ſic feriatum volumus ceſſatione torpere, ut, ſi ſe commoverit, vereamur, ne beatus eſſe non poſſit.

VIII. *Repugnat Maieſtati Dei, ut res mundanas ab excellentia ſua infinite diſtantes curet.* R. n. Si procreatio rerum divinæ maieſtati non repugnat; nec conſervatio, & gubernatio eidem obeſt; neque talia condidit Ens ſummum, quæ mox, ut condidit, negligat, & adſpernetur; nemo enim negligit, niſi ex levitate animi, & inconſtantia, vel ex deſidia, vel imbecillitate; vel quia res uſum porro, ac finem non habet. Nil tale de Deo, & creatis rebus pronunciari poteſt; etſi enim eæ viles ſint comparate ad divinas perfectiones; tamen opera ſunt Artificis ſapientiſſimi, atque ad finem excellentiſſimum ſunt deſtinatæ.

IX. *Saltem res minimas non curat Deus, etſi maioribus invigilet; ita Stoici ſentiebant teſte Tullio* L. III. de Nat. Deor. „ *Minora dii negligunt, neque agellos ſin-* „ *gulorum, nec viticulas perſequuntur: nec, ſi uredo, aut* „ *grando quidpiam nocuit, id Jovi animadvertendum fuit.* „ *Pariter fuere, qui ſublimiores duntaxat mundi partes gubernari a Deo, hanc imam vero partem caſibus, & fortuitis motibus relictam putarunt.* R. Res quævis creata, utcunque magna nobis adpareat, ad infinitam perfectionem relata, plane minima eſt, & propemodum nulla; ſi ergo minima non curat Deus, nihil curat. Rectius in hunc modum concludes: minima iſta produxit: igitur & curat, præſertim cum recta conſtitutio maiorum ſine minimorum cura non conſtet, uti ex Platone diſcimus §. XXXII. Si principem dedecet, ut ad res viles curandas ſe abiiciat, cauſſa eſt, quod is ob limitatam intelligentiam, & potentiam omnia & ſingula curare non poſſit, ac proin operam dare debeat, ne cura minorum graviora negligat. Ea certe princeps curat, quæ coram ſe geruntur, atque ad fines a ſe intentos neceſſaria ſunt; comparate ad Deum omnia in conſpectu eius fiunt, certosque fines habent præfixos. Hinc Cotta apud Ciceronem L. III. de Nat. Deor. Stoicis ſimiliter obiicientibus reſpondet: *reges ſi ſcientes prætermittant, magna culpa eſt: at Deo ne excuſatio quidem eſt inſcitiæ.* Difficilem

lem auctoritate ſua quæſtionem facit Hieronymus, dum in 1. c. Habacuc inquit: „ *Abſurdum eſt, ad hoc Dei deducere maieſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotve moriantur, - - - Non ſimus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam eius ad ima detrahimus, in nos ipſos iniurioſi ſimus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam eſſe dicentes.* „ Reſpondent, Hieronymum ignorare non potuiſſe teſtimonia ſacri Codicis, quorum maxima eſt, & illuſtris copia, aſſerentis, Deum non univerſe ſolum, ſed minutatim quoque rationem habere ſingulorum, iisque propria, & adcommodata unicuique providentia conſulere; quapropter dicendum, ſcientiam, & curam benevolam illam, & paternam, quæ hominibus adhibetur, brutis adhiberi negaſſe, ſive *eandem*, ut ipſe loquitur, irrationabilium, & rationabilium providentiam eſſe.

X. *Si Deus res omnes adminiſtrat, perpetuo mutari debet; id vero repugnat.* R. n. M. Providentia, uti actus intellectus, & decreta voluntatis divinæ complectitur, æterna eſt, nec ulli mutationi ſubiacet. Exequutio decretorum Dei fit præfixo tempore, & mutationem efficit in rebus, in Deo nullam efficit, uti nec creatio, quæ in tempore facta eſt, mutationem in Deo, vel actibus eiusdem immanentibus, ſed in rebus ipſis effecit.

XI. *Providentia hominum libertatem tollit; quod enim prævidet Deus, vel quod decernit, infallibiliter, ut aiunt, futurum eſt.* R. Libertati actuum humanæ mentis nec præſcientia divina, nec decretum obeſt; nam præſcientia eſt intuitus quidam ſpeculativus, qui totum actum primum proximum creaturæ relinquit illæſum, quique conceptu noſtro, ſive logice, ut aiunt, poſterior eſt libera determinatione creaturæ, etſi tempore, vel potius æternitate eam præſcientiam antecedat; ideo enim præſcit Deus, quia homo libere vult, ſeſeque determinat; non e contrario ideo homo vult, vel ſe determinat, quia Deus id præſcit. Dein quoniam divina voluntas non cæco modo quidquam decernit, ſed prælucente cognitione intellectus; conſequitur, ut, ſicut præſcientia Dei impediri poteſt; ſic certum decretum ad actus liberos pertinens hominis libertati officere minime queat.

Res

Res hæc tota ad forum Theologicum pertinet. Nobis ſatis eſt, & præſcientiam Dei, & libertatem humanam inconcuſſis argumentis demonſtraſſe; ut, ſi modum non ſatis perſpiceremus, quo altera cum altera conciliari poſſit, propterea neutra in dubium vocanda eſſet. Cavendum quoque, ne providentia Dei ignavos nos reddat, quaſi Deus ita curaret res noſtras, ut ipſi nihil agere debeamus. Inepte Auctor quidam in hunc modum loquitur: ſi Deus ſingulis rebus providet, quid cauſſis civilibus, & iudiciis opus eſt? Deus enim, cum iuſtiſſimus ſit, non ſuffragabitur alteri, quam ius habenti. Singula certe curat Deus, ſed ipſis hominum actionibus, ceu mediis utitur, queis conſilia ſua exequatur; ea cura non fit modo aperto, ſed occulto, quemque perſcrutari ſæpenumero nulla ratione, ac via poſſumus.

*Providentiæ divinæ maxime repugnat* fatum, *quod ex Chryſippi Stoici definitione ita deſcribit Gellius L. VI. c.* 2. *ut ſit naturalis quædam ordinatio omnium rerum ex æterno, aliis ad alia conſequentibus, ita, ut incommutabilis maneat iſta complexio. Fatum igitur inſuperabilem neceſſitatem continet, vel invehit in res mundanas, diciturque* Mahumedanum, *ſi etiam abſentibus cauſſis, & mediis veluti cæca rerum neceſſitas ponitur:* Democriticum, *ſi ea neceſſitas ex æterno, & immutabili atomorum motu derivatur:* Stoicum, *ſi eadem ex immutabili Dei voluntate ſine ulla ad propenſiones, & voluntates hominum adcommodatione fingitur oriri:* Aſtrologicum, *ſi neceſſitas actionum omnium ex aſtrorum motu, & poſitione promanare creditur:* Spinozziſticum, *ſi ea neceſſitas ex natura divina, eiusque attributis deducitur. Hæc quidem refutatione non egent, poſteaquam de libertate Dei, & hominum, de contingentia eventuum, poſſibilitate miraculorum, & in primis de providentia Numinis omnia pro arbitrio ſuo gubernantis ſatis a nobis, & abunde dictum eſt. Quare unicum videtur addendum hoc loco, quod Auguſtinus L. V. de civit. Dei.c.*1. *docet: „Siquis ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem* fati *nomine adpellat, ſententiam teneat, linguam corrigat. Fatum enim quando homines audiunt, uſitata loquendi conſuetudine non intelligunt, niſi vim poſitionis ſiderum, qualis eſt, quando quis naſcitur, ſive concipitur.* „

# CAPUT V.

## *De Deo ſpectato uti Legiſlatore.*

*Quæ de Exiſtentia Dei, & divinis perfectionibus, quæ de fine creationis rerum, de conſervatione, ac providentia diſſeruimus, eo nos deducunt, ut creaturis ratione, & libertate præditis quasdam leges ad actiones earum liberas pertinentes a Sapientiſſimo, ac Providentiſſimo Creatore conſtitui debere, ac reipſa conſtitutas eſſe, minime dubitemus. Quapropter Deus ut Legiſlator conſiderandus eſt. Nec vero limites Philoſophiæ theoreticæ egrediar, nec in alias ſcientias de Jure Naturæ pertractantes immittam falcem; Sed adnotabo duntaxat quædam, quæ fundamentis legum naturalium ſtabiliendis, earumque illuſtrandis principiis videntur magnopere inſervire.*

## §. XXXV.

Actio, quæ ab hominis arbitrio pendet, & legi cuidam ſubiacet, vel *interna* eſt, conſiſtens in cognitione, adpetitione, averſatione, volitione, ſeu libera determinatione; vel *externa*, ſeu potius mixta, quando interna cognitio, & adpetitio coniungitur cum certo corporis, & membrorum motu. Actionis nomine vulgo etiam *omiſſio* actionis comprehenditur. Quævis actio in - vel externa ſpectari poteſt duplici modo. 1. *In genere naturæ*, vel ſecundum entitatem ſuam, uti ea eſt aliqua cogitatio, aliquis motus, vel generatim aliqua adfectio entis. 2. *In genere morum*, quatenus denominatur honeſta, laude, præmio digna; aut turpis, vituperanda, punienda, verbo: bona vel mala moraliter. Hæc denominatio oritur ex relatione actionis ad aliquam regulam, vel normam, cui ea conformis eſt, aut difformis, ita ut *bonitas moralis* in conformitate actionis cum regula, *malitia* in difformitate conſiſtat, & *moralitas* univerſe ſit habitudo actionis ad quandam normam, vel regulam. Quod ut penitiſſime perſpiciatur, in memoriam revocanda ſunt, quæ de *Ratione ſpeculativa*, & *practica* expoſita ſunt in Pſychologia. Poſteaquam progreſſu ætatis ope rationis, & experientiæ, ac informationis adepti ſumus cognitiones quasdam theoreticas de Deo, mente noſtra, de aliis hominibus, de communitate, re publica, civitate, in qua degimus, de natura ipſarum actionum &c. ex iisdem ope rationis facile deducimus practicas cognitiones, ſive *dictamina practica* ad actionum noſtrarum regimen, vitæ gubernationem, morum-

que

que informationem pertinentia. Actiones dein particulares ad hæc dictamina practica, ceu regulas, & normas earundem referimus, & pro conformitate, vel difformitate, quam cum iisdem habent, bonas vel malas nuncupamus.

*Ut res hæc exemplis illuſtretur, ſint nobis cognitæ veritates theoreticæ de Deo, ac divinis perfectionibus: Deus eſt Ens ſummum, principium, & ratio ultima rerum omnium, a quo toti pendemus, qui univerſum mundum vi bonitatis, certumque ad finem procreavit, qui eundem conſervat, regit, providentia ſua adminiſtrat &c: Ex hac Theoria, ſive theoreticis cognitionibus mox concludemus practica dictamina: igitur Deo ſummus cultus amoris, & obſequii, ſumma reverentia, adoratio, fiducia, fidelitas &c. debetur: igitur fugiendæ ſunt blaſphemiæ, periuria, ſuperſtitiones &c. cavendumque, ne character incommunicabilis, ac honor divinitatis alteri Enti finito exhibeatur. Similiter de aliis hominibus, quos ob naturæ ſimilitudinem proximos vocamus, cognitiones practicas ex theoreticis deductas formamus: Societas & commercium cum aliis hominibus ſumme utile, ac neceſſarium nobis eſt ad vitam noſtram tuendam, & conſervandam, quia nemo ſibimet ad procurandas res omnes ſufficit, ipſaque hominis natura, & facultas ſermocinandi, & aviditas communicandi cum aliis notitias rerum, & ſimilitudo ac cognatio non ſolum corporis, ac ſanguinis, ſed mentis quoque, ac rationis ad ſocietatem natos eſſe homines demonſtrat. Ex quo conſequitur, ut pacem, fidem, iuſtitiam &c. colere debeamus, utque miſeratio indigis, pietas parentibus, caritas patriæ, ac civibus exhibeantur. In hanc ſententiam S. Thomas L. 3. contra Gentes c. 129. „ Eſt homini naturale, inquit, „ quod ſit animal ſociale; quod ex hoc oſtenditur, quod „ unus homo ſolus non ſufficit ad omnia, quæ ſunt humanæ „ vitæ neceſſaria. Ea igitur, ſine quibus ſocietas humana „ conſervari non poteſt, ſunt homini naturaliter convenien„ tia. Huiusmodi autem ſunt unicuique, quod ſuum eſt, „ conſervare, & ab iniuriis abſtinere. „ Si nos ipſi reſpicimus, multo ſupra beſtias nos eminere, & ad bonum ac felicitatem ab ipſa natura nos deſtinatos intelligimus; cum vero duplex ſit, uti bonorum, ac malorum, ita adpetitionis, vel averſationis genus, facile videmus, ordinem quendam adpetituum ſervandum eſſe, quem ipſa ratio*

*ratio dictat. Nam ut pariter S. Thomas L. 3. contra Gent. c. 29. ait: „ Secundum naturalem ordinem corpus hominis „ eſt propter animam , & vires inferiores animæ propter „ rationem - - Ex eo autem, quod eſt ad aliud ordinatum, dicitur ei auxilium provenire, non autem aliquod „ impedimentum. Eſt igitur naturaliter rectum, quod ſic „ procuretur ab homine corpus, & inferiores vires animæ, „ ut ex hoc & actus rationis , & bonum ipſius minime „ impediatur, magis autem iuvetur. Si autem ſecus acciderit, erit naturaliter peccatum. Vinolentiæ igitur, & „ commeſſationes , & inordinatus venereorum uſus , per „ quæ actus rationis impeditur; & ſubdi paſſionibus , quæ „ liberum iudicium rationis eſſe non ſinunt , ſunt naturaliter mala. „ Patet igitur ex ideis rerum, & theoreticis cognitionibus deduci dictamina practica ad Deum, nos ipſos, vel proximos pertinentia , quibus ſi conformes ſint actiones humanæ, moraliter bonæ: ſi difformes, malæ vocantur. Et quia vi rationis naturalis iſtiusmodi dictamina formantur , quidque homini ſpectata ſua natura faciendum ſit, fugiendumve, enunciant; idcirco ea ceu ab ipſa ratione , vel natura rationali dictata accipimus , & actiones naturæ rationali, vel rationi conſentaneas , vel diſſentaneas nuncupamus. Denique non modo ad noſtra dictamina, ſed vel maxime ad legem Dei referimus actiones ceu ad normam , vel regulam earundem ; de qua re mox uberior expoſitio dabitur.*

## §. XXXVI.

Quærendum nunc eſt, an quædam actiones ſint *intrinſece* bonæ, vel malæ , ſeu ex natura ſua honeſtæ, aut turpes : ſive an ea ſit vis dictaminum , vel regularum moralium ſola ratione cognitarum , ut actiones humanæ, ſi iis conſentiant, ſemper, ac neceſſario rectæ, honeſtæ, laudabiles, & præmio dignæ : ſi diſſentiant , per ſeſe pravæ, iniuſtæ , reprehenſione dignæ & ſupplicio revera ſint , & haberi debeant. Magnopere curandum eſt , ut , quid præſens quæſtio velit , adcurate perſpiciatur. Quæro, ſitne ſpectata natura actionis, & mentis intellectivæ diſcrimen quoddam honeſti , ac turpis, iuſti, ac iniuſti. Quæſtio non eſt de *diſcrimine phyſico* actionum; nam datam fidem ſervare, aut fallere, miſerum in ſummis anguſtiis iuvare, aut deſtituere. lau-

dare

dare ſupremum Numen, vel impiis vocibus laceſſere &c. in genere phyſico actiones ſunt maxime differentes, aliæ cogitationes & adfectiones mentis ſunt, aliæ motiones corporis, ac membrorum; nec id quiſquam in dubium vocat. At de *morali actionum diſcrimine* hoc loco agitur, ob quod fidem præſtare, iuvare miſeros, Deum venerari, parentes colere &c. actiones ſunt per ſeſe & neceſſario bonæ, ac honeſtæ, adprobatione, laude, ac præmio dignæ: contra fallere datam fidem, adſpernari parentes &c. actiones maxime improbandæ, & caſtigandæ, ac turpes. Quod in omnibus hominibus, qui ratione utuntur, dictamina, & principia quædam practica ad actiones liberas, ac mores pertinentia inſint, tam evidenter nobis conſtat, quam quod in hominibus, ſi ſanis ſenſibus pollent, inſit idea ſolis, ac lunæ. Præterea manifeſtum eſt, actiones quaſdam hominum principiis moralibus conformes eſſe, alias difformes; actiones Catilinæ exitium parantis patriæ diſſentiebant ab iis principiis: actiones Tullii patriam conſervantis cum illis conſentiebant. Hinc virtutem a ſcelere diſtinguimus. Quæritur autem hoc loco, an virtus aut ſcelus, fides aut perfidia, humanitas & crudelitas, continentia, & impuritatis genus quodcunque diverſa duntaxat, & inania nomina ſint, per ſe & natura ſua actiones adiaphoras exprimentia; an ſolis præiudiciis infantiæ ac vulgi alterum laudatur, alterum vituperatur? an lege duntaxat humana & vi potentum fit, ut furta, latrocinia, cædes &c. iniuſta dicantur, & caſtigentur gravibus ſuppliciis? An igitur mens noſtra, quæ ab omni vi, & neceſſitate immunis eſt, per ſe nulli legi ſubiacet, ita, ut niſi hominum leges, ac minæ obſtarent, perinde foret, utrumvis agat, ſeu beſtiarum more vivat, ſeu id ſequatur, quod honeſtatem, virtutem, ſapientiam &c. nominamus; Quæritur denique, an Supremus naturæ Conditor, cum libertatem nobis conceſſit naturalem, quemvis pariter illius uſum conceſſerit, aut potuerit omnino concedere, ita, ut æquis oculis ſine diſcrimine intueatur, ſive is laudetur ab hominibus, ſive impiis vocibus laceſſatur, ſeu cum beſtiis ſe miſceat homo, ſeu contemplandæ veritati det operam; ſive peieret, ſive teſtetur verum; miſeros iuvet, aut pro libidine imbecilles opprimat, exſpoliet, mactet. Iſtuc eſt, quod in præſenti quæritur?

ac

ac credo, plerisque omnibus non minus perſpicuum videri, eſſe ab ipſa natura, & per ſeſe diſcrimen honeſti, ac turpis, ac eſt inter rectam, & curvam lineam neceſſaria diſcrepantia, neque iſta de re magnopere dubitandum autument. Veriſſime id quidem iudicant; at fuere & antiquis temporibus pauculi quidem, & noſtra memoria fortaſſis plures tam belli homines, qui totum id, quod inter honeſtum, ac turpe intereſſe dicimus, non niſi præiudiciis, vel legibus hominum introductum putant, quique ſe mundum in diſciplina Naturalis Juris informaturos profitebantur, poſteaquam omne Naturæ Jus ſuſtulerunt. Hæc enim quæſtio, cuius ſenſum nunc aperuimus, cum illa graviſſima congruit tractatione, ſitne aliquod Naturæ Jus, ſive lex Naturalis, & unde immutabilis illius neceſſitas, ac vis *obligationis* in mente creata proveniat; quæ quidem diſtincte exponi in Philoſophia Practica ſolent, ſed principiis theoreticæ Philoſophiæ, & maxime Theologiæ Naturalis nixa ſunt, & propterea hoc loco prætermitti haud poſſunt.

## §. XXXVII.

Propoſitio I. *Quædam actiones ab hominis libertate pendentes per ſeſe, & intrinſece bonæ, ac honeſtæ, aliæ intrinſece malæ, ac turpes ſunt.* Probatur:

I. *Argumento ad Hominem.* Nullius pertinacia, ac ſtoliditas tanta eſt, ut neget intrinſecum diſcrimen actionum earum, quæ ad proximum pertinent; facile enim ipſo opere quivis convictus fatebitur, minime perinde eſſe, beneficium an iniuriam ab alio accipiat. Siquid iniuſte, & male nobis fit ab aliis, eos iudicamus, reprehendimus, condemnamus; cur ſimiliter non iudicemus, quando ipſi facimus male? qui ab immani latrone opprimitur innocens, peſſime ab illo latrone agi, indubitato iudicat; cur, ſi ipſe ſit latro, ab ſeſe male agi non agnoſcat, cum eiusdem naturæ, & conditionis ſit? In hanc ſententiam vulgo exponuntur verba S. Pauli de lege Naturæ ſcribentis ad Romanos: *Qui alios iudicas, te ipſum condemnas.* Et quis eſt, inquit CHRYSOSTOMUS Homil. 5. in illam Epiſtolam, qui alios non iudicet *in colloquiis in communibus cœtibus*, *in conſcientiæ calculo?* Pariter S. AUGUSTINUS L. II. Conf. c. 4. ait: *furtum*

*certe*

*certe punit lex tua Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas; quis enim fur æquo animo furem patitur?* ARISTOTELES vero in Topic. inquit: *Eos, qui dubitant, utrum oporteat Deos honorare, & parentes diligere, pœna indigere.* Adeo manifeſtum eſt boni, ac mali in actionibus quibusdam diſcrimen, ut non ratiocinio, ſed cruciatibus extorquenda ſit veritas. Si in actionibus iis, quæ ad proximum pertinent, aliud bonum, & honeſtum, aliud malum eſt, ac turpe, *indifferentismus moralis* actionum magnam iam partem everſus eſt, facileque iſtuc intrinſecum diſcrimen ad alias actiones, quæ Deum, vel nos ipſos reſpiciunt, extenditur; quia multo arctius Deo, quam cuivis homini vi naturæ devincti ſumus, ac nemo coniunctior nobis, & propinquior eſſe poſſit, quam quisque ſibimet ipſi ſit.

II. *Ex fine naturali mentis intellectivæ creatæ.* Actiones, quæ per ſe conſentaneæ ſunt naturæ mentis intellectivæ, & ad finem eiusdem naturalem conſequendum neceſſariæ, eæ ſunt intrinſece bonæ: aliæ, quæ naturæ mentis, ac fini eiusdem naturali opponuntur, intrinſece malæ ſunt: Eiusmodi autem ſunt plurimæ actiones ab hominis libertate pendentes: ergo plurimæ actiones intrinſece bonæ vel malæ ſunt. Prima huius ratiocinii propoſitio ex notione *intrinſecæ* bonitatis, vel malitiæ deſumta eſt; nam actiones non abſtracte conſiderandæ ſunt, uti nec exiſtunt modo indeterminato; ſed eſſentialiter reſpiciunt principium, a quo procedunt, quatenus ſunt actiones *huius* entis, *hac* natura, & *hac* capacitate naturali præditi, ad *hunc* finem deſtinati, & *hunc* nexum cum Deo, vel aliis hominibus habentis. Hinc actiones, quæ per ſe conſentaneæ, vel diſſentaneæ ſunt naturæ mentis creatæ, ac fini eiusdem naturali, intrinſece, & ex natura bonæ vel malæ dicuntur. Atqui plurimæ ſunt eiusmodi actiones; mens enim noſtra vi naturæ capax eſt boni infiniti cognoſcendi, & amandi, eaque cognitione & amore conſequendæ felicitatis ſuæ: dein felicitatem adpetit neceſſario; nec iſta adpetitio bonis finitis expleri poteſt: ea felicitas cum manifeſtatione divinæ gloriæ, ceu ultimo fine creatarum rerum arctiſſime, & neceſſario coniuncta eſt: denique mens vi naturæ facta eſt ad ſocietatem, & commercium humanum,

&

& inter alios homines, qui eiuſdem naturæ ſunt, eundemque habent naturalem finem, ita degit, ut alter alterius auxilio ſæpe egeat. Cum hac natura mentis intellectivæ, cum naturali hoc fine, cum felicitate eiuſdem, cum manifeſtatione divinæ gloriæ, cum ſocialitate humana plurimæ actiones per ſeſe, & neceſſario connexæ ſunt, aliæ cum iisdem per ſe, ac neceſſario pugnant. Blaſphemia, periurium, deſperatio, idololatria, ſuperſtitio &c. penitus oppoſita ſunt gloriæ externæ, quæ a mente creata in Creatorem redundare debet: amor autem, obſequium, reverentia, cultus erga ſupremum Numen ad eum finem maxime ſunt neceſſaria. Segnities, intemperantia, ebrietas, omnesque actiones, per quas homo ad beſtias ſe proiicit, felicitati naturali mentis intellectivæ repugnant: contemplatio autem veritatis, & exercitatio virtutis eidem felicitati conſequendæ maxime neceſſaria eſt. Latrocinia, furta, cædes &c. ſocialitati obſunt, & commercium humanum perturbant: iuſtitia vero, mutuus amor, miſericordia in egenos, aliaque iſtiusmodi ad ſocietatem tuendam ita ſunt neceſſaria, ut iis ſublatis conſiſtere non poſſit. Patet igitur manifeſto, plurimas actiones per ſe conſentaneas eſſe naturæ mentis intellectivæ, & ad finem eiusdem naturalem conſequendum neceſſarias, alias autem naturæ mentis, ac fini eiusdem eſſe oppoſitas; conſequenter alias intrinſece bonas, alias intrinſece malas eſſe Hic finis mentium creatarum non ceu extrinſecum quiddam, & naturæ aliunde adveniens ſpectari debet; ſed vel maxime ipſi mentium naturæ, & eſſentiæ conſentaneus, atque unice adcommodatus eſt, ita ut *talis natura* neceſſario *talem* finem habeat præfixum. Id ex ſequenti argumento conſtabit liquidius, & omnino generatim.

III. *Ex Lege æterna Dei.* In mente divina extat lex æterna, ac norma rerum omnium, ex quarum ad illam legem habitudine earum intrinſeca bonitas, vel malitia pendet. Declaratur *primo* de *bonitate metaphyſica.* Poſſibilitas rei, vel eſſentia, ac bonitas ſeu perfectio metaphyſica eſt interna quidem, in ipſis rei notis conſiſtens, uti Sect. I. Phil. Primæ fuit expoſitum. At nec exiſtit res ulla, niſi quatenus a Deo producta eſt, nec aliter exiſtit, niſi ſecundum ideas divinas: quidquid realitatis ſeu bonitatis metaphyſicæ res habet, totum id

eſt

eſt communicatio, & participatio divinæ eſſentiæ; quæ proinde eſt unica norma, ſeu lex, ſecundum quam res exiſtentes bonæ ſunt: & quatenus ab illa infinita eſſentia deficiunt, eatenus ſunt metaphyſice malæ. *Secundo* de *Bonitate Phyſica.* Quidvis in ſuo genere non aliter dicitur perfectum, & ſecundum naturam ſuam recte conſtitutum, ordinatumque, niſi quatenus ideæ archetypæ reſpondet (Pſych. §. VII.) Porro ideæ archetypæ rectiſſimæ, & neceſſariæ ſunt, quæ in mente divina extant, quæque res ipſas, omnesque earum partes, & partium proportionem, ac nexum, fines dein proximos, & remotos, finium ſubordinationem, ac denique finem ultimum diſtinctiſſime repræſentant. Hæ ideæ infiniti Artificis, ſecundum quas Univerſum conſtitutum eſt, ſunt *Lex æterna Dei*; ipſæ autem vires rebus inditæ, per quas conſtitutio Univerſi divinis ideis conſentanea obtinetur, & conſervatur, vel conſtans & uniformis modus, quo res a Deo conſtitutæ agunt, adpellantur *leges Naturæ.* ( Phil. Prim. §. XLI. ) *Tertio de Bonitate & Malitia morali*, quam in conformitate, vel difformitate cum quadam norma vel regula ſitam eſſe ſupra indicavimus. Extat autem relate ad plurimas actiones norma, vel Lex Dei neceſſaria, æterna, & immutabilis; Nam

1. Deus, etſi ſumma libertate, dominioque polleat, & extra ſe procreare quidquam perinde, ac non procreare poſſit; tamen ſiquid agit, operaturve, contra perfectionem ſuam agere nil poteſt. Hoc modo repugnat veracitati, ut falſum loquatur: ſapientiæ & bonitati, ut res conditas non deſtinet ad fines optimos: providentiæ, ut negligat ea, quæ produxit, iisque haud provideat: beatitati, ut non infinite ſeſe amet: excellentiæ, ut alium extra ſe finem ultimum rebus præfigat. Igitur divinæ perfectiones veluti norma ſunt, ſecundum quam neceſſario fieri quædam, & conſtitui debent; cumque mentes intellectivæ creatæ ſingulari ratione ad ſimilitudinem divinæ eſſentiæ factæ ſint, intellectu, ac voluntate præditæ, ratione quoque, & potentia rationis ope ſeſe regendi inſtructæ, amoris vel odii capaces, immortales, felicitatis adpetentes, bono infinito cognoſcendo & amando pares &c. neceſſe eſt ad rectam conſtitutionem iſtarum mentium, ut divinas perfectiones actionibus, vita, ac moribus exprimant; hinc quædam

actiones neceſſario bonæ, & honeſtæ, aliæ malæ, ac turpes ſunt: hinc quædam voluntas recta, alia prava eſt; hinc quidam amor conſentaneus naturæ rationali, alius diſſentaneus: hinc alia vera eſt felicitas, alia adparens &c. ſpectatis nempe divinis perfectionibus, quæ norma ſunt perfectionis, ac ſtatus, quem habere mens creata debet; Si Deus infinite ſeſe amat, neceſſe eſt, ut mens quoque creata bonum infinitum omnibus rebus anteferat, idque ſummo amore, & obſequio proſequatur; ut dein proximum quoque diligat, eique bene velit, in quo imago divinitatis relucet, & cui Deus ſane bene voluit eundem procreando; Si Deus vi perfectionis mentiri, falſumve teſtari haud poteſt: nec naturæ mentis intellectivæ conſentaneum eſt mentiri, falſumve teſtari: Si Deus ſui cognitione & amore beatus eſt; etiam mens creata boni infiniti capax, non niſi Dei cognitione & amore conſequi beatitatem poteſt, quia norma & naturæ & perfectionis creatarum mentium divinæ perfectiones ſunt; & quemadmodum divinæ perfectiones ſunt æternæ, abſolute neceſſariæ, & immutabiles; ita lex, ſecundum quam conſtituta eſſe debet, pariter æterna eſt, neceſſaria, & immutabilis.

2. Multæ veritates theoreticæ, ex quibus vi rationis dictamina practica deducuntur ad actiones humanas pertinentia, ſunt neceſſariæ, atque æternæ veritatis: ergo ipſa quoque dictamina practica neceſſitatem, & vim immutabilem continent: conſequenter actiones iis conformes per ſe & neceſſario bonæ, difformes autem per ſe, & neceſſario malæ ſunt. Hæc dictamina adpellantur *proxima*, *& formalis regula actionum moralium*: Lex autem æterna Dei *regula remota & obiectiva earundem eſt.* Cum enim Deus vi infiniti intellectus, & rationis omnes veritates theoreticas, naturasque diſtinctiſſime intueatur, neceſſario videt practicas veritates cum illis connexas, & actiones iisdem conformes, vel difformes. Noſtra ratio participatio eſt divinæ rationis, & divinæ legis; quia omnis noſtra cogitandi facultas, quanta quanta eſt, a Deo eſt, & divinæ ſimilis eſt, etſi magnitudine perfectionis infinitis intervallis ab ea diſtet.

*De Lege æterna Dei adpoſite diſſerit S. Thomas* 1. 2. *Q.* 91. *Art.* 2. „ *Lex cum ſit regula, & menſura, dupliciter poteſt eſſe in aliquo; uno modo ſicut in regulante, &* „ *men-*

„ *menſurante : alio modo ſicut in regulato, & menſurato :* „ *quia, in quantum participat aliquid de regula, & men-* „ *ſura, ſic regulatur, vel menſuratur. Unde cum omnia,* „ *quæ divinæ providentiæ ſubduntur, a lege æterna men-* „ *ſurentur, & regulentur, manifeſtum eſt, quod omnia* „ *participent aliqualiter legem æternam, in quantum ſcili-* „ *cet ex impreſſione eius habent inclinationes in proprios* „ *actus, & fines. Inter cætera autem rationalis creatura* „ *excellentiore quodam modo divinæ providentiæ ſubiacet,* „ *in quantum & ipſa fit providentiæ particeps, ſibi ipſi, &* „ *aliis providens. Unde & in ipſa participatur ratio æter-* „ *na, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum* „ *actum, & finem ; & talis participatio legis æternæ in* „ *rationali creatura* lex naturalis *dicitur. - - Lumen ra-* „ *tionis, quo diſcernimus, quid ſit bonum, & quid malum,* „ *quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud eſt, quam* „ *impreſſio divini luminis in nobis.* „

## §. XXXVIII.

Propoſitio II. *Actiones ab hominis libertate pendentes, quæ per ſeſe, & intrinſece bonæ, ac honeſtæ ſunt, Deus neceſſario præcipit: eas vero, quæ intrinſece malæ ſunt, ac turpes, neceſſario prohibet, illis neceſſario præmium, his ſupplicium decernit.* Prob.

I. Deus vi providentiæ res creatas curat neceſſario, easque ad ſuos fines dirigit aptis mediis; igitur actiones eas, quæ ad finem creaturæ rationalis conſequendum ſunt neceſſariæ, præcipit neceſſario: quæ eidem fini per ſeſe & neceſſario repugnant, eas neceſſario prohibet; tales actiones ad finem neceſſariæ, aut fini repugnantes ſunt eæ, quæ intrinſece bonæ, vel malæ dicuntur (§. XXXVII. n. II.)

II. Si ratio præcipiendi, vel prohibendi actiones ab hominis libertate pendentes in perfectionibus divinis continetur, Deus eas actiones præcipit, aut prohibet neceſſario; atqui ratio præcipiendi, aut prohibendi actiones plurimas ab hominis libertate pendentes continetur in perfectionibus divinis; uti patet ex iis, quæ §. præc. n. III. membro tertio de bonitate, & malitia morali diximus. Ergo plurimas actiones, nempe intrinſece bonas, vel malas Deus præcipit, aut prohibet neceſſario.

Alterum propoſitionis membrum de præmio & ſupplicio in hunc modum confirmatur.

III. Si Deus actiones bonas a mente creata poni vult ſerio, & malas omitti, neceſſe eſt, ut medium ſuppeditet creaturæ rationali, quod ſpectata eiusdem imbecillitate, & difficultate virtutis, ac illecebris vitiorum eandem ad bonum impellere, & a malo retrahere valeat; Eiusmodi medium *practice, & moraliter ſufficiens* non niſi præmium eſt, & ſupplicium; quia & libertatem relinquit ſalvam, & vim habet movendi mentem creatam, quæ præmium, nempe felicitatem, ac voluptatem adpetit neceſſario, & vi naturæ; ſupplicium vero, & miſeriam pariter vi naturæ refugit; quapropter ſpectata fragilitate humana, libertate, & naturali adpetitu boni iſtuc medium eſt unicum, & fini obtinendo maxime adcommodatum.

## §. XXXIX.

Illud etiam colligitur, Deum vi rationis naturalis hominibus innoteſcere, ac neceſſario cognitum fuiſſe ſub nota vel prædicato *Legislatoris*, ac *Judicis*, Ac primo quidem tum ex traditione, & inſtitutione teneræ ætatis, tum ex ſui, rerumque creatarum contemplatione quivis anticipationem quandam Supremi Entis, quam πρόληψιν nuncuparunt nonnulli Veteres, id eſt, *anticipatam animo informationem* quandam divinitatis exiſtentis arripit. Hac poſita prænotione facili ratiocinio idem Supremum Ens ſub notione Summi Legislatoris, ac Judicis quivis ratione utens concipit; quemadmodum, ſi ſapientem progenitorem liberorum, & herum totius familiæ domi eſſe comperiſti, eidem poteſtatem dominativam ineſſe, atque uſum eius poteſtatis ab eo fieri, minime dubitas. Ob hanc cauſſam Philoſophi ſæpe ratiocinantur in hunc modum: *Evidens eſt, quod vera virtus præmium, ac ſcelus ſupplicium mereatur: igitur evidens quoque eſt, quod exiſtat ſupremus quidam Legislator, ac Judex, qui utrique ſuum pro meritis tribuat; cumque in hac vita nec virtus congruum præmium, nec ſcelus ſupplicium referat, neceſſe eſt, mentem humanam poſt mortem ſuperſtitem eſſe.* II. Ex iis, quæ de diſcrimine honeſti ac turpis, deque lege æterna Dei diſſerui, notio naturalis

lis legis concipi poteſt. Eam alii aliter, atque aliter definiunt; *Lex naturæ* (inquit P. Zech diſſert. II. de Rigore Mod. C. I. Sect. V. §. 120. *Eſt ordinatio divinæ voluntatis per rectam rationem promulgata circa actiones & omiſſiones liberas creaturarum rationalium ad rectam conſtitutionem & felicitatem reipublicæ humanæ divinis perfectionibus conformem neceſſaria.*

*Hæc notio, etſi paullò longior ſit, tamen a me arrepta eſt, propterea quod multa complectatur, quæ in explicanda naturæ lege magni momenti ſunt. Nam 1. Quæri poteſt, quæ ſit eſſentia naturalis legis, ſive quod ſit* principium eſſendi, vel conſtitutivum *eiusdem? R. Ordinatio ſeu potius iuſſum, aut imperium divinæ voluntatis. Hæc enim ſuprema voluntas legem conſtituit, hæc ei omnem vim tribuit, hæc obligationem parit ligando voluntates liberas, ſive ad certas actiones adſtringendo, ſed ligamine, aut vinculo menti intellectivæ proportionato, quod non aliud eſſe poteſt in ſtatu naturali, quam Dei voluntas, & præſcriptum, qui ſupremo, & inviolabili dominio præeſt omnibus, quique præmia & pœnas in manu tenet, & poteſtatis abunde habet ad ſupplicium de ſontibus, & ſuperbia elatis ſumendum. Diſtincte rem explicat Lockius de Int. Hum. L. II. c. 28. §. 8. „ Lex „ divina eſt, quam actionibus hominum Deus præſcripſit, „ ſive per lumen naturæ, ſive per revelationem iis pro- „ mulgata ſit. Deum hominibus eiusmodi regulam tradi- „ diſſe ad vitam ſuam gubernandam, nemo, arbitror, „ immanis adeo atque barbarus erit, ut inficiari velit. „ Id iure ſummo poteſt; eius enim creaturæ ſumus: in eo „ bonitas eius, & ſapientia intelligi poteſt, quod actiones „ noſtras ad illud, quod optimum eſt, dirigat; atque po- „ tens eſt, nos ad illud ſtimulare, præmia proponendo „ virtutibus, & ſupplicia vitiis, quæ in altera vita mo- „ lis ſunt, & durationis infinitæ: nemo enim facultatem „ habet nos e manibus eius eripiendi. In hac regula uni- „ ce tanquam Lydio lapide, moralis rectitudinis indicium „ omne conſiſtit, atque actiones ſuas cum lege comparan- „ do de præcipua illarum bonitate, aut pravitate morali „ homines iudicium ferunt. „ 2. Quæri poteſt, quomodo hominibus innoteſcat Dei voluntas de obſervanda naturæ lege? R. ope rationis naturalis, quæ ex principiis theoreticis deducit practica dictamina legem naturæ continentia.*

 3. *Quæ-*

2. *Quænam ſunt ea principia theoretica, ex quibus practica deducuntur? eſtne unum generale, an plura numero?* R. *Sunt plura principia* proxima, *quæ fortaſſis ad unicum generale, & ultimum reduci poſſunt, quod* principium cognoſcitivum Juris Naturalis *adpellatur, quia ex illo cognoſcitur, vel concluditur lex naturalis. Principia proxima ſunt: quidquid ad rectam conſtitutionem, & felicitatem reipublicæ humanæ eſt neceſſarium; vel quidquid amor Deo, proximo, vel ſibi ipſi a quovis debitus exigit &c. id iure naturæ præceptum eſt. Sed generale, & ultimum principium cognoſcitivum in divinis perfectionibus videtur conſiſtere; ex his enim, quæ ſit* recta *conſtitutio reipublicæ humanæ, quæ ſit* vera *hominum felicitas, quis* ultimus *finis determinari denique poteſt. Dein qui legem quandam æternam, & ius naturæ admittunt, id abſolute neceſſarium eſſe, & immutabile fatentur: atqui neceſſitas & immutabilitas non niſi ex neceſſariis, & immutabilibus Dei perfectionibus derivari poteſt; cur enim Deus nihil velle poſſit contra ius Naturæ, ſiquidem eius perfectioni id non obeſſet? Multa hoc loco, nec ſane vulgaria adferri, atque ex intimis principiis Philoſophiæ Theoreticæ evolvi, atque explicari poſſent; quæ ut ea, qua par eſt, ſolertia in chartam proiiciam, temporum ratio non permittit. Quapropter veniam Lector dabit ad finem properanti.*

# CAPUT VI.

## *De Religione.*

*De Religione acturus omnino intra ſepta Philoſophiæ, ac rationis me continebo; tum vero de conſenſu gentium circa præcipua religionis naturalis capita differam; quæ quidem res in hunc a me locum reiecta eſt, ne eadem prope iterata, & pluribus locis ſcribenda eſſent.*

### §. XL.

Religio perinde fere, ac ſcientiæ, & diſciplinæ duplici modo ſpectatur, 1. *Subiective*, uti in homine, vel quacunque mente creata ineſt virtus, aut virtutis actus, per quæ Enti ſupremo ob eius excellentiam cultus ſummi amoris, & obſequii exhibetur. 2. *Obiective*, uti religio eſt complexio omnium dogmatum ad cultum Supremi Entis pertinentium. Idea *cultus* erga Ens ſupremum duo complectitur, nempe teſtificationem tum di-

vinæ

vinæ excellentiæ, ſeu perfectionis, tum noſtræ ſubmiſſionis, ſive ſubiectionis erga Deum; eſtque *cultus internus*, ſi ea teſtificatio ſit ſola mente, cogitatione, aptisque adfectionibus internis voluntatis: *externus*, ſi eadem ſignis exprimitur ſub ſenſus cadentibus, ceu publica laude, hymnis, ſacrificio. Cultus externus adpellatur *mixtus*, quia tum ex internis mentis actibus, tum ex adcommodata corporis, membrorumque compoſitione, ac motu conſtat; compoſitio enim corporis, & externi motus vim ſuam, pretiumque ab interna animi adfectione ſumunt; ac ſiquis neglecta animi cultura totus eſt in membris rite componendis, externisque motibus efficiendis, queis ſpeciem religionis adfectat, is non religionem, ſed hypocriſin exercet.

## §. XLI.

Dogmata, quæ religio *obiective* ſumta complectitur, partim ſunt theoretica, partim practica. *Theoretica* ſunt: exiſtit Deus, principium, & finis rerum omnium, Ens Summum, quo nihil maius, aut melius excogitari poteſt: idem ſumma providentia gubernat mundum: mens humana vere libera eſt, immortalis, & ob actiones huius vitæ bonas, vel malas præmium vel ſupplicium recipiet poſt hanc vitam. *Practica* ſunt, quæ certa officia, ſive certas actiones, vel omiſſiones homini præſcribunt ad ius naturale, præſertim divinum pertinentia. Eiusmodi officia vel ſunt *adfirmativa*, ceu amoris, reverentiæ, fidelitatis, obſequii erga Deum; vel *negativa*, per quæ in primis prohibetur, quidquid cultui ſummi amoris, & obſequii adverſatur. Ex his intelligitur, geminam eſſe religionis obiective acceptæ partem, theoreticam, & practicam. Porro quatenus ea complexio dogmatum, ſeu veritatum, & officiorum ad Dei cultum maxime pertinentium ſolo lumine rationis naturalis cognoſcitur, & determinatur, dicitur *Religio Naturalis*: quatenus vero eæ veritates vel officia ſingulari Dei ipſius eloquio, ſeu revelatione nobis indicantur, vocatur *Religio Revelata*, eademque dicitur *Supernaturalis* tum, quando cognitio dogmatum, atque officiorum exequutio omnem naturam, & naturæ vires ſuperat, gratiamque ſupernaturalem poſcit.

## §. XLII.

Propoſitio I. *Deo debetur religio*, *ſive cultus ſummi*

*amoris, & obſequii, non modo internus, ſed etiam externus.* Prob.

I. Deus vi eſſentiæ infinitam habet perfectionem, excellentiam, ac ſupremum in res omnes dominium: quidquid vero extra Deum eſt, eſſentialiter ab eo pendet, tum quoad ſtatum ſuum, tum quoad ipſam exiſtentiam, & conſervationem: ergo debetur Deo religio ſive cultus ſummi amoris, & obſequii. Conſequens reipſa continet propoſitionem practicam, quæ ex theoretica propoſitione antecedente, uti in aliis fit practicis propoſitionibus, deducitur. In hunc modum concludimus: hic homo me progenuit, aluit, plurima mihi bene fecit: ſumma dignitate pollet, præſtantiſſimis mentis dotibus, maximis in me, & rempublicam meritis; ergo amore, grato animo, honore proſequendus mihi eſt. Conſequentia, ſive connexio practicarum propoſitionum cum theoreticis ipſo naturæ lumine cuivis manifeſta eſt. Vis autem legis, qua ad cultum Deo præſtandum adſtringimur, ſic demonſtratur: Deus, qui eſt ſumma ratio, ignorare nequit, quid ſummo iure a creaturis ſibi debeatur: præterea voluntas divina rectiſſima eſt, & ſummæ rationi neceſſario conſentanea. Ergo Deus voluntate neceſſaria, & immutabili vult, noſque obligat, ut debitum divinitati cultum exhibeamus, etſi is, cum infinite ſibi ſufficiat ad beatitatem, eodem minime egeat.

II. Mens intellectiva vi naturæ ad finem ſuum tendit: finis autem illius eſt, ut Dei gloriam manifeſtet, eaque manifeſtatione beatitate potiatur; cum igitur id & ratio dictet, & Deus vi ſapientiæ, ac bonitatis ſuæ neceſſario finem ultimum, nempe manifeſtationem ſuæ gloriæ, a mente intellectiva expoſcat, perſpicuum eſt, extare legem naturalem, id eſt, neceſſariam, æternam, & immutabilem, qua ad cultum Deo præſtandum adſtringimur.

III. *De cultu externo.* Fundamentum religionis in infinita Dei perfectione, ſive ſufficientia, & mentis creatæ dependentia, ſive inſufficientia conſiſtit: atqui hæc dependentia æque ad corpus, quam animum pertinet; quia homo, qui corpore conſtat, & animo, quantus quantus eſt, a Deo pendet, eique ſubiectus eſt: ergo cultus non modo internis animi actibus, ſed externa quoque corporis ac membrorum compoſitione teſtifican-

candus eſt. Confirmatur 1. Sicut ad cultum internum haud ſufficiunt ſoli actus intellectus, ac ſterilis cognitio de Dei excellentia, hominisque ſubiectione, niſi actus voluntatis quoque accedant, nempe gaudium & complacentia de ſumma Dei perfectione, ac ſubmiſſio, & deſpectio ſui ipſius ob eſſentialem vilitatem, ac plenam inſufficientiam; ita generatim ad cultum, quem homo Deo præſtare tenetur, actus interni ſine externis ſufficere haud poſſunt. 2. Quia tota hominis natura pendet a Deo, neceſſe eſt, ut cultum Deo exhibeamus eo modo, qui hominis naturæ maxime eſt adcommodatus; porro maxime adcommodatum hominis naturæ eſt, ut interni actus ſaltem plurimis caſibus etiam externis ſignis exprimantur; neque omnino naturale eſt homini, ut ſummus amor, ſumma reverentia, ſummum obſequium, quod Deo debetur, ita intus in animo perpetuo contineatur, quin aliquando foras erumpere, ſeſeque externis indiciis prodere debeat.

*Non nulla hoc loco animadvertenda ſunt contra religionis hoſtes; dicunt enim: 1. Deus opus non habet cultu externo: quia ſcrutator eſt cordium, & intimas cogitationes perſpicit, etſi eæ nullis ſenſibilibus ſignis palam fiant; igitur ratione naturali obligatio cultus externi non intelligitur. R. c. a. n. c. Deus ne quidem cultu interno opus habet; nihil enim utilitatis, vel beatitatis inde acquirit; neque illud eſt fundamentum externi cultus, ut hominum cogitationes Deo innoteſcant; ſed ut homo Dei excellentiam, ſuamque dependentiam, quæ æque corpus, quam animum adficit, teſtificetur modo quodam naturæ hominis maxime adcommodato. 2. Cultus externus obeſt interno cultui; quia homines, poſtquam externis ritibus adſueti ſunt, internam animi culturam negligunt. R. Id non fit per ſe, & ob cultum externum, ſed potius vitio & imbecillitate hominum; nam maxime naturale eſt homini, compoſitionem membrorum, ac vocem coniungere cum internis adfectionibus, idque ad eas excitandas, & conſervandas maxime conducibile eſt; & quamvis citra exterius ſignum elevare mentem ad Deum poſſimus; tamen id quidem multo eſt difficilius, nec niſi poſt inſignem attentionis gradum acquiſitum fieri a quovis poteſt. Nec tamen contendo, cultum externum ſemper adiunctum eſſe interno debere; eſt enim hœc lex de cultu externo adfirmativa, ut aiunt, cuius exe-*

*quutio non quovis tempore facienda eſt.* 3. *Ratio naturalis non dictat modum, quo Deus coli exterius debet; ergo hæc obligatio non poteſt eſſe naturalis. R. d. a. Ratio naturalis non dictat omnem modum cultus externi in ſpecie, c. a. nullum omnino dictat modum, ne quidem maxime neceſſarium, n. a, & c. Quæ membrorum compoſitio, quive externi motus, aut ſermonis ſenſus reſpondeant internis actibus, ipſa ratio quemvis docet, uti in cultu exhibendo parentibus, aut iis, qui magna in nos beneficia contulerunt. Sic pariter dictat ratio, ut Deum laudemus voce, hymnis, ut eum invocemus ſubmiſſis precibus, ut manus & oculos aliquando erigamus in cælum, ut Dei perfectiones, ſummamque potentiam, ac dominium publice profiteamur, ut ſpem, ac fiduciam in infinita collocemus bonitate, utque impediamus ea, quæ divino cultui adverſantur; alia vero ad cultum externum pertinentia, uti ſacrificium, niſi præſcribantur revelatione divina, vi rationis determinari poſſunt modo quodam competente; & conſentaneo tum perfectioni Dei, tum hominis dependentiæ; ſic admodum conforme eſt, naturali rationi, ut primitiæ e. g. frugum, Deo omnium bonorum largitori offerantur.* 4. *Quærunt, quo titulo Deo debeatur religio; R. Ea debetur ex honeſtate non qualicunque, ſed naturali, & neceſſaria, vi cuius Deus ſummo eandem iure exigere & poteſt, & debet; nullum enim maius ius poteſt concipi, quam quod ſummo Deo in res omnes contingentes, & productas competit, nulla arctior obligatio, quam quæ creaturas erga Creatorem devincit; hæc igitur neceſſaria, & intrinſeca honeſtas, vi cuius debitus Deo cultus præſtandus eſt, fundamentum eſt tituli iuſtitiæ; & quemadmodum nec Deus efficere poteſt, ut vel divina ac infinita excellentia, vel dependentia creaturæ tollatur, ſic nec efficere poteſt, ut religio, vel obligatio religionis tollatur.*

## §. XLIII.

Ex iis, quæ de religione adhuc diſputavimus, quædam confectaria derivantur.

I. Eiusmodi cultus Deo præſtandus eſt, qui ipſi placet; quis porro placeat Deo, ab ipſo Deo eſt revelatum vel lumine rationis, quam adpellant revelationem *neceſſariam*, vel revelatione *libera*, & ſingulari Dei indicio.

II.

II. *Vera* igitur religio, uti hæc *obiective* ſumitur, eſt complexio ex vera de Deo, rebusque divinis doctrina, & colendi modo illo, qui Deo placet. Si quæritur, ſitne vera aliqua in mundo religio, ſemperque fuerit, duplex quæſtionis ſenſus eſſe poteſt; *primo*, an detur aliqua complexio certarum veritatum, & officiorum ad Dei cultum pertinentium; de qua re nullum eſſe dubium poteſt, quia eiusmodi veritates ſaltem Deo cognitæ eſſe debent. *Secundo*, an in mundo ſint, ſemperque fuerint *aliqui* homines, qui eas veritates agnorint, & præſtiterint; ac de conſenſu quidem generis humani in præcipuis religionis naturalis capitibus mox quædam adferemus.

III. Quivis actus ſive internus, ſive externus ex religione, vel ex motivo religionis fieri dicitur, ſi ob hanc cauſſam, vel ob hoc motivum fit, quia & honeſtum eſt, & iuſtum, & rationali naturæ maxime conveniens, Deo ſe ſubiicere, eius voluntati obſequi, eidemque ceu ſupremo Domino, optimoque parenti placere velle. Motivum igitur, ſive *obiectum formale* religionis eſt ſpecialis illa honeſtas, quæ in cultu ſupremo Enti præſtando ob eius excellentiam elucet; eſt enim hoc proprium menti intellectivæ, ut non ſolum pro arbitrio agere poſſit, ſeſeque ipſa determinare, ſed etiam ex aliis, aliisque motivis poſſit agere, ſibique hos potius, quam illos fines in agendo præſtituere: Atque ab iſtiusmodi motivo, ſive obiecto formali *ſpecificari* dicuntur actus noſtri.

IV. Religio paſſim fundamentum dicitur *Juris Naturalis*; nam *ſubiective* ſpectata, uti eſt virtus, eadem efficit, ut dominio, ac voluntati ſupremi Entis nos ſubiiciamus; quæ ſubiectio maxime in obſervatione legis naturalis conſiſtit; certe in dominio, ac voluntate ſummi Conditoris, ac Gubernatoris ſita eſt tota vis, & efficacitas obligationis activæ, ex qua obligatio paſſiva, ſive neceſſitas moralis agendi conformiter ad legem derivatur. Si religio conſideratur *obiective*, uti ea eſt complexio omnium dogmatum ad cultum ſupremi Entis pertinentium, eadem iſtiusmodi continet veritates theoreticas, quibus poſitis neceſſario ponuntur generalia principia practica ad Ius Naturæ, & honeſtatem morum pertinentia, & quibus ſublatis eadem tolluntur; atque

hoc

hoc ſenſu religio fundamentum omnis honeſtatis, & legum naturalium adpellatur. Sed res hæc paulo pluribus evolvenda verbis videtur. Ponantur theoriæ, ſeu theoreticæ veritates, quas religio obiective ſumta continet: *Eſt ſupremum Numen, quod mundum ſapientiſſimis legibus gubernat, animus perpetuo manet poſt corporis interitum;* & iam concluſiones practicæ, quæ cum his theoriis neceſſario connexæ ſunt, expendantur; ſiquod eſt ſupremum Numen, & ſi animus manet poſt corporis interitum, profecto neceſſe eſt, ut illud Numen vereantur, ac timeant etiam ii, qui opibus, & potentia pollent, & quibus opportunitas adeſt, opprimendi imbecillos: ut omnes ac ſinguli ab occultis etiam flagitiis abſtineant, quæ etſi remota ſint ab hominum oculis, tamen nunquam patrantur ſine ſummo teſte, ac vindice: ut in ærumnis, periculis, adverſisque rebus a ſupremo Numine opem, ac ſolatium petamus: ut ſacroſancta habeatur iuramentorum fides: ut officia, quæ ſupremum Numen erga alios homines, & rempublicam præſcribit, ſancte præſtentur vel cum incommodo proprio, vitæque periculo, ut illa exiſtimetur recta ipſius reipublicæ conſtitutio, & genuina rectæ conſtitutionis idea, quæ voluntati ſupremi Numinis, & fini ab eo intento ſaciat ſatis; ſed pertexamus iſtiusmodi conſequentias; *Eſt ſupremum Numen*: igitur nemini licet impune ſcelerato eſſe: igitur rationem exiget dictorum, factorumque, & ſuum cuique ſumma æquitate tribuet: igitur futurus ſtatus ab honeſtate, vel turpitudine vitæ præſentis pendet, ac merito quivis commiſſo crimine cruciatur, iuſtosque conſcientiæ morſus ſentit. Hæ igitur ſunt conſequutiones cum theoreticis principiis religionis connexæ; quæ ſatis oſtendunt, quam vere fundamentum honeſtatis, ac naturalis iuris adpelletur religio. Sed evertatur iam id fundamentum iſtiusmodi conſequutionum, ponaturque oppoſitum theorema: *nullum eſt ſupremum Numen; nulla poteſtas, niſi humana.* Quod in quibusdam domibus uſu venit, ut petulans iuventus, & petulcum famulitium libidini fræna laxet, ſi patrefamilias peregre profecto ſola impunitatis ſpes relicta eſt; idem profecto, multoque peiora in orbe fierent ſublata poteſtate ſuprema. Si Numen non eſt; igitur, cui maior potentia, eidem quoque maius ius eſt; quique viribus prævalet, ideam rectæ conſtitutionis in republica pro arbitrio determi-

mi-

minabit: igitur fraus, & dolus pro induſtria, violentia pro lege valebunt. Quid dein eo poſito theoremate hominem a nefandis flagitiis, in quæ tantopere propendet, primo quidem occulte, mox aperte patrandis, quid a latrociniis abſterrebit? quid viros potentes, ne cives innocuos opprimant, quid ſubditos, ne potentum vitæ inſidientur? quæ erit iuramenti religio, fides pactorum? quid miſeria, niſi deſperationem, proſperitas niſi arrogantiam, & crudelitatem pariet? Dein ſi mens interit cum corpore, aut ſi ſtatus ſeparationis ab actibus vitæ præſentis haud pendet; igitur recte agit, qui omnes curas ad vitam præſentem confert: qui omnem beatitatem in bonis caducis quærit, quia beatitatem quærere certe rectum eſt, & laudabile: igitur mors ceu extremum omnium malorum eſt fugienda; & quoniam extrema miſeria omnibus modis fugienda eſt, fas erit vitandi doloris, aut mortis cauſſa peierare, patriam prodere, fidem, iuſtitiam, & quidquid ſanctum eſt, conculcare, innocentem mactare, aut ex deſperatione, ut ærumnis una, ac vitæ finis imponatur, ſibimet vim inferre. Si ſummum bonum in hac vita, & ſummum malum in morte eſt ſitum: igitur ſtolide agit, qui vitam ſuam hoſti obiicit pro patria, qui arduum virtutis iter capeſſit, qui cupiditates frangit, & libidinem domat, in egenos profundit opes, ab alieno abſtinet manus; recteque ait Paulus 1. Cor. 15. v. 19. *Si in hac vita tantum, in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus* (quia virtutis ſtudio præſentia bona repudiavit) & v. 32. *Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi; quid mihi prodeſt? - - Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur.* In eundem ſenſum Auguſtinus, L. 6. conf. c. ult. inquit: *Si animus mortalis eſt, Epicurus in animo meo palmam habet.*

*Satis nunc quidem declaratum arbitror, religionem fundamentum eſſe naturalis legis, atque inprimis ſocialitatis generis humani, ut adeo ſocialitas primum illius iuris principium eſſe haud poſſit. Nec vero Jus Naturæ ad præſentem hanc, & caducam vitam ita poteſt adcommodari, ut omnis de altera vita mentio excludatur. Nemo utique, cum officia naturalis legis explicat, id agit, ut, quid in altera vita agendum ſit, fugiendumve, doceat; obſervatio eorum officiorum pro ſtatu præſentis vitæ conſideratur; quid vero? ideone de altera vita nihil diſſerendum eſt nobis de Naturæ Jure pertractaturis? atqui ſtatus perdurabilis beatitatis, vel miſeriæ*

non

*non niſi in vita altera exſpectandus eſt, isque ab obſervatione naturalis legis, & honeſtate, vel turpitudine vitæ præſentis pendet; certe & navigandi regulæ ipſo navigationis curſu maxime obſervandæ ſunt; ſed nimirum is illarum ſcopus, ac finis eſt, ut portum ſecuri, ac ſalvi teneamus; atque ex hoc fine eædem potiſſimum determinandæ ſunt; ac quidquid eidem fini officit, id pravum eſt, fugiendumque. Sed nihil omnino certius puto, quam officia erga Deum maxime ad Naturæ Jus pertinere, cum omnis legum efficacitas a voluntate, ac ſuprema poteſtate Summi Gubernatoris derivetur; quod vel Ethnici agnovere. Plutarchus L. adverſus Coletem, „ In legum conſtitutione, inquit, primum eſt, & maximum „ de Diis opinio. Quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, „ & Numa Romanos, & Jon antiquus Athenienſes, & Deu- „ calio Græcos fere univerſos diis conſecraverunt. --- Facilius „ urbem condi ſine ſolo, ſaxis, & lateribus poſſe puto, quam „ opinione de Diis ſublata civitatem coire, aut conſtare. „ Hactenus de religione, eiusque fundamentis, ac præcipuis capitibus dictum eſt; ſupereſt, ut diſſeramus de conſenſu generis humani in re tam gravi, quæ ad omnes, ac ſingulos pertinet. Philoſophi paſſim univerſali hominum perſuaſione ceu argumento utuntur ad confirmandam immortalitatem humanarum mentium, exiſtentiam Divinitatis, & diſcrimen intrinſecum honeſti, ac turpis ſtabiliendum. Alii conſenſum univerſi etiam generis humani errori obnoxium putant, & argumentum, quod peti ex illo ſolet, alienum ducunt a Philoſophia, cum nihil ab auctoritate differre videatur: Philoſophus autem ratione, non auctoritate moveri debeat. Quapropter diſpiciendum eſt, quid tribui conſenſui generis humani in præcipuis religionis naturalis capitibus queat.*

## §. XLIV.

Propoſitio. II. *Recta methodus philoſophandi poſcit, ut ſententiam, & conſenſum generis humani de principiis morum, & Jure Naturali, de exiſtentia, & providentia Dei, de immortalitate animorum, & præmiis vel ſuppliciis alterius vitæ exquiramus.* Prob. Recta methodus philoſophandi poſcit, ut ex cognitis veritatibus deducamus alias veritates cum prioribus connexas, vel, ut ad novas veritates inveſtigandas, & nova capienda experimenta, quibus cognitæ veritates confirmantur, progrediamur. Atqui multæ ſunt nobis cognitæ veritates, quæ ad exquirendam eam ſen-

ſententiam, & conſenſum generis humani nos deducunt, & quæ eo conſenſu plurimum confirmantur; id quod palam fit hoc modo:

I. *Uti omnium rerum in hoc mundo exiſtentium* (Phil. Prim. §. XXXV.) *ita etiam naturæ intellectivæ eſt certus quidam, ac determinatus finis - - non niſi per actiones certas & fini conformes obtinendus - - ea autem natura nulla vi, nulla neceſſitate agitur, ſed ipſa movere ſeſe in finem, ac regere debet cognitionis ope. Igitur neceſſe eſt, ut vi naturali cogitandi adſequi mens poſſit, quid fini conforme, & rectum, quid difforme, ac pravum ſit.* Hæc cognita veritas, & theoria, quæ ex contemplatione mundi eruta eſt, eo nos ducit, ut porro indagemus, an natura intellectiva regulas generales morum, per quas ipſa ſe regat, & ad finem ſuum dirigatur, ſemper & ubique perſpexerit; ac invento dein communi ſenſu, & conſenſu generis humani in principiis morum agnoſcendis novum pro theoria confirmanda argumentum comparamus, ea propemodum methodo, qua in Phyſica Newtoniana analyſis naturæ ad theoriam condendam & theoria condita ad nova capienda experimenta nos deducit, quorum dein cum theoria conſenſus eandem plurimum & confirmat, & illuſtrat.

II. *Ex contemplatione mundi, conſtante ordine naturæ, generalibus legibus, certiſque finibus rerum, quæ penitus contingentes, & non minus ad exiſtendum, quam exiſtendi modum, ſtatumque indifferentes, & vi eſſentiæ omnino indeterminatæ ſunt, Exiſtentia Conditoris, Entiſque neceſſarii, ſapientiſſimi, ac potentiſſimi demonſtratur - - Ex his primo de infinita eius perfectione, tum de fine creationis derivatur concluſio: dein producto conſequutionis veluti filo manifeſte colligitur, eſſe officia quædam mentis limitatæ erga illam optimam, atque infinitam mentem, a qua toti pendemus; cumque officium præſtari enti incognito nequeat, facile colligimus, Summum illud Ens menti creatæ notum eſſe debere.* Hæc poſita theoria viam inveſtigandi nobis aperit, utrum revera Supremi Entis notitia quædam apud omnes gentes atque ætates viguerit; qua explorata notitia, & reperto conſenſu nationum, ac ſeculorum pro ſtabilienda ſupremi Entis exiſtentia denuo invictum argumentum capimus, quod ipſa vis rationis ſuppeditat, uti infra indicabimus.

III.

III. *Perſpecta Numinis providentia, & creationis fine cognito, facili ratiocinio concludimus, leges quaſdam morales a ſummo Legislatore poſitas eſſe menti intellectivæ; & quia ſpectata hominum conditione multa ſunt, quæ illos ab obſervatione legum avocare, & agere in transverſum queant; neceſſarium eſſe cognoſcimus, ut ſit medium quoddam naturæ intellectivæ adcommodatum, quo ad obſervandas eas leges, & honeſtatem mens impellatur, & retrahatur a turpitudine; - - Hoc medium omnibus rite circumſpectis non niſi ex voluntate Supremi Legislatoris, & ex poteſtate eiusdem bona & mala conferendi, ſive ex annexo præmio, vel ſupplicio derivari poteſt.* Atque hæc eſt theoria, quæ ad exquirendam ſententiam, & generalem perſuaſionem humani generis de altera vita, deque æterna eius beatitate vel miſeria nos ducit. Cum enim cito videamus, in hoc mortali ſtatu nec virtuti congruum præmium, nec ſceleri ſupplicium rependi; facile concludimus, iuſtitiæ divinæ adminiſtrationem poſt mortem differri; quare manere animos hominum poſt corporis interitum, atque hanc ipſam quoque rem hominibus notam eſſe oportere intelligimus; quia ea cognita veritas medium eſt, ſeu motivum obſervandæ naturalis legis, & quia felicitas hominis aut miſeria poſt hanc vitam per ipſas actiones præſentis vitæ a ſingulis ratione quadam determinanda eſt. Hinc ad ſenſum generis humani de ſtatu alterius vitæ, deque præmio, aut ſupplicio inveſtigandum progredimur.

*Satis ex his quidem patet, quæ ſint illæ cognitæ veritates, quæ ad inquirendum conſenſum populorum nos dirigunt. De ipſo conſenſu, ſi ex monumentis literarum & hiſtoria generis humani pertractare vellemus, multum extra limites huic operi præſtitutos egrederemur. Sed pleni ſunt Philoſophorum libri, plenæ virorum eruditiſſimorum voces, plenæ bibliothecæ. Quapropter non niſi animadverſiones quaſdam ſubiiciemus pertinentes ad hanc perſuaſionem univerſalem, & quæſtionem facti comprobandam, utrum omnes homines omnium temporum, ac nationum reipſa conſenſerint in agnoſcendis principiis Naturalis legis, exiſtentia, & providentia Numinis, & immortalitate humanarum mentium.*

## §. XLV.

Teſtimonia hiſtoriarum de perſuaſione humani generis maximam vim obtinent opinione mea, ſi origo eius per-

perſuaſionis indagetur: origo autem duplex adparet, *traditio, & vis rationis.* Eiusmodi enim dogmata de honeſtate morum, exiſtentia Dei, & immortalitate animorum, cum maximi momenti ſint, & ad omnes homines, ac ſingulos pertineant, iam inde a primis parentibus cum filiis, ac nepotibus communicatæ, indeque ad poſteros propagatæ, & veluti per manus traditæ ſunt; Hoc modo Tullius QQ.Tuſc. L. I. perſuaſionem de immortalitate animorum primum quidem *omni antiquitate* niti docet, *quæ, quo propius aberat ab ortu, & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quæ erant vera, videbat.* Traditio hæc, etſi plurimis locis vitiata, & poeticis fabulis incruſtata fuerit; tamen quoad vim dogmatis ac ſubſtantiam ope rationis naturalis plurimum confirmata eſt; quivis enim homo ratione uſus & principia morum, & exiſtentiam, ac providentiam Conditoris, & immortalitatem animorum haud ægre perſpicit; ipſaque naturæ rationalis ſimilitudo neceſſarium eſſe oſtendit, ut omnes pariter, & univerſi homines quasdam ſimiles notiones concipiant, & communia ferant quædam iudicia, & communia principia ratiocinandi colligant, etſi ceteris in rebus diſcrepent penitus, & moribus, ac inſtitutis inter ſe pugnent; quia illæ notiones, eaque iudicia poſitis ſenſuum obviis experientiis, poſitaque cogitandi, ac ratiocinandi vi neceſſario conſequuntur, minimeque ab hominum libera voluntate pendent; quemadmodum igitur in cunctis hominibus adpetitio boni, & averſatio mali, itemque ex ſimilibus rebus ſimilis voluptatis ac moleſtiæ ſenſus exiſtit; ita ideas quasdam communes exiſtere, & communia iudicia, dubitari neutiquam poteſt. Sed, ut ſingulatim agamus

I. *De conſenſu in formandis principiis generalibus morum*, vix quemquam ſerio dubitare poſſe arbitror, an homines omnium temporum, ac nationum generalia morum principia perſpexerint, & adprobarint ex animi ſententia; nam quisque experitur, & ſe, & alios homines, inter quos vitam degit, modica adhibita attentione in eorum notitiam venire, etſi quis omnes præconceptas opiniones excutere animo, ſolique veritati intendere ſtudeat; quare de aliis hominibus hoc idem non minus certo nobis perſuademus, quam illud exploratum videtur, quemvis hominem adpetere bonum, & felicitatem, vel alimentis indigere ad ſuſtentandam vitam. Quamvis autem plurimis

 caſi-

caſibus ob complicationem idearum ad res morales pertinentium valde ambiguum ſit, nec inter ſapientes definitum, quid iuſtum, vel iniuſtum cenſeri debeat; tamen perſpicuum eſt, eſſe plurimas actiones, quæ vi notionis ſuæ, & natura cuivis homini ratione utenti quovis particulari caſu ceu honeſtæ, alias, quæ ut turpes proponuntur; nec enim, ſi veritas cognitionem noſtram ſæpe fugit, continuo nihil certi, & explorati apud mortales habetur; quare diſtinguendum eſt inter *prima*, & *generalia*, maximeque neceſſaria principia morum, & alia, quæ *remota* in ſcholis dicuntur; illa nemini ignota ſunt, & dubia; hæc incerta non raro, & incognita. De hiſce morum principiis elegantiſſimus extat locus S. Proſperi in carmine de Providentia circa medium:

Ite ipſi in veſtræ penetralia mentis, & intus
Inciſos apices, ac ſcripta volumina cordis
Inſpicite, & genitam vobiſcum agnoſcite legem!
Nam quis erit (modo non pecus agri, aut bellua ponti)
Qui vitiis adeo ſtolide oblectetur apertis,
Ut, quod agit, velit ipſe pati? Mendacia Fallax,
Furta Rapax, furioſum Atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mæchum gladios diſtringit adulter.
Unus enim pater eſt cunctorum, & ſemine recti
Nemo caret, ſimiliſque omnes produxit origo.
Unde etenim nondum deſcripta Lege fuerunt,
Qui placidum ſanctis agerent in moribus ævum,
Nec Summi Patris ignari, nec iuris egeni?
Ergo omnes unam in vitam cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus, quæ condita libris.

II. *De conſenſu generis humani in cognitione Exiſtentiæ, & Providentiæ Dei.* Demonſtratio exiſtentiæ Dei non longa ſerie ratiociniorum ex illo principio colligitur: *Nihil eſt ſine cauſſa*, vel ut Leibnitiani latius dicunt: *nihil eſt ſine ratione ſufficiente.* Si iam iſtuc principium ipſo uſu ſenſuum, & rationis cuivis innoteſcit, nemini exiſtentia Dei, ceu cauſſæ primæ, & rationis ſufficientiſſimæ rerum omnium, ignota, vel obſcura eſſe poteſt. Dein quivis hohomo ipſo uſu vitæ & rationis paullatim diſcit, quantum opera *rationis*, *ac mentis* ab operibus *caſus*, & *fortunæ* differant, quantumque ea, quæ fortuito contingunt, diſtent ab iis, quæ ad conſtantem finem ſunt adcommodata.

Hinc

Hinc quivis, qui hunc mundum adſpectabilem cernit, qui ordinem rerum, ſtatasque leges animadvertit, in cognitionem ſupremæ mentis omnia ordinantis, ac dirigentis venire debet, vel potius ideam eiusdem, quam non poteſt non a prima ætate ex aliorum verbis, factisque accipere, neceſſario ita infigit animo, ut evelli penitus nequeat. *Notæ viſibiles ſapientiæ, & poteſtatis ſummæ* (inquit Lockius L. I. de Int. Hum. c. 4. §. 9.) *in rebus omnibus creatis adeo perſpicuæ ſunt, ut creatura rationalis, cui ſerio illas contemplari vacat, non poſſit non ad Dei omnium horum operum admirandorum notitiam pervenire; - - ut mihi magis mirum videatur, uspiam inveniri univerſam gentem barbaram adeo, ac ſtupidam, quæ nullam Dei notitiam habeat, quam ſibi imaginari homines, qui omni numerorum, aut ignis notione carerent.* De cognitione Providentiæ Dei veriſſime inquit Tertullianus L. II. adverſus Marcionem c. 24. *Deum non negans confiteris & providum.* Et Salvianus L. I. de Provid. fere initio Ethnicos ſemper agnoviſſe providentiam Dei teſtatur, Pythagoram commemorans, quem ceu magiſtrum ſuum ſuſpexit Philoſophia, Platonem, & Platonicas ſcholas, tum & Stoicos; dein ſubiungit: *Dixi, quid de Maieſtate, & moderamine ſummi Dei, Principes & Philoſophiæ ſimul, & Eloquentiæ iudicaverint. Ideo autem nobiliſſimos utriusque artis magiſtros protuli; quo facilius vel omnes alios idem ſenſiſſe, vel certe ſine auctoritate aliqua diſſenſiſſe monſtrarem; & invenire aliquos, qui ab iſtorum iudicio diſcrepaverint, præter Epicureorum, & quorundam Epicurizantium deliramenta, non poſſum.*

III. *De conſenſu humani generis in comprobanda animorum immortalitate* tam luculenta teſtimonia adferunt Philoſophi, ut ea mihi omnem illorum, qui aliter iudicaſſe, vel pronunciaſſe dicuntur, auctoritatem, vel numerum penitus opprimere videantur. Si via quæritur, qua ad cognitionem eius dogmatis pervenerit humanum genus, Grotius L. I. de Verit. Relig. Chriſtian. *Antiquiſſimam hanc traditionem* vocat iam inde a primis parentibus ductam, indeque ad alios populos profectam; Nec vero ſi traditio eſt, ceſſat eſſe iudicium rationis; niſi enim & Græci, & Barbari eam opinionem conformem rationi vidiſſent, certe eam reieciſſent, uti alia Scita Hebrææ gentis; Nunc vero eam ceu propriam ſenten-

tiam tuebantur, & Philoſophi ſuis argumentis confirmarunt a Providentia Dei, ac præmii, & ſupplicii neceſſitate, vel ex natura mentis intellectivæ, aut adpetitu felicitatis, gloriæ, immortalitatis deductis.

*Cum recta methodus philoſophandi poſcat, ut ſententiam, ac perſuaſionem generis humani circa præcipua religionis naturalis dogmata exquiramus; cumque ea perſuaſio pro univerſali, communi, & uniformi haberi poſſit: videndum nunc eſt, qualia ex iſta perſuaſione pro confirmanda naturali religione argumenta inſtrui poſſint.*

## §. XLVI.

Quando de exiſtentia Dei, lege naturali, & immortalitate animorum demonſtranda agitur plerique Philoſophi in hunc modum ratiocinantur: *Quod omnes homines omnium temporum, ac nationum, iudicant in re ſummi momenti, quæ eſt fundamentum omnis honeſtatis, id evidenter eſt verum; iudicant autem omnes homines, eſſe ſupremum numen, extare legem quandam, & obligationem naturalem, animos immortales eſſe; igitur id evidenter eſt verum.* Prima Propoſitio huius ratiocinii continet quæſtionem dogmatis, *utrum conſenſus omnium in formandis quibusdam iudiciis criterium ſit, & argumentum veritatis*; de qua re dictum in Logica eſt §. LXXVIII, & ſeqq. Altera propoſitio eſt quæſtio facti: *utrum ea conſenſio revera habeatur*; de qua luculenta paſſim, & locupletiſſima extant teſtimonia, quæ tanto maiorem nunc fidem faciunt, niſi fallor, poſteaquam oſtenſum eſt, quo modo in homine rationis uſu prædito iudicia quædam communia exiſtere poſſint, ac debeant. Quam vero ob cauſſam iſtiusmodi iudicia *fundamentum honeſtatis* nuncupentur, a nobis ſupra §. XLIII. n. IV. indicatum eſt breviter. Quæri nunc poteſt, cur ob hanc ipſam cauſſam, quod ea iudicia fundamentum ſint honeſtatis, minime falſa eſſe poſſint? R. quia omnis honeſta, & recta operatio in natura intellectiva per ſeſe non niſi *veritatis* cognitione nititur; hinc ſi iſta iudicia fundamentum ſint rectæ, & honeſtæ operationis, eadem vera eſſe neceſſe eſt; ſecus tollitur omne id, quod *ſana ratio* dicitur; qua quidem ſublata omnis diſputatio ceſſat.

§. XLVII.

## §. XLVII.

Quidam Philoſophi differunt in hanc ſententiam: *Si iſta iudicia, quæ de Exiſtentia Dei, lege naturæ, & immortalitate animorum communiter ab omnibus formantur, vera haud ſunt, ſequitur manifeſto, totum ferme genus hominum, atque eos in primis, qui honeſtatis, & ſapientiæ laude maxime floruerunt, in re graviſſima turpiter hallucinatos fuiſſe; paucos vero, eosque peſſimi nominis, ſolos vidiſſe veritatem; id adfirmare, abſurdiſſimum eſt: igitur vera ſunt ea iudicia.* Hæc concludendi ratio duplici modo ſpectari poteſt, 1. inſtar argumenti *ab auctoritate* ducti. 2. Inſtar argumenti petiti ex lege conſtante, & univerſali naturæ rationalis. Ac

I. Evidentiſſima præſumtio eſt, eorum ſententiam, qui exiſtentiam Dei, naturæ legem, & immortalitatem animorum tuentur, *veram* eſſe, aliorum opinionem longe falſiſſimam. Nam hac quidem in re *multitudo* adfirmantium ſpectanda eſt. Sic enim aio: Siqua eſt veritas, cuius inveſtigatio ſingulare mentis acumen, & exquiſitam rationis vim, vel adcurata experimenta poſcit; fateor, eam haud eſſe in multitudine quærendam. At ſiquid ſola mentis adplicatione ex obviis principiis vitæ uſu collectis, & cuivis notis intelligitur, maxima etiam in multitudine auctoritas eſt, & in re, quæ ad ſingulos pertinet, ſinguli ceu teſtes *in arte periti* conſiderandi ſunt. Quid eſt autem, quod ad ſingulos, & univerſos propius pertineat, quam indagare, an extet Ens ſupremum, principium, ac finis rerum omnium, a quo quis cuncta bona adeptus ſit, & in poſterum adipiſci poſſit: a quo penitus pendeat: quem vereri, & colere, invocare adverſis rebus, laudare proſperis debeat: in quo omnes beatitatis ſpem collocent, & cui nemo non cogatur rationem reddere actionum, cogitationumque ſuarum? Eſt hæc res huius modi, de qua ſinguli, & univerſi ſæpiſſime cogitant, & ratiocinantur. Similiter de naturali lege, & ſtatu ſeparationis exiſtimandum eſt. Quis vero ignorat, quam acuti, & perſpicaces ſint vel rudiſſimi homines in rebus ad ſe pertinentibus? Num igitur veriſimile videatur, innumerabiles homines omnium nationum, ac temporum cæcutiiſſe in re tanta, quæ ad ſingulos maxime pertinet; & paucos homulos vidiſſe verum?

II. Argumentum a conſenſu generis humani ductum non tam ad auctoritatem, quam naturæ legem referendum eſt, quemadmodum enim, ſi adfirmem, omnes homines bonum, & felicitatem adpetere; mea aſſertio non hominum auctoritate, ſed cognitione naturæ nititur; ita cum ſimili modo ipſe experiar, quanta ſit vis rationis in agnoſcendo ſupremo Numine, naturæ lege, & immortalitate animorum; cumque idem mihi de aliis, quibuscum vitam dego, certiſſime conſtet; iſtius modi iudicia *naturæ rationalis legem, ſeu vocem* recte adpello; & ſi Hiſtorici, ac Scriptores omnium gentium idem comprobent, non continuo humana duntaxat auctoritate, ſed cognita naturæ vi nititur hæc mea aſſertio: *Omnes homines omnium temporum, ac nationum ſupremum Numen, legem naturæ, & immortalitatem animorum agnoſcunt.* Quodſi vero hæc eſt lex quædam neceſſaria, & phyſica naturæ rationalis; perſpicuum eſt, ea iudicia nulli dubio, nulli ſuſpicioni falſi eſſe obnoxia; niſi ipſa tollatur ſana ratio; quod qui faciunt, ſimiles mihi videntur homini furioſo, ac deliranti, qui, quanta maxima poteſt contentione clamat, & vociferatur, ſe mutum eſſe. Sed res hæc tota conferatur cum iis, quæ de communi naturæ ſenſu a nobis tradita ſunt in Logica; facile enim intelligetur, quam longe ab intimiore rerum cognitione abſint ii, qui argumenta ex hoc fonte derivata leviter explodunt, & pro aſylo ignorantiæ habent, quaſi vero cæca aliorum idem ſentientium auctoritate niterentur.

*FINIS TOMI I.*

O. A. M. D. G.

A01
1453209

# Tabula Syſtema

| Planetæ. | Ratio Diametrorum. ad diam. Telluris. | Ratio ſuperficierum ad ſuperfic. Telluris. | Ratio ſoliditatis ad Soliditatem Telluris. | Inclinatio orbitarum ad Eclipticam. | Inclin orbitarum ad æquatorem. |
|---|---|---|---|---|---|
| ☉ Sol. | Centies maior Tellure. | Decies millies maior. | Millionefies maior. | -- | -- |
| ☿ Merc. | $\frac{1}{3}$. Telluris. | $\frac{1}{9}$. Telluris. | $\frac{1}{27}$. Telluris. | G. M. 6.59$\frac{1}{3}$. | G. M. 3. 10 |
| ♀ Venus. | $\frac{16}{19}$. Telluris. | $\frac{256}{361}$. Telluris. | Paullo minor quam $\frac{2}{3}$ Telluris. | G. M. 3. 27. | G. M. 4. 6. |
| ♁ Tellus. | Diam. telluris. 1720. mill. Germanica. | Superficies telluris 9288000 mill.quadrata. | Soliditas Telluris 1665560000. milliaria cubica. | -- | G. M. 7. 30. |
| ♂ Mars. | $\frac{3}{5}$. Telluris. | $\frac{1}{3}$. Telluris. | $\frac{1}{5}$. Telluris. | G. M. 1.51. | G.M. 5. 50. |
| ♃ Jup. | Plus decies. maior Tellure. | 106. maior tellure. | 1170. maior Tellure. | G. M. 1. 20. | G. M. 0 6. 22 |
| ♄ Sat. | Minus quam decies. maior. tellure. | 99. maior tellure. | 980. maior tellure. | G. M. 2. 31. | G. M. 5. 520 |
| ☾ Luna. | $\frac{1}{4}$. diametri Telluris. | $\frac{1}{15}$. Telluris. | $\frac{1}{50}$ Telluris. | -- | -- |

Digitized by Google

| Planetæ. | Tempus Periodicum circa ſolem. | Tempus revolut. circa axem. | Axis maior orbitæ. | Axis minor orbitæ. | Exc[illegible] tric[illegible] | Gravitates in ſuperficie. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ☉ Sol. | - - - | D. H. 25. 12. | - - | | | 3. 736. |
| ☿ Merc. | D. H. M. 87. 23. 15½. | incognitum. | 7742. | 7570. | 81[illegible] | — |
| ♀ Venus. | D. H. M. 224. 16. 48⅓. | D. H. 0. 23. | 14466. | 14465. | | — |
| ♁ Tellus. | 365. D. 5. H. 48. M. 47. S. 56. Tert. | D. H. M. 0. 23. 56. | 20000. | 19997. | 16[illegible] | 1. |
| ♂ Mars. | 1. Añ. 321. D. 23. H. 30. m. | D. H. M. 1. 0. 40. | 30474. | 30342. | 141 | — |
| ♃ Jup. | 11. Ann. 314. D. 12. H. | D. H. M. 0. 9. 56. | 104020. | 103899. | 250 | 635. |
| ♄ Sat. | 29. Ann. 167. D. 22. H. | incognitum. | 190758. | 190448. | 543[illegible] | 144. |
| | D. H. M. 27. 7. 43. | D. 27[illegible] | | | | |

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google